THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SACRÆ CONGREGATIONIS

Obeunte usque ad diem 18. Julii

R.MO P. D. SIMONETTO
ARCHIEPISCOPO PETREN.

DEINDE VERO

R. P. D. PIRELLIO

PRODIERUNT

In Causis sub Annum 1763. propositis,

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, & necessarius.

TOMUS XXXII.

TRIPLICI INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXIII.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1763. Per Diœceses dispositus.

Mele-

Die

Die Sabbathi 22. Januarii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Sess.22. cap.8., & sess.25.cap.9. de Reform.

FIRMANA ERECTIONIS CAPPELLANIARUM. Causa hæc, cujus species descripta est in Folio Congregationis habitæ die 4. elapsi mensis Decembris, proposita fuit in Congregatione habita die 18. ejusdem mensis; & dilationem petentibus Fratribus Augustinianis, EE. PP. rescripserunt = *Dilata ad sequentem omnino, etiam unica* =. Imperio itaque EE. PP. obtemperantes, eam reproponimus. Et Fratres Augustiniani in circumferendo libello disputant, Juspatronatus Cappellæ S. Nicolai de Tolentino in eorum Ecclesia existentis haud videri favore Gentis Angelinæ probatum solis enunciativis relatis vel in Instrumento anni 1705., vel in Informatione Vicarii Generalis, juxta firmata per *Rotam in decis.1. num.2. coram Buratt., & in decis.1037.num.9. coram Molin.*; minusque putant, suaderi Juspatronatus ex donatione, & expensis in beneficium Altaris collatis a Familia Angelini, cum non omnes Benefactores dicendi sint Patroni, *Card. de Luca de Jurepatron. disc.55. num.17.*. Atque irrelevantes esse contendunt conjecturas in comprobationem Jurispatronatus adductas, cum in Ecclesiis Regularium illud rigorose sit probandum, *Rota decis.1068. num.3. coram Molin.*: nullamque rationem habendam esse, aut de retentione Clavis Sac. Reliquiæ penes Familiam Angelini, cum res spirituales possideri nequeant a Laicis *Pignatell.consult.Canon.75.num.2. & 3. tom.10.*: aut de gentilitio ejusdem Familiæ Sepulcro, quod regulariter non probat Juspatronatus Cappellæ, *Rota decis.1037. num.8. coram Molin.*

Et quatenus etiam concludenter constaret de constructione, & dotatione Cappellæ facta a Gente Angelina, censerent nihilominus, vel acquisitum ei non fuisse Juspatronatus, cum in eadem Regione plures Familiæ nullum patronatum habeant in Altaribus constructis a suis Majoribus, juxta informes quorundam Testium depositiones exhibitas: vel una cum Gente Angelina Juspatronatus addicendum esse ipsis Regularibus, qui fundum in sua Ecclesia præstiterunt pro Altaris constructione, ad tradita per *Abbat. in Cap. Ad*

*audientiam sub n.*11. *de Eccles. ædific.*, *& Lambert. de Jurepatr. lib.*1.*par.*1.*quæst.princ.*3.*art.*16.*num.*2., *& quæst.*8.*art.*6.*num.*1., qui tamen *num.*5. declarat ex opinione *Rocch.* , contrarium procedere ex consuetudine . Propterea defendunt,cogendos ipsos non esse, acceptare Cappellanias in eodem Altari relictas a Nicolao Antonio Angelini , vel quia in re communi potior est conditio prohibentis : vel quia Regulares non tenentur inviti recipere in eorum Ecclesiis fundationem Missarum a Presbyteris secularibus celebrandarum,ut per *Text. in Cap.fin.* §. *Præcipimus de stat. Monach.* firmant *Abbas in cons.*59.*num.*3.,*& Scarfant.ad Ceccop. par.*2.*lib.*3.*tit.*13.*num.*30. Præsertim cum in eodem Altari S. Nicolai , pro solis Regularibus Ordinis privilegiato , adimplenda sint onera aliarum 568. Missarum quolibet anno , in quarum celebratione turbarentur Regulares , quoties fundarentur etiam Cappellaniæ relictæ a Nicolao Antonio Angelini . Et in his terminis antumant locum esse translationi Cappellaniarum ad alias Ecclesias , cum huic assentiatur etiam Communitas Hæres Angelini Fundatoris .

Plura tamen perpendenda in oppositum videntur . Primum an jure allegari possit a PP. Augustinianis , ratione Fundi , communio in jurepatronatus Sacelli S. Nicolai , non docto de illius reservatione occasione , qua anno 1614. Fridericus Angelinus Cappellam fundavit , & ædificavit , ut enarratur in Instrumento anni 1705.cum Capitulari Religiosorum interventu stipulato: & an familiæ Angelinæ suffragari queat præsumptio cessionis situs , e conspectu absolutæ confessionis pertinentiæ Patronalis ejusdem Sacelli ad Angelinos , *qui semper de eadem met Ædicula fuerunt Domini , & Patroni* , ex eodem Instrumento anni 1705. depromptæ : & rursus an data prætensa communione in jurepatronatus Sacelli , ex hac subverti possit jus , quo compatronus naturaliter potitur erigendi Cappellanias in sua Cappella patronali , quod in nostris terminis pellucide negat *Monacell. in Appendic. ad form. legal. instruct.*5. *num.*20. *tom.*3. ; Item an præexistens obligatio celebrandi in eadem Cappella Missas 568. , quæ nec peræquant quidem onus duplicis Missæ quotidianæ , ac hebdomadalis , quæ ibidem haberi solet expositio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, impedimento esse possit , quominus in eadem Cappella alia Missarum onera ex fructibus exiguæ hæreditatis celebrandarum adimpleantur : tandem an mereatur attendi , pro indulgenda translatione , consensus Communitatis ad effectum exequendi piam Testatoris dispositionem scriptæ hæredis , cum hic tendat in conspicuam eversionem voluntatis ejusdem Testatoris , qui specialiter dilexit Altare S. Nicolai , ubi adest Sepulchrum gentilitium suæ familiæ .

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere .

I. *An constet de Jurepatronatus Familiæ Angelini in Cappella S. Ni-*

S. Nicolai Tolentini erecta in Ecclesia S. Augustini Castri, S. Angeli? Et quatenus affirmative.

II. *An erectio Cappellaniarum sit facienda in dicta Cappella, seu potius sit concedenda translatio in aliam Ecclesiam, & Altare, in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius.

ASSISIEN. QUARTÆ FUNERALIS. In Congregatione habita die 14. Februarii 1761. proposita fuit hæc Causa, in qua disceptatur de quarta funerali Parochis tradenda ab Ecclesiis Regularium Civitatis Assisii; & cum Testes hinc inde producerentur ad probandam assertam consuetudinem: EE. PP. rescripserunt = *Dilata, & examinentur Testes formiter* =. Quamobrem suppositi fuerunt formali examini septem Testes a Parochis, novem a Regularibus inducti, qui omnes in genere conveniunt, quartam funeralem in Civitate Assisii ex consuetudine deberi in medietate Ceræ; sed circa species Ceræ traditioni quartæ obnexias, discordes sunt.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

Nam juxta morem nunc vigentem in Civitate Assisii, Cera inserviens associationi Cadaverum extinguitur post ingressum in Ecclesiam, & iterum accenditur in exequiis; Sed ante, & post exequias solum ardent aliquot Cerei ex eadem Cera, vel ex alia separatim transmissa ab hæredibus ad hunc præcipuum effectum. De his autem Cereis circa feretrum ardentibus ante, & post exequias, sicut etiam de Candelis accensis in Altaribus, nullam portionem Parochis dari consuevisse affirmant aliqui Testes Religiosorum, casusque referunt, in quibus Parochi nullam earundem specierum portionem habuerunt.

Quintus autem Testis, qui est Religiosus Strictioris Observantiæ, quamdam enunciat adnotationem in liberculo per ipsum retento exaratam, quod in sua Ecclesia, post absolutas Exequias, dividi soleat Cera cum Parocho Defuncti: non tamen ea, quæ associationi inserviit, & accensa mansit usque ad exequias, si tempore exequiarum extinguatur: Neque Cera separatim transmissa, licet accensa fuerit in Exequiis: neque demum Altarium Candelæ; sed ignorat, an ejusdem adnotationis vigeat observantia: & refert, suo tempore bis negatam, & bis etiam traditam Parocho medietatem Ceræ accensæ ante Exequias, subrogatis post Exequias Cereis Ecclesiæ tumulantis, ut etiam vidisse testatur septimus Testis.

Et aliam dividendi normam profert pro Ecclesia Patriarchali S. Francisci nonus Testis, hodiernus illius Sacrista, quam desumit a publica voce, & fama, & a libro Consi-

liorum sui Conventus, quod Cera accensa ante, & post Exequias dividatur cum Parocho, quando associationi Cadaveris inservierit, non autem si separatim fuerit transmissa ab Hæredibus. Et licet reliqui Testes enuncient aliquos Casus non sequutæ hujus Ceræ divisionis; attamen quandoque divisam fuisse hujusmodi Ceram testantur secundus, tertius, & nonus Testes, referentes, post Exequias fuisse subrogatam Ceram Sacrarii, & aliquando omissam divisionem, ob exiguam quantitatem ejusdem Ceræ residualis.

Hanc vero specierum distinctionem, opinantur Fratres Minores Conventuales, originem habuisse ab antiquissima Sententia lata anno 1375. a Cardinali S. Eustachii, uti Delegato Apostolico, in Causa appellationis ab iisdem Fratribus interpositæ adversus mandatum Episcopi Assisiensis. Siquidem in articulis tunc productis ab iisdem Fratribus allegatur consuetudo in funeribus vigens, quod cum Defuncti Cadavere *portata fuerunt & portantur ad ipsam Ecclesiam Beati Francisci diversa Funeralia*, *Panes*, *Vinum*, *Carnes*, *Cerei*, *Panni*, *Equi*, *Armaturæ*, *& alia*, *secundum diversitatem*, *& qualitatem Status illorum*, *qui in dicta Ecclesia*, *vel in ejus Cœmeterio elegerunt*, *vel eligunt sepeliri*: quodque ipsa Funeralia, & legata dictis Fratribus, vel Ecclesiæ data, & relicta, semper illis acquisita fuerunt pleno jure, *excepta medietate Ceræ*, *quæ portata fuerit*, *& portatur cum dictis Corporibus dumtaxat*, quæ dari consuevit respectivis Parochis Defunctorum pro omni Canonica portione, & quarta funerali, etiam relative ad quasdam assertas conventiones ab Episcopo Assisiensi generice confirmatas anno 1349.. Et Cardinalis Sancti Eustachii in sua Sententia Fratres absolvit ab impetitis per Episcopum, & Parochos Assisii quoad cetera funeralia, *salvo jure prædictis percipiendi*, *prout ad unumquemque eorum pertinet*, *dictam medietatem Ceræ funeralium*, *prout hactenus percipere consueverunt*.

Contendunt namque, quod cum juxta prædictos articulos, consuetudo vigeret, tradendi quartam funeralem in sola medietate Ceræ; quæ ad Ecclesiam deferebatur cum Defuncti Cadavere, Sententia Cardinalis S. Eustachii de sola eadem Cera intelligenda sit, nec comprehendat Ceram separate transmissam, ut ardeat ante, & post Exequias, neque Candelas Altarium; præsertim attenta observantia, ut supra a Testibus enunciata, & adminiculata Libris Conventus. Quocirca disputant, vel sequendam esse consuetudinem, vel tradendam esse Parochis portionem totius Ceræ, in sola tamen quarta parte: præfixo eisdem termino ad eligendum alterutrum divisionis modum, ut sequendo censuram Constitutionis *Romanus Pontifex 6. post Concilium Romanum*, & alterius Constitutionis *Pretiosus* 177. §.44. san. mem. Benedicti XIII., definivit hæc Sacra Congregatio *in* *Cre-*

Cremonen. Quartæ Funeralis 9. Januarii 1734. lib.84. Decret. pag.1.

Excipitur tamen Parochorum nomine, certam esse consuetudinem tradendi quartam funeralem in medietate Ceræ, sed æque certam non esse illius specierum distinctionem. Cum Conventualium assertio in articulis anni 1375. emissa, quod Parocho deberetur mediatas Ceræ, *quæ portata fuerit, & portatur cum dictis Corporibus dumtaxat*, intelligenda non sit ad exclusionem Ceræ cum Cadavere non delatæ, & separatim transmissæ funeris contemplatione, sed potius intelligenda sit ad exclusionem aliarum specierum, quas una cum Cera in funeribus consuevisse deferri iidem articuli enunciabant, & Episcopus ac Parochi Assisienses æque partiendas esse contendebant. Præterea hujusmodi assertio de Cera, quæ *portatur cum dictis Corporibus dumtaxat*, Parochis non videtur restringenda ad solam Ceram accensam in associatione Cadaveris; cum præter Intorticia accensa in supplicatione funebri, regularirer deferatur cum Cadavere alia Cera extincta, ut ardeat in Altaribus, & circa Feretrum. Atque demum putant restrictionem hujusmodi assertionis, quæcumque sit, in pretio habendam non esse, cum eam sequutus non fuerit Cardinalis S. Eustachii in sua Sententia, in qua indistincte reservavit Parochis jus consequendi *medietatem Ceræ Funeralium*, quo nomine comprehenditur nedum Cera delata cum funere, sed etiam illa, quæ datur contemplatione funeris, ut accendatur in Altaribus, vel circa Feretrum', tam in Officio funebri, quam ante, vel post, ut explicat *Monacel. form. leg. tom.2. in add. ad decis.51. num.4.*

Minusque relevare, autumant Parochi, Testium depositiones, cum illorum secundus, tertius, quintus, & nonus expresse referant, quartam funeralem aliquando fuisse traditam etiam de Cera accensa ante, vel post Exequias, ut superius notatum est, ideoque inducta videri non possit legitima consuetudo, quæ pluries interrupta probatur ab ipsis Testibus Regularium; eo magis quia Testes Parochorum deponunt, quartam dari consuevisse de his etiam Cereis accensis ante, & post exequias, solumque a Regularibus denegatam aliquoties paucis ab hinc annis, sed plerumque datam fuisse, & sæpe etiam neglectam ob reliquæ ceræ exiguitatem.

Nec deferendum esse arbitrantur depositionibus quinti, & noni ex Testibus Regularium; quia ad invicem colliduntur. Quintus enim eximit ab onere quartæ ceram extinctam in Exequiis, licet associationi Cadaveris inservierit; nonus autem, cum quo concordat etiam primus testis, affirmat, Ceram associationis numquam extingui consuevisse in Exequiis, & ex ea quartam deberi, etiamsi accensa fuerit ante, & post Exequias.

Et

Et licet concordes sint iidem Testes quintus, & nonus, circa quartam non dandam de Candelis Altarium, & de Cera separatim transmissa, nihilominus irrelevans videtur Parochis illorum depositio, tum quia quisque deponit de usu propriæ Ecclesiæ, tum quia recentissimus est usus tradendi aliquando ceram separatam, ut ipsi Testes Regularium secundus, tertius, quartus, quintus, septimus, & nonus evincunt: & Candelæ pro Altaribus non semper, & ubique, sed aliquoties, & in aliquibus tantum Ecclesiis datæ fuerunt, ut colligitur ex prædictis Testibus primo, secundo, quinto, septimo, & nono, qui insuper addit, durante suo munere Sacristæ, quod exercet ab anno 1750., numquam illas datas fuisse in Ecclesia S. Francisci.

Quocirca contendunt Parochi, neque probatam esse consuetudinem a Testibus Religiosis fauore propriæ Ecclesiæ deponentibus, neque legitimam consuetudinem inducere potuisse recentes transmissiones huius ceræ accendendæ in Altaribus, & extra tempus exequiarum, aliquoties secutas, cuius portionem eatenus non datam referunt plerique testes, quia ignorarunt huiusmodi ceræ existentiam; præsertim cum Parochorum Testes primus, & secundus referant, traditam fuisse quartam etiam de Candelis Altarium a Cappuccinis, & a Fratribus strictioris Observantiæ, quando in eorum Ecclesia eædem Candelæ accensæ fuerunt. Et ideo censent, ipsis dandam esse integram medietatem totius Ceræ funeribus quocumque modo inservientis, vigore consuetudinis, quæ in genere probata afficit omnes species traditioni quartæ obnoxias, nisi quoad singulas species concludenter probetur exemptio.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An Basilica Patriarchalis S. Francisci, & Ecclesia S. Antonii Civitatis Assisii vigore consuetudinis persolvere debeant Ecclesiis Parochialibus ejusdem Civitatis quartam funeralem in medietate Cereorum deferendorum occasione Associationis Cadaverum, & ardentium in funeribus explendis in Ecclesiis Sepelientibus?* & quatenus negative.

II. *An, & de quibus Cereis, & in qua quantitate sit præstanda dicta quarta funeralis in casu &c.*

Ad I. Quartam funeralem præstandam esse in medietate omnium Cereorum, & Candelarum juxta Constitutionem Benedictinam subjectarum præstationi Quartæ, & amplius. Ad II. Provisum in antecedenti, & amplius.

FIR-

FIRMANA PAROCHIALIS. Species hujus Causæ descripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 24. Julii, ac rursus in Folio Congregationis habitæ die 21. Augusti superioris anni, qua die proposito Dubio = *An constet de irrationabili Judicio Archiepiscopi, itaut Parochia S. Hieronymi Orticini sit adjudicanda Sacerdoti Dominico Passarini?* = Eminentissimi Patres responderunt = *Affirmative in casu, de quo agitur* = Sed impetrata nova audientia, certamen renovat Cajetanus Moretti, multosque exhibet Testes, & documenta ad confutandos eos, qui a Passarino adducti fuerant in antecedenti propositione, & ad elidendas exceptiones sibi obiectas, quas nonnisi ex quorumdum paucorum hominum astu, & odio iniuria conquisitas suadere conatur, judiciumque Archiepiscopi, & suorum meritorum præponderantiam defendit, duplici potissimum argumento.

Sess.24. cap.18. de Reform.

Primum, quia præter judicium Archiepiscopi, accessit sui favore judicium etiam Vicarii Generalis, qui Concursui, & prælectioni interfuit, quique Institutionem, & possessionem Parochialis tradidit Moretto, ideoque si minus firmum videri posset judicium Archiepiscopi, ratione morbi Apopletici, non esset æque spernendum judicium incolumis Vicarii Generalis, qui jus habet, sicut Episcopus, eligendi digniorem in concursu *Pax jord. elucubr. canon. lib.10. tit.8. num.104. & 105. & Card. de Luca de Paroch.disc.37.num.16.*, & pro illius judicio non minus, quàm pro judicio Episcopi præsumitur, ut de Vicario Capitulari tradunt san. mem. Benedictus XIV. *de Synod.Diœc. lib.4.cap.8.num.10. & Garz. de Benef. par.9. cap.2. num.8.*

Secundo, quia præter acta Concursus, ex quibus resultat præponderantia meritorum ipsius Moretti, nequaquam admittendæ sunt aliæ probationes a Passarino exhibitæ in gradu appellationis; cum san. mem. Benedictus XIV. expresse statuerit in sua Constitutione *Cum illud 68. tom.1. §. 16. n. 6.*, quod in Causis concursuum ad Parochiales Judex Appellationis omnino requirat integram productionem actorum, quodque *in ferenda Sententia, ac reparando gravamine idem Judex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinæ, quàm aliorum meritorum*: & districte prohibuit, *ne attestationes, & fides tam judiciales, quàm extrajudiciales, & documenta quæcumque studiosè conquisita, & post concursum, ut ajunt, expiscata ullo modo recipiantur*.

Et si quæ ratio habenda esset de probationibus a Passarino exhibitis post Concursum, contendit, illis minime probari aliquod ipsius Moretti delictum, quo indignus reddatur controversa Parochiali, quemadmodum requiritur ad retractandum judicium Ordinarii tamquam irrationabile: & assertos defectus, qui in eisdem probationibus enunciantur, nullam mereri putat animadversionem, imò graviores esse illos Passarini a novis Testibus enarratos, & non temere

præ-

præfumendos ex illius præteritione facta ab Archiepifcopo in aliis pluribus Concurfibus, itaut omnino excludatur manifeftus ille, & intolerabilis exceffus, qui requiritur ad irrationabile reddendum judicium Ordinarii, juxta firmata per *Rotam in decif.429. num.19. cor. Anfald.*

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An fit ftandum vel recedendum a decifis in cafu &c.

Recedendum a Decifis.

Seff.21. cap.4. & 6. de Reform.

ASCULANA. Propofita fuit hæc Caufa in Congregatione habita die 21. Augufti fuperioris anni, & refcriptum fuit = *Iterum proponatur* = Reproponitur itaque, & difputat Promotor Fifcalis, inquirendum non effe de Caufis remotionis Emigdii Pomponii a munere Cappellani Curati Caftri Geminiani, folumque judicium Epifcopi fufficere ad illam fubftinendam, cum valeat Epifcopus ex informata confcientia amovere Vicarios Curatos, etiam a Regularibus exemptis deputatos, nulla Superioribus Regularium pandita, vel probata caufa fui judicii, ut approbando Sententiam hujus Sacræ Congregationis fancivit fan. mem. Benedictus XIV. in Conftitutione *Firmandis* 109. *§.*11. *tom.*1.

Et quatenus ad remotionem fubftinendam jufta Caufa requireretur, eam putat non deeffe; tum quia Pomponii Culpæ a pluribus recenfentur Teftibus, ut relatum eft in antecedentibus Foliis, tum infuper quia Pomponius fola facultate audiendi confeffiones præditus erat, non autem ab Epifcopo prævio examine approbatus ad Curam animarum exercendam, prout requiritur etiam quoad hujufmodi Cappellanos, feu Coadjutores, & Vicarios temporaneos a Parochis nominatos, vel affumptos, juxta Conftitutionem *Apoftolici Minifterii* fan. mem. Innocentii XIII. confirmatam a fan. mem. Bunedicto XIII. in Conftitutione *In Supremo* 16.§.11. *poft Concilium Romanum*, & tradit *Brafch. in promptuar. Synodal. cap.*118. *num.*15., ac propterea contra formam dd. Conftitutionum exercere non poterat Curam Animarum, fine approbatione Epifcopi, multoque minus poftquam ab Epifcopo privatus fuerat etiam facultate audiendi Confeffiones.

Contendit pariter, novum Cappellanum Coadjutorem dandum effe Parocho Cardinelli ad electionem Epifcopi, cum ille, in termino per Epifcopum præfinito, recufaverit alium nominare, & affumere idoneum Coadjutorem ab Epifcopo approbandum, cujus opera indiget ob fenectutem, & diffitum in duabus Villis Parochianorum incolatum, ut cavetur in dicta Conftitutione *Apoftolici Minifterii §.*11., & tradunt

dunt *Ventrigl. in prax.For. Eccles. tom.2. adnot.* 13. §. *unic. num.5.*, *& Leuren. de Vicar. tract.2. part.4. cap.4. quæst.348.*. Et censet, nec justam excusationis causam Cardinellio præbuisse, nec vitium attentatorum inducere potuisse citationes Camerales ad illius instantiam exequutas coram hac Sacra Congregatione; quia citationes Camerales nullam inducunt inhibitionem, ubi requiritur citatio specialis a Judice subscripta, juxta declarationem san. mem. Benedicti XIII. *in appendic.13. ad Concilium Romanum super* 1. *&* 2. *Decret. Urbani VIII.* §. *Quia vero*, & quia inhibitiones, aut appellationes quæcumque retardare nequeunt admissionem Coadjutoris dati Parocho inhabili, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.* 21 *cap.6. de Reform.*, & prædictæ Constitutionis *Apostolici Ministerii* §.11. san.mem. Innocentii XIII.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

I. *An sit locus remotioni Cappellani, itaut deveniendum sit ad electionem novi Cappellani Curati?*

II. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda, in casu &c.*

Non proposita cum reliquis.

FIRMANA. Jacobus Bonacci, provisus anno 1742. de Parochiali Ecclesia Castri Cerreti Firmanæ Diœcesis, Domum Parochialem, quam nimis angustam, & pene dirutam invenit, restaurare, & in ampliorem formam redigere aggressus est: empta ad hunc effectum alia Domuncula contermina. Erogavit in eam causam pecunias ab Antecessoris hæredibus acceptas titulo emendationis damnorum, & pretium Arborum incisarum de licentia Ordinarii; nihilominus anno 1755. alia requirebantur scuta 223:65. *per terminare la Fabrica*, juxta Periti Dominici Fontanæ relationem. Alias itaque Arbores vendidit Bonaccius pretio scutorum 36. 50.; & die 12. Augusti 1758. impetravit ab hac Sacra Congregatione facultatem imponendi super bonis Ecclesiæ Censum in sorte scutorum 120., *affinche con li detti scudi 120. possa egli far provista de Materiali necessarii per lo stabilimento di detta Casa, enunciati in detta Perizia, e renderla così abitabile*, ut legitur in precibus. Sed neque pecuniæ Censuales, neque aliæ usque ad summam scutorum 119. 67. comparatæ nova Arborum incisione, satis fuerunt ad opus perficiendum; illoque imperfecto, Bonaccius translatus est ad aliam Parochialem Ecclesiam.

Sess.21. cap. 7. de Reform.

Quare Joseph Santolini in Parochia Castri Cerreti Successor preces obtulit huic Sacræ Congregationi, quibus postulabat,

bat, Bonaccium damnari ad perficiendum Ædificium suis sumptibus, atque ad restituendum pecunias ultra modum acceptas. Vicarius Apostolicus de more auditus retulit, in causam novarum Ædium construendarum Bonaccium percepisse ab Antecessoris hæredibus, & ex pretio incisarum Arborum scut. 450.: alia scut. 27. 70. ex venditione Domus Ruralis cum Horto: & scut. 120. ex Censu de licentia hujus Sacræ Congregationis imposito: quæ omnes pecuniæ simul collatæ ascendunt ad scuta 597. 70. Testatur insuper, his omnibus pecuniis, quas una cum suis Bonaccius contendit erogasse in novas Ædes, ædificium adhuc absolutum non esse, multaque deficere necessaria, præsertim pavimenta, fornices, laquearia, & schalas; nimiæque pecuniarum profusionis Bonaccium arguens, subdit, quod: *licet satis fuisset, ut in empta Domo pavimenta, aliaque exiguæ impensæ opera conficerentur, ex levitate quadam tamen animi ad mœnia dicti Castri Cerreti Parochiales Ædes protendendi, & ne ex somniata deformitate parietes aliqui, tum exteriores, tum interiores, vel parum extra ordinem conspicerentur, sæpedictus Bonacci antiquam Parochialem Domum, & aliam prædictam ab ipso emptam pene diruit, reædificatosque deinde muros evertit, posteaque refecit*, itaut *præsens Parochialium Ædium valor non excedat scut.* 350.

Et revera, Fabrorum Murariorum relationem exhibet Joseph Santolini, qui novas Ædes, antiquis cæmentis comprehensis, æstimarunt pretio scutorum 350.; & alter Peritus testatur, ad illas perficiendas necessariam esse impensam scutorum 140. 54. Quocirca disputat Santolinus, muneri suo defecisse Jacobum Bonacci, relinquendo Ædes imperfectas, & necessariis partibus carentes, post quam ad ejus manus pervenerant exuberantes pecuniæ; præsertim quia anno 1758. accepit Censuales pecunias in summa scut. 120., & annis 1759., & 1760. alia scuta 119. 67. ex nova Arborum incisione, quando in precibus, pro impetranda facultate imponendi Censum, dicto anno 1758. Sacræ huic Congregationi porrectis, ore proprio fassus erat, quod sola scuta 187. 15. satis erant ad opus perficiendum, juxta exhibitam Peritiam Dominici Fontana; & ideo arbitratur, ab eodem Bonaccio restienda esse scut. 247., quia perceptis scut. 597., juxta Vicarii Apostolici testimonium, utiliter erogavit in Domus constructionem sola scuta 350.

Erit itaque ab EE.VV. definiendum

I. *An constet de restauratione Domus Parochialis ad formam Peritiæ, seu Notulæ Dominici Fontana?* & quatenus negative.

II. *An, & quomodo teneatur R.D. Bonacci ad reintegrationem damnorum, in casu &c.*

AME-

AMERINA CAPPELLANIARUM. Franciſcus Maria Titolivii olim Archipresbyter Terræ Alviani Amerinæ Diœceſis in Teſtamento, quod condidit die 18. Novembris 1757., erigi juſſit in Eccleſia Parochiali Alviani quinque Cappellanias, *quali ſiano meramente Laicali, e vita durante del Cappellano*; & in conſtitutione illarum dotis hæc leguntur verba = *Eſſo Teſtatore aſſegna alli medeſimi Cappellani li ſeguenti Beni, per ciaſcun Beneficio. Alla prima Cappellania, o Beneficio, che meramente dichiara Laicale, aſſegna &c.* =. Voluit autem, eaſdem Cappellanias obtineri poſſe a Clericis, etiam ſola Tonſura initiatis, poſt completam tamen ætatem quindecim annorum; & Cappellanis injunxit onus quarundam Miſſarum, ac recitarionis Divini Officii in Choro diebus feſtis: illoſque hortatus eſt, ut Parochum coadjuvarent in adſiſtentia infirmis præſtanda, & in audiendis Confeſſionibus, quoties eſſent ad illas excipiendas approbati. Parocho etiam legavit quædam Prædiola in emendationem damnorum, ſi quæ ipſe attuliſſet Bonis Eccleſiæ, ac in retributionem quorundam onerum ei datorum; & certa reliquit Bona pro ſtipendio Æditui amovibilis eligendi a Cappellanis.

Seſs.22. cap.8. & 9. de Reform.

Unius verò Cappellaniæ erectionem differri juſſit poſt obitum duarum Sororum Monialium, quibus reliquit illius fructus pro livellis; & alias quatuor erigendas eſſe præcepit, poſtquam Hæredes ex fructibus earundem, & ex certis deſignatis Bonis dimiſiſſent omne æs alienum hæreditarium. Demum Hæredes inſtituit Fabianum, & Andream Vicini, ſubdens = *Con condizione però, che non ſiano tenuti, ne poſſino eſſere aſtretti da alcun Giudice, benche Eccleſiaſtico, ne anche dalla Rev. Fabrica di S. Pietro, ad alcuno benche minimo rendimento de conti di detta ſua Eredità, e beni aſſegnati alle dette Cappellanie*; & ad eos, eorumque Hæredes ſpectare voluit nominationem Cappellanorum, *aſſolutamente, e ſenza dipendenza di chi ſi ſia Perſona*: illiſque deficientibus, præcepit, ſortitioni locum eſſe, faciendæ a Cappellanis, & Archipresbytero ſimul, cum prælatione Conſanguineorum.

Aliud Teſtamentum condidit idem Franciſcus Maria die 8. Maii 1759., in quo revocata quacumque præcedenti diſpoſitione; iterumque ſcriptis hæredibus dictis Fabiano, & Andrea Vicini, non amplius quinque, ſed tres inſtituit Cappellanias, certa cuique Bona in dotem adſignando: hac addita declaratione = *Ma prima di venire all'iſtituzione di eſſe, eſpreſſamente, e ſolennemente ſi proteſta, che le dette Cappellanie da iſtituirſi, come ſi dirà in appreſſo, abbenche ſi chiamino Cappellanie, niente di meno altro non ſiano, che una mera, e ſemplice opera pia Laicale, col peſo della celebrazione di Meſſe da adempirſi dalli Cappellani, che nominaranno li ſuoi infraſcritti Eredi, come in appreſſo; quali Cappellanie non s'intendino fondate in titolo di Beneficio Eccleſiaſtico, o collativo, ma*

sempre debbino essere reputate per mero legato, e opera pia laicale, & ad instar legati pii laicalis per celebrazione di Messe, ed altri pesi, che si dirà in appresso; tantoche non siano mai, nè sotto qualunque pretesto, o quesito colore, soggette all'Ordinario, o altro Superiore Ecclesiastico, e molto meno alla vacanza in Curia, o regola della medesima, del che espressamente si riprotesta, perche così &c., di modo che &c.

Duos ipse nominavit Cappellanos; omnibusque suis, suorumque Hæredum Consanguineis prælationem dedit in Cappellaniarum assequutione, quoties digni reperirentur, & essent Ecclesiasticis, bonisque moribus præditi, atque in ætate undeviginti annorum constituti. Suffragari quoque voluit Cappellanias pro titulo requisito ad Sacros Ordines suscipiendos iis Cappellanis, qui non forent de Beneficio Ecclesiastico provisi. Et Sacro Presbyteratus Ordine per aliquem non suscepto post completam ætatem viginti sex annorum, jussit, in locum ejusdem deveniendum esse ad electionem alterius Cappellani: ea ratione = *Essendo precisa volontà di esso Signor Testatore, che queste tre Capellanie mere laicali siano di stimolo, e motivo di far dimorare tre Sacerdoti di più in questa sua Patria, per maggior gloria di Dio, e profitto delle Anime nella divozione.*

Onus personalis residentiæ in Terra Alviani Cappellanis injunxit, addiditque obligationem celebrationis quarundam Missarum in certo Oratorio, vel in Ecclesia Parochiali; illosque hortatus est, ut assisterent Choro, aliisque sacris Functionibus in Parochiali explendis, utque Sacramentales exciperent Confessiones, & incumberent saluti Animarum, eas coadjuvando in spiritualibus indigentiis. Et iterum decreta pertinentia juris nominandi ad suos Hæredes, illorumque Descendentes, & Successores in infinitum, prosequitur = *In caso poi di vacanza di esse Cappellanie, o per causa di morte, o rinunzia, da farsi a favore però delli miei Eredi, e non altrimenti &c., o per altro accidente, benche non pensato, e quì non espresso, ordina, vuole, e commanda, che fin tanto non sarà nominato altro Cappellano, debbano li miei Eredi infrascritti far custodire, e coltivare li beni di dette Cappellanie, o opera pia, e prendersi il fruttato di esse, con far celebrare qualche Messa nell'Oratorio sudetto a loro beneplacito, in suffragio dell'anime di esso Testatore, e suoi &c., perche così &c., e non altrimenti &c.*

Et hanc dispositionem *delle sudette tre Cappellanie mere laicali, o siano opera pia*, effectum habere voluit post elapsos octo annos a die sui obitus, ut interea dimitterentur debita hæreditaria ex fructibus earundem, *ed anche colla vendita di qualche stabile, o semovente della sua Eredità, il tutto a beneplacito di detti suoi Eredi, perche così &c., e non altrimenti &c.*. Ac demum subdit = *Dichiara in oltre esso Signor Testatore, che se mai non potesse aver luogo, ed avere l'intiero effetto questa*

sua

sua pia disposizione delle sopradette tre Cappellanie, per qualche violenza de' Creditori, che non volessero aspettare la sodisfazione de' loro Crediti, o per qualunque altro accidente, e caso, che si potesse mai dare, e quì non espresso, e che necessariamente dovesse esprimersi: ordina, vuole, ed espressamente esso Signor Testatore commanda, che tutto il suo avere, e tutta la sua Eredità, con il peso anche di tutti li suoi debiti, restino devoluti assolutamente agl'infrascritti suoi Eredi, con obbligo però di fare qualche bene per suffragio dell' Anima di esso Testatore, e suoi &c., a loro beneplacito, ed arbitrio, perche così &c., e non altrimenti &c,

Post Testatoris obitum, preces obtulit huic Sacræ Congregationi Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis, postulans, ut certa præscriberetur forma servanda in exequutione hujus piæ voluntatis. Et Episcopus de more auditus, precibus adhærens sui Promotoris Fiscalis, suspectum judicat postremum Testamentum; tum quia conditum fuit, postquam Testator morbo apopletico correptus amplius præsumi non poterat sui compos; tum etiam quia duo Testes affirmant, & ipse quoque testatur, audivisse ab altero ex Hæredibus, quod meditabatur Testatorem inducere ad commutandum primum Testamentum; & altera Muliercula deponit, revera de consilio Hæredis primum Testamentum fuisse a Testatore mutatum. Censet propterea, spernendam esse protestationem laicalis qualitatis Cappellaniarum in eodem postremo Testamento emissam, & Cappellanias erigendas esse in titulum Ecclesiastici Beneficii; cum Beneficii naturæ conveniant nomen Cappellaniarum: illarum præordinatio facta in Testamento, & a Persona Ecclesiastica: perpetuitas volita ad vitam Cappellani: destinatio earumdem in titulum ordinationis Cappellanorum: Clericorum vocatio ad illarum fruitionem, cum prælatione digniorum: onera spiritualia illis adnexa: & præscripta Cappellanorum residentia.

Contendit præterea, cohibendam esse nimiam libertatem Hæredibus datam a Testatore, circa erogationem fructuum Cappellaniarum in dimissionem æris alieni, & circa substitutionem favore Hæredum purificandam in casu impeditæ erectionis Cappellaniarum; immo putat servandam non esse legem Testamenti, qua Testator voluit ad Hæredes spectare fructus Cappellaniarum vacantium usque ad nominationem alterius Cappellani. Quocircà ad evitandas fraudes, tria postulat ab hac Sacra Congregatione declarari: primum, quod Hæredes teneantur Bonorum hæreditariorum rationem reddere, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.22. cap.9. de Reformat.*: secundo, quod deveniatur ad deputationem Æconomi pro eisdem Bonis in futurum administrandis: & tertio, quod vacantibus Cappellaniis, terminus præfigatur Hæredibus ad nominandum Cap-

Cappellanum, ut elapso termino valeat Episcopus Cappellanum eligere, Hæredumque contumaciam supplere. Demum arbitratur, ex fructibus Hæreditatis subministrandas esse Promotori Fiscali expensas hujus litis, quam differit assumptam fuisse in utilitatem Cappellaniarum erigendarum.

Excipiunt tamen Hæredes, improvidè objici postremo Testamento morbum apopleticum a Testatore passum: quia Testator eo morbo correptus fuerat de mense Septemb.1757., & ideo nec primum Testamentum subsistere posset, si Testatoris imbecillitas inde præsumenda foret, sed integra hæreditas ad ipsos spectaret jure intestatæ Successionis, uti proximiores Cognatos. Et autumant nullo in pretio habendos esse Testes a Promotore Fiscali enunciatos; quia nec incidenter irritandum est Testamentum, nec ad illud irritandum sufficiunt Testes, qui non sunt formiter examinati, quique nihil deponunt, quod viribus Testamenti officiat. Et supposito Testamento, ad illius tramites exequendam esse contendunt voluntatem Testatoris, nec permittendam esse Episcopo ejusdem eversionem; præsertim, cum non solum in postremo Testamento, sed etiam in primo Testator professus sit, velle erigere Cappellanias mere laicales, exclusa Ordinarii authoritate, sine qua dari non potest Beneficium Ecclesiasticum, ut censuit hæc Sacra Congregatio *in Urbinaten., seu Ariminen. Cappellaniæ 3. Februarii 1753. lib. 103. decret. pag. 46.*, & dixit *Rot. in dec. 1030. num. 8. & 15. cor. Lancetta*.

Illiberalem quoque reputant objectam suspicionem fraudis; cum ipsi nil egerint, quod piæ Testatoris dispositioni adamussim non cohæreret, immo expressè declaraverint, paratos se esse illius voluntatem exequi ad formam Testamenti. Et expensas litis disputant subeundas non esse ex fructibus Hæreditatis a Promotore Fiscali, cum ille non ad exequendam, sed ad destruendam Testatoris voluntatem, litem susceperit.

Placeat itaque EE.VV. definire

I. *An Cappellaniæ per Archipresbyterum Titolivii institutæ sint per Ordinarium in Beneficium Ecclesiasticum collativum erigendæ?* & quatenus negative.

II. *An, & quomodo consulendum veniat subsistentiæ dd. Cappellaniarum?*

III. *An sit locus subministrationi Expensarum ex fructibus Bonorum pro prædictis Cappellaniis assignatorum, in casu &c.*

FA-

FAVENTINA COADJUTORIÆ. In Oppido Brixichellæ Diœcesis Faventinæ anno 1601. san. memor. Clemens VIII. in Collegiatam erexit Ecclesiam Parochialem S. Michaelis, in ea instituendo unam Præposituram Dignitatem inibi principalem, unum Archipresbyteratum secundam Dignitatem cum Cura Animarum, & novem Canonicatus: sex nempe Presbyterales, & liberæ collationis: tres autem Jurispatronatus; eidemque Collegiatæ univit alteram tunc vacantem Ecclesiam Parochialem S. Joannis Baptistæ Plebis Octavi, in Agro Oppidi sitam, quæ annuos habebat reditus quadringentorum ducatorum auri de Camera. In Literis autem Apostolicis hujus Erectionis, & Unionis enunciatur in proœmio Supplicantium narrativa, quod hac Erectione *Cura Animarum in eisdem Ecclesiis S. Michaelis, & S. Joannis Baptistæ nullatenus negligeretur, immo melius, & fructuosius exerceretur*; & tria præcipuè statuuntur, quæ pertinent ad hodiernam quæstionem.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

Primùm, quod in dicta Plebe Octavi constitueretur Vicarius perpetuus a Capitulo novæ Collegiatæ nominandus, *qui eidem Ecclesiæ S. Joannis in Divinis deserviat, Curamque Animarum illorum Parochianorum pro tempore existentium exerceat*: assignato illi pro congrua substentatione annuo stipendio scutorum centum, præter emolumenta Curæ ascendentia ad alia scuta triginta circiter quolibet anno.

Alterum, quod singuli Canonici liberæ collationis *dictum Vicarium pro tempore existentem, in dictæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, cui plurimarum Animarum Cura, ut etiam asseritur, incumbit, servitio, Missarumque celebratione per hebdomadas, vel singulos menses, alternatim, prout ipsis melius videbitur, coadjuvare omnino teneantur*, cum participatione tamen quotidianarum etiam distributionum Ecclesiæ Collegiatæ, perinde acsi Divinis Officiis in ea interessent, & cum facultate, ut *unam, vel duas Stantias, seu Cameras in ipsius Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Ædibus Parochialibus, pro eorum habitatione, usu, & commoditate habere, & retinere, inibique diu, ac noctu, prout eis placuerit, commorari, possint, & valeant*.

Tertium autem, quod *propter unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi, prædictæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, & S. Leonardi* (altera est Ecclesia pariter unita) *debitis non fraudentur obsequiis, & Animarum Cura in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistæ nullatenus negligatur, sed ejus, & dictæ Ecclesiæ Sancti Leonardi congrue supportentur onera consueta*.

Literas Apostolicas hujusmodi, die 7. Julii 1603., plene verificatas fuisse, & exequendas esse, decrevit Episcopus Brictinoriensis Exequutor deputatus in aliis Literis ejusdem Summi Pontificis. Et Capitulum novæ Collegiatæ ad hæc usque tempora pacificè fruitur reditibus unitæ Plebaniæ S. Joannis Baptistæ. Sed Vicarius, illius olim regimini præpositus, putans, a Canonicis æquè diligenter non adimpleri

pleri injuncta onera, die 5. Julii 1687. sententiam obtinuit coram A.C. Cavallerino, qua declaratur, Canonicos liberæ collationis teneri, & obligatos esse *Vicarium perpetuum dictæ Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ in servitio Curæ Animarum, Missarumque celebratione per hebdomadas, vel singulos menses alternatim adjuvare, & inservire, ad formam dd. Litterarum Apostolicarum san.mem.Clementis VIII.*

Eandem controversiam cum renovare meditarentur Parochiani, fuit a Canonicis Monitorium expeditum coram A.C., quo se exemptos affirmabant a quocumque servitio dictæ Ecclesiæ unitæ præstando, excepta Missa per Presbyterum ab ipsis deputatum celebranda in eadem singulis diebus Dominicis, & Festivis. Sed Causa ex decreto R. P. D. Auditoris SSmi delegata fuit huic S.Congregationi; & datis de more Literis ad Episcopum, is rationes utriusque Partis referens, votum suum minimè aperuit. Et Canonici disputant, supra relata verba Literarum Unionis, quod ipsi tenerentur Vicarium coadjuvare in Ecclesiæ *servitio, Missarumque celebratione*, non de Cura Animarum intelligenda esse, sed de Ecclesiasticis Functionibus, in quibus potissimum versatur servitium Ecclesiæ, & officium Canonicorum, qui licet habeant habitu Curam Animarum, nequeunt tamen se immiscere in illius exercitio, *Laur. de ætat. ad Benefic.req. cap.16.*

Eo magis, quia Vicario injunctum fuit onus non solius Curæ, sed etiam servitii *Ecclesiæ in Divinis*, ad quod congruè referri potest obligatio Canonicorum: & quia facultas ipsis Canonicis indulta inhabitandi in Ædibus Parochialibus, *prout eis placuerit*, repugnat qualitati Coadjutoris in Cura Animarum, qui non facultative, sed necessario residere tenetur, ut notant *Moron.respons.67.num.3. & seq., & Rota in Tarraconen. juris residendi 15.Martii 1734. §.3. cor.bon.mem. Harrac.*

Et licet in supra memorata obligatione coadjuvandi Vicarium in servitio Ecclesiæ, adjecta immediatè legantur verba = *cui plurimarum Animarum Cura, ut etiam asseritur, incumbit* =; nihilominus censent, hæc verba haud indicare qualitatem servitii in Animarum Cura, sed potius superaddita fuisse ad designandam causam, qua Vicarius distractus in exercitio Curæ alieno indigebat auxilio in Ecclesiasticis Functionibus pro servitio Ecclesiæ. Vel putant nullam rationem habendam esse de his verbis, cum non fuerint repetita in posterioribus Literis, quibus san. mem. Clemens VIII. anno 1602. in Exequutorem delegavit Episcopum Brictinoriensem, & anno 1603. moderatus est quantitatem redituum assignatam quibusdam novæ Collegiatæ Præbendis.

Nil etiam relevare contendunt narrativam proæmii de *fructuosius* exercenda Cura Animarum; tum quia a Supplicantium

tium ore promanat; tum insuper quia respicit utramque Ecclesiam S. Michaelis, & S. Joannis Baptistæ, ideoque efficax magis esse non debet pro Ecclesia S. Joannis Baptistæ, quàm pro Ecclesia S. Michaelis, in qua Canonici nullum habent onus coadjuvandi Archipresbyterum in Cura Animarum. Minusque officere autumant Sententiam A.C.Cavallerini; nedum quia expressam continet relationem ad Literas Clementis VIII., & proinde nequit inducere onus in dictis Literis non impositum; sed etiam quia lata fuit dicta Sententia die 5. Julii 1687., post quam die 26. Martii ejusdem anni stipulata fuerat transactio a Vicario cum expressa renunciatione liti; ideoque substineri non posse arbitrantur, Sententiam latam contra formam transactionis, & absque nova citatione personali Canonicorum post transactionem necessaria, ut firmat *Vbert. de Citat. cap. 7. num.* 213.

Addunt denique longam centum sexaginta annorum observantiam; cum ab ipsis primordiis sequutæ unionis anno 1605. Parochiani conquesti sint apud Vicarium Generalem Faventinum de neglecta a Canonicis, non cura Animarum, sed Missarum celebratione; & successivis temporibus decies renovatæ fuerunt similes querelæ ab anno 1651., usque ad annum 1724., ut constat ex Libris Capitularibus, & ex Epistola clar.mem. Cardinalis Piazza olim Episcopi Faventini. Insuper, cùm anno 1635. Canonici impetrassent a san.mem. Urbano VIII. indultum suspensionis Vicariæ ad quindecim annos, prorogatum inde ad alios quinque annos a san. mem. Innocentio X., ad effectum illius reditus erogandi in solutionem quindenniorum, quæ tunc usque non solverant Rev. Cameræ Apostolicæ, in Literis Apostolicis desuper expeditis provisum fuit, quod Cura Animarum intereà exerceretur per Canonicum ab Episcopo approbandum; qua approbatione non indiguissent Canonici, si omnibus incubuisset exercitium Curæ, ad tradita per *Rigant.ad regul.57.Cancell. num.59.,& Piton. disceptEccles.104. num. 36.*

Prætereà constat ex libris Parochialibus, ab anno 1603., quo sequuta est unio, usque in præsens frequentissime administrata fuisse Sacramenta ab aliis Presbyteris in munere Cappellani, Provicarii, aut Vicesgerentis, raro autem a Canonicis, quorum unus dumtaxat Coadjutorem se inscripsit, postquam tamen de Vicaria provisus Canonicatum dimiserat. Et duodecim afferuntur grandævi Testes deponentes, semper vidisse, & audivisse a Majoribus, quod Canonici numquam coadiuvarunt Vicarium in Cura Animarum, & in Ecclesiasticis Functionibus, quodque solum deputare consueverunt Presbyterum, qui Missam celebraret in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistæ diebus festis: & unus testatur, se fuisse deputatum a Capitulo pro celebratione Mis-

 sa-

ſarum, a Vicario autem pro aſſiſtentia Curæ. Et ideo arbitrantur Canonici, etiam in poſterum a Vicario conducendum eſſe Cappellanum ſuis ſumptibus, cum obſervantia interpretativa declaret, hoc onus ipſis datum non fuiſſe.

Parochiani tamen defendunt, ſatis claram eſſe legem indictam a ſan. mem. Clemente VIII., quod Canonici coadjuvarent *Vicarium pro tempore exiſtentem in dictæ Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ, cui plurimarum Animarum Cura, ut etiam aſſeritur, incumbit ſervitio, & Miſſarum celebratione*; & eiſdem verbis opinantur, Pontificem intellexiſſe, non ſolum Canonicis imponere onus inſerviendi in celebratione Miſſarum copulative expreſſa, ſed etiam in exercitio Curæ Animarum primo loco enunciatæ. Præſertim quia, antequam unio exequutioni mandaretur per ſententiam ab Exequutore latam die 7. Julii *1603.*, in Eccleſia S. Joannis jàm aderat Cappellanus Coadjutor, ut colligitur ex partitis Librorum Parochialium exhibitis a Capitulo, ubi ſub die *19.*Februarii *1603.* deſcribitur Baptiſma miniſtratum *da me D. Ortenzio Valle*, qui in aliis partitis enunciatur Cappellanus; & propterea cum in Literis Apoſtolicis expreſſe caveatur, quod per unionem Cura Animarum nullatenus negligatur, ſed congrue ſupportentur onera conſueta; exinde infertur, quod in præcedentibus verbis Summus Pontifex voluerit Canonicos obligare ad coadjuvandum Vicarium in Cura Animarum in munere Coadjutoris, cujus retentio erat onus conſuetum Eccleſiæ.

Id etiam ſuaderi contendunt ab indulta perceptione diſtributionum in abſentia, cum eas apprimè lucrentur ii, quibus imminet Cura Animarum, ut cavetur in Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.22. cap.3. de Reform.*, & definivit hæc Sacra Congregatio *in Montis Regalis Diſtributionum 6. Decembris* 1732. *lib.*82. *Decret. pag.*580.: & ex aſſignatione Cubiculorum in Ædibus Parochialibus, cum facultate in eis manendi diu, noctuque, quod minime neceſſarium fuiſſet pro ſola celebratione Miſſarum: & clarius ex Sententia A. C. Cavallerini lata anno *1687.*, cui nihil officere putant aſſertam vitalitiam tranſactionem cum Vicario Thoma a Valle ſtipulatam;, cum hæc videatur reſpexiſſe intereſſe congruæ, & uſum quorundam Bonorum, nec ſatis pateat, ex defectu exhibitionis libelli, ſub generico pacto renunciationis liti in Urbe introductæ veniſſe onera Canonicorum ſuper celebratione Miſſæ, & aſſiſtentia Curæ Animarum favore Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ, per ipſos adimplenda.

Nec obſtare, immo prodeſſe autumant obſervantiam, qua conſtat, pluries Cappellani, & aliquoties etiam Canonicorum auxilio adjutum fuiſſe Vicarium in exercitio Curæ; & cum non conſtet, Cappellanos conductos fuiſſe ſumptibus Vicarii, cenſent præſumendum eſſe, deputatos fuiſſe a Ca-

Canonicis, quibus hoc onus injunctum fuerat in Literis Unionis, & qui aliquando hoc munus obiverunt etiam per se ipsos: itaut his actibus rectè induci potuerit observantia interpretativa, quæ non requirit continuationem, & actuum uniformitatem, *Rota in decis. 966. num. 20. coram Molines*. Penitusque spernendos esse contendunt Testes Canonicorum, cum excludant etiam onus coajuvandi in Divinis, quod nec ipsi Canonici modò impugnant; itaut Testes videantur magis de abusu deponere, quàm de consuetudine, quæ cæteroquin nullius dicitur roboris, uti interrupta Parochianorum querelis, adversus Canonicorum reluctantiam in adimplendo omnia onera ipsis imposita, sæpe sæpiùs repetitis.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sex Canonici liberæ collationis Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Brixichellæ teneantur coadjuvare Vicarium Curatum Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ Plebis Octavi in exercitio Curæ Animarum, seu potius teneantur dumtaxat eundem coadjuvare in sola celebratione Missarum diebus Dominicis, & Festis, in casu &c.

MURANA IRREGULARITATIS. Sacerdos Januarius Pacella de Oppido Balvani Muranæ Diœcesis, die 18. Februarii 1755., se contulit cùm Ministris Curiæ ad Prædium Octavii Passanante sui Debitoris, ad effectum exequendi super illius Vaccis mandatum pro suo Credito obtentum in Curia Laìcali. Et cum Petrus Passanante Debitoris filius, ab earum Custode accersitus, e vicina Domo erupisset securi armatus, & post conatus interpositos pro impedienda pignoris captura, in Sacerdotem Creditorem irruens, necem ei minaretur, nec illius hortationibus, aut Uxoris, & Sororis conatibus induci potuerit, ut sisteret gradum, & iram deponeret; Sacerdos Pacella, ad vitandam instantem mortem, aggressorem prævenit, & ictu Sclopi, quem parvis onustum globulis pro usu venationis Perdicum deferebat, illum interfecit.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

Post patratum homicidium, idem Sacerdos adivit sponte sua Curiam Episcopalem Muranam, a qua in Carceribus prius, inde in Palatio Episcopali quatuor circiter annis detentus, tandem fuit definitiva Sententia declaratus irregularis *ob relatum homicidium casuale*, & in pænam Exilii a Diœcesi per quinquennium damnatus, salva tamen facultate Episcopi injunctam pænam moderandi. Preces idcirco obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO Sacerdos Pacella, quibus supplicabat pro dispensatione ab irregularitate; & de-

& delegata huic Sacræ Congregationi ejusdem postulationis notione, fuit de more auditus Episcopus, qui retulit, Oratorem culpa quidem non vacare, ob incessum cum Ministris Curiæ pro exequendo mandato, quod Viro Ecclesiastico illicitum, & indecorum erat, sed homicidium perpetrasse urgente necessitate ad tuendam propriam vitam, ideoque dignum videri petita dispensatione: præsertim cum ab occisi Uxore veniam, & pacem impetrasset. Nihilominus Oratoris preces bis rejectæ fuerunt in Congregatione habita die 24. Novembris 1759., & in altera Congregatione habita die 17. Januarii 1761., edito consueto rescripto = *Lectum* =.

Tertio nunc redit Orator; & exhibito processu compilato in Curia Episcopali, probare contendit, Petrum Passanante occidisse ad vitandam instantem mortem, quam ille minabatur, erectam manibus deferens securim, ut de visu deponunt quinque Testes in processu examinati, quorum alter insuper affirmat Oratorem Sclopum exonerasse *perche era ridotto vicino ad un vallone per non morire ammazzato lui*: & alter testatur, quod Orator fugiendo fuisset securi percussus ab insequente aggressore. Et opinatur, eo magis homicidium referendum esse ad causam defensionis propriæ vitæ, tum quia ipse miti ingenio præditus Petrum Passanante, quoad potuit, exoravit, ut sisteret gradum, & ad illius mulciendam iram præcepit Exequutoribus, ut captos Boves relinquerent: tum quia idem Petrus Vir ferox, & solitus exequi minas, nec hortationibus Oratoris, nec Sororis, & Uxoris conatibus contineri potuit, & properabat versus Oratorem, cum securi erecta, minas proferens illius deliberatæ necis, ut præter supradictos Testes deponunt de auditu alii plures pariter in processu examinati.

Differit propterea, se nullam incurrisse irregularitatem, ob homicidium patratum ad propriam defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut statutum est *in clem. unic. de homic.*. Et licet Sacrum Concilium Tridentinum *in sess.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.* decernat, quod *si homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, & dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur: committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu Viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, ac probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit;* nihilominus putat Orator, dispensationem ad formam Sacri Concilii necessariam esse, in homicidio patrato ad propriam defensionem, quando servatum non fuit moderamen inculpatæ tutelæ, secus autem si hujusmodi moderamen adhibitum fuit, ut tenent *Anaclet. in jus Canon. lib.* 5. *tit.* 12. §. 4. *num.* 147., *Barbos. de Offic. & potest. Episc. alleg.* 39. *num.* 54., *Corrad. in prax.*

dis-

dispens. lib.5. cap.1. num.11. & 13., *& Pignatell. consult. canon.80. tom.7.*

Neque autumat, culposum dicendum esse homicidium in causa, ob delationem Sclopi, & associationem Ministrorum Curiæ; tum quia sclopi delationem ad usum venandi non esse Clericis illicitam, firmat *Rota in decis.2. num.28. de vita,& honest.Clericor. coram Falconer.,& decis.263.num.40. tom.3.cor.Sm̃o*: & Ministrorum associationem pro exequendo Mandato necessariam fuisse, referunt Testes, ut indicare posset Vaccas sui Debitoris cum aliis commixtas, quas tamen nec ipsum Oratorem novisse asserit illarum Custos, qui fuit pro illis indicandis requisitus; tùm insuper quia, nec delatio sclopi ad usum venationis, nec associatio Ministrorum Curiæ illicita erat ratione periculi homicidii, & ideo homicidium dici nequit culposum in causa, cum ad hunc effectum requiratur, quod causa sit præordinata ad homicidium, & prohibita ratione periculi homicidii, alioquin hujusmodi causam præstans non sit irregularis, etiamsi daret operam rei illicitæ, ut tenent *Faguan. in Cap. Ad audientiam num.33. de homicid.*, *& Monacell. formul. legal. tom.2. tit.13. form.3. num.34.*, qui tamen putat necessariam esse dispensationem Episcopi.

Ac demum defendit, saltem locum esse dispensationi, vel ad cautelam, vel absolute; quia homicidium, etiamsi cum excessu inculpati moderaminis fuisset commissum, non tamen fuit voluntarium, & non levem pœnam ipse hactenus tulit spatio octo annorum, prius in carceribus mancipatus, inde exulando; præsertim cum obtinuerit veniam, nedum ab Uxore, sed etiam a Patre Occisi, & agatur non de promovendo, sed de jam promoto ad Presbyteratum, quo casu facilius conceditur dispensatio, ad tradita per *Faguan. in Cap. Henricus num.34., & 41. de Cleric. pugnant. in duello*, *& Piton. discept. Eccles. 154. num.22.*: & hæc Sacra Congregatio in simili casu dispensationem indulsit ad Cautelam in *Papien.* 18. *Maji* 1726. *lib.76. Decret. pag.255.*

Ponderandum tamen, utrum de incursu in irregularitatem differere possit Orator, quousque in suo congruo judicio revocata non fuerit Sententia declaratoria incursus in irregularitatem, ipsumque damnans in pœnam Exilii, juxta Responsum in similibus circumstantiis datum ab hac Sacra Congregatione *in Dertonen. Irregularitatis die* 8. *Maji* 1756. *lib.106. pag.131*: & an dispensationem petere valeat, ante expletam quinquennalem pœnam exilii, vel obtentam illius absolutionem, de qua hactenus doctum non fuit.

Quibus perpensis dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An constet de irregularitate?* Et quatenus affirmative.

II. *An & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.*

LEO-

Sess. 25. cap. 7., & 9. de Regular.

LEODIEN. VISITATIONIS. In Hospitali S. Jacobi Oppidi Tungrensis nonnullæ degunt Moniales Regulam S. Augustini profitentes, quas anno 1247. san. mem. Innocentius IV. suscepit sub protectione Sanctæ Sedis, aliisque privilegiis ornarunt san. mem. Leo X., & Hadrianus VI., qui suis Literis Apostolicis expeditis anno 1522., certam statuens normam in futurum servandam pro recto dicti Hospitalis regimine, sancivit, quod Prioris electio, ac Fratrum, & Sororum admissio spectaret libere ad ipsos Fratres, & Sorores: *Confirmatio vero electionis Prioris hujusmodi, quoties celebrata fuerit, ad Decanum pro tempore existentem, & dilectos Filios Capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis ejusdem Oppidi pertineat &c.: dictusque Decanus pro tempore existens in solidum præfati Hospitalis Visitator existat, & illud visitare valeat.*

Hujusmodi Apostolico privilegio fretus hodiernus Decanus Capituli Tungrensis, die 29. Julii 1758., præfatum Hospitale, Monialiumque Conventum visitavit, cum duobus a se delectis Canonicis, & Notario: totidemque Sociis assumptis die 22. Decembris 1759. interfuit electioni Superiorissæ, spreta contradictione trium Monialium, quæ idcircò recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, postulantes circumscriptionem tum visitationis, tum electionis prædictæ, ea præsertim ratione, quod in Statutis Ecclesiæ Leodiensis non solus Decanus, sed totum Capitulum Tungrense decoratur jurisditione Archidiaconali, & ordinaria in omnes Ecclesias illius Archidiaconatus, & *Decani Officium est, una cum Deputatis à Capitulo, easdem Ecclesias, & Cappellas visitare, inque eas omnem jurisdictionem exercere.* Istique recursui favere videtur Officialis Leodiensis de more auditus.

Verum Decanus, cui septem adhærent Canonici, & sex Moniales, contendit, præfatum Statutum, de visitatione explenda cum Deputatis Capituli, intelligendum esse de Ecclesiis, & Monasteriis illius Ordinariæ jurisdictioni subiectis, non autem de Hospitali S. Jacobi, quod uti susceptum sub protectione S. Sedis est exemptum; cum in hujusmodi Locis exemptis, quæ nullo medio subsunt Sanctæ Sedi, soli Episcopo data sit facultas visitandi jure delegato, ut cavetur *in clement. attendentes 2. de Statu Monac.*, & in Sacro Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 9. de regular.*, & propterea contendit, non Statutum, sed specialem delegationem Hadriani VI. sequendam esse, *ut Decanus pro tempore existens in solidum præfati Hospitalis Visitator existat, & illud visitare valeat*; ejusdemque delegationis vigore sibi licere autumat, assumere Convisitatores, quemadmodum licet Episcopo ad formam Sacri Concilii Tridentini *sess. 6. cap. 4. de Reform.*

Præsertim quia Suffraganeus Leodiensis Generalis Diœcesis Visitator anno 1619. Hospitale visitavit, assumpto Decano

uti

uti ejusdem Hospitalis olim *Visitatore deputato*: & Decanus Voets, *uti Visitator in solidum a Sede Apostolica deputatus*, anno 1683. visitavit Hospitale prædictum, non cum Deputatis Capituli, sed cum Sociis a se assumptis, quos etiam substituit ad visitandam Ecclesiam: similemque peregit visitationem Hospitalis, cum sociis suo arbitrio assumptis, anno 1726. Decanus Closar, *ea in qualitate a Sede Apostolica Xenodochii S. Jacobi in Oppido Tungrensi in solidum Visitator deputatus*: nec aliter se gessit antecessor Decanus Requile, qui anno 1739., uti solus Visitator, & Commissarius Apostolicus, assumptis duobus Canonicis, & Notario, nonnulla edidit decreta a Monialibus observanda: imò Capituli Deputati anno 1706. & 1716., cęteras licet visitaverint Ecclesias, & Loca Pia, nequaquam visitarunt Hospitale S. Jacobi, sicut reliqua loca exempta ab illis non visitantur, ut testatur Secretarius Capitularis, qui aliquando deputatus fuit ab Emo Episcopo Leodiensi pro eorundem Locorum exemptorum visitatione. Disputat enim, his actibus nedum probari vigentem observantiam Literarum Hadriani VI., sed etiam inductam esse consuetudinem, cujus vigore acquiri posse a Decano jus visitandi supponit Sac. Concilium Tridentinum *sess.24.cap.3. de Refor.*, ubi jubet a Decanis, assumpto notario de consensu Episcopi, per se ipsos tantum explendam esse visitationem, & tradit *Barbosa ibidem num.9.*, *& de officio, & potestate Episc. part.3. allegat.73. num.22.*

Et censet non adversari antiquiores actus a Monialibus productos; cum præcesserint Bullam Hadriani VI., & non respiciant Visitationem: minusque officere visitationes a Deputatis Capituli peractas annis 1740. & 1749., quia prima respicit solam Ecclesiam, & est actus unicus, adversus secundam autem solemnem protestationem emisit Decanus pro suorum jurium præservatione, qua stante contradictione tollitur efficacia contrariorum actuum, ut dixit *Ror. cor. Molin. decis.710. num.23.*. Potissimum quia Capitulum, & Moniales videntur agnovisse facultatem Visitandi Decano competentem; dum eodem anno 1749. sese opponentes cuidam cessioni juris visitandi a Decano Requile attentatæ, illum in protestationibus prædicarunt, ob qualitatem Decanalem, Conventus religiosarum Hospitalis a S. Iacobo Superiorem, & Visitatorem a Sancta Sede datum, & deputatum, enixe conquisita etiam ejusdem cessionis revocatione mediante stipulatione concordiæ, cujus meminit *Rota in Leodien. Spolii super recessibus Capitularibus 10. Aprilis 1761 §.7. coram Rmo P. D. Decano, & 28. Junii 1762.§.7. coram R. P. D. Riminaldo*. Vel saltem opinatur, contrarios actus, si quoquo modo probant jus visitandi in Capitulo, nequaquam excludere quoad Decanum competentiam æqualis juris, cum illud possit ad plures cumulative spe-

cta-

ctare, ad firmata per *Rotam coram Molin. decis 76. num.* 11., & 12., & *cor. Tanara decis.97. num.5. & seq. tom.1.*

Validam quoque judicat electionem Superiorissæ, cum sua suorumque Deputatorum assistentia, sequutam anno 1759., cum Ordinarius, cujus ipse fungitur munere in dicto Hospitali, non solum interesse possit similibus electionibus, & Vota colligere, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.25. cap.7. de Regular.*, sed etiam secum ducere Ministros ad hunc actum necessarios, ut de Vicario, & Secretario tradit *Sperell. decis.161. num.1. in fin.*, & de Cancellario censuit hæc Sac.Congregatio *in Tyburtina 16. April.1727. lib.77. Decretor. pag. 139.*; præsertim cum similes electiones coram Decano celebratæ fuerint anno 1626., & annis 1738., & 1756., in quibus intervenerunt etiam duo Canonici, & Notarius assumpti a Decano: & hanc esse inconcussam observantiam testantur quatuor Canonici, & Scholasticus ipsius Capituli Tungrensis. Nec obstare arbitratur facultatem confirmandi Priorem Capitulo tributam in Literis Hadriani VI., quia canonica non est electio Prioris, cum hic non sit Regularis, solumque præsit spirituali, & œconomicæ Curæ Monasterii: minusque subdit de nullitate redargui posse electionem sequutam in persona antecedentis Priorissæ, quia Monasterium Tungrense extra Italiam existit, & Clausuræ leges non servat, & ideò quoad ipsum allegari nequit Constitutio *Exposcit debitum* 80. san.mem.Greg.XIII. de triennali officio Abbatissarum in Italia non prorogando: Atque demum contendit, audientiam denegandam esse Monialibus recurrentibus, cum reliquæ Moniales capitulariter congregatæ hanc litem assumere recusaverint.

Sed Moniales recurrentes, quibus adhærent quinque Canonici, defendunt, nullo in pretio habendas esse Literas Hadriani VI.; tum quia compulsatæ non fuerunt citata Parte; tum insuper quia post has Literas conditum fuit Statutum ab Episcopo Tricaricensi in Visitatorem Diœcesis Leodiensis anno 1627. specialiter deputato per Breve san.mem. Urbani VIII., cum facultate quascumque ordinationes, & statuta promulgandi, etiam quoad Loca, & Hospitalia exempta, quare cum in eodem Statuto caveatur expresè, ut dictum est, quod *Decani officium est, una cum Deputatis a Capitulo*, Ecclesias Archidiaconatus visitare; ideò servandam esse contendunt posteriorem legem Statuti, non autem præcedentes Literas Hadriani VI.

Maxime quia favore Jurisdictionis Capituli longæva concurrit observantia; cùm ante Statutum pluries enunciata fuerit Jurisdictio Capituli in hoc Hospitali; & post Statutum plures non desint actus eandem Jurisdictionem indicantes. Nàm anno 1630. Capitulum appellavit a Visitatione ejusdem Hospitalis facta per Vicarium Leodiensem, *sine Decani, & Capituli Auctoritate, in magnum præjudicium authoritatis suæ*

At-

Archidiaconalis, quam prædictum Capitulum semper in dicto Hospitali habuit, & debite exercuit; ut legitur in cedula ejusdem Appellationis: anno 1631. prohibuit Monialibus, ne sinerent se a Vicario prædicto visitari: Procuratores deputavit anno 1634. ad tuendam in Curia Episcopali Leodiensi suam Jurisdictionem, suaque Jura super Hospitale: & Capitularis deliberatio capta fuit eodem anno pro reformationibus dicti Hospitalis statuendis. Visitatores insuper elegit Capitulum annis 1706, 1716, & 1739, generaliter tamen pro Ecclesiis sibi subjectis; & anno 1740. à Capituli deputatis una cum Decano Requile visitata fuit tantum Ecclesia, ac rursus à Capituli Deputatis sine interventu Decani visitatum fuit Hospitale anno 1749.; Priorem etiam eodem anno Capitulum amovit, novumque elegit: & transactionem cum Decano Requile inivit, in qua conventum fuit per solum Decanum suboriendas Monialium lites, & discordias componendas, & definiendas esse, salvo recursu ad Capitulum.

Quocircà disputant, Jurisdictionem visitandi Decano, & Capitulo competentem, Statuto, & observantia comprobatam, non potuisse à solo Decano exerceri, inauditis cæteris Canonicis, *ad Textum in cap. Novit de his, quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capit.*: minusque ei licuisse Convisitatores proprio arbitratu assumere, cum inferiores Prælatos per se ipsos tantum visitare, permitttat S.Concil.Tridentin. *sess.24.cap.3. de Reform.*. Atque inde desumunt nullitatem etiam electionis Superiorissæ, ob defectum Jurisdictionis Decani, qui eidem præfuit electioni, cum suis Sociis: & ob protestationem à Monialibus recurrentibus emissam, ne fieret electio cum interventu Decani, & Sociorum, autumantes hujusmodi protestationem sperni non potuisse, ad tradita per *Gonzal. in cap. Cum olim n.8. & seq. de elect.*, præsertim cum in aliis electionibus ipsæ Moniales vocassent Scrutatores sibi magis acceptos, ut referunt tres Testes. Et nil relevare putant, sex Moniales adhærere Decano; quià licet illæ plures sint numero, non tamen videntur saniorem partem constituere, cum negligant jura Monasterii, & in Superiorissam elegerint eam, quæ functa erat eodem munere in antecedenti Triennio, quod etiamsi expresse prohibitum dici non deberet vigore Constitutionis Gregorianæ, incongruum saltem videtur, & regulari disciplinæ repugnans, ut notant *Barbos. ad Concit.Trident. sess.15. cap. 7. de Regul. num.1.*, & *Card.de Luc.de Regul.disc.1.n.142.*; ideoque differunt majorem aliarum numerum despiciendum esse, ubi illarum gestis pauciores saniori consilio resistere comperiuntur, ad tradita per *Fagnan.in cap.Cum in cunctis de his, quæ fiunt a major.part.Cap.*

Dignabuntur itaque EE.VV.decernere

I. *An Decano Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ Virg. Tungren. competat*

petat jus visitandi Conventum, & Hospitale S. Jacobi dicti Loci cum Canonicis sibi benevisis, seu potius Visitatio diei 29. Julii 1758. sit circumscribenda?

II. *An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissæ cum duobus Canonicis ab eo assumendis, ita ut electio diei 22. Decembris 1759. substineatur, in casu &c.*

Die Sabbathi 26. Februarii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MELEVITANA. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 18. Decembris elapsi anni 1762., in qua rescriptum fuit = *Dilata, & ad Eminentissimum Præfectum ad mentem* =. Expeditis jam ab Eminentissimo Domino Cardinali Præfecto iis, quæ juxta EE. VV. mentem opportunè censebantur præmittenda resolutioni Causæ, hæc obsequendo earumdem mandatis iterum proponitur, ut reassumpto Folio præfatæ Congregationis dignentur decernere.

Sess.14. cap.6. de Reform.

I. *An Milites Professi Ordinis Hierosolymitani ex dispensatione Apostolica possidentes Pensiones, & Beneficia Ecclesiastica Secularia possint illa retinere, etiamsi non incedant in habitu, & tonsura, dummodo gestent insignia proprii Ordinis?* Et quatenus affirmative.

II. *An idem dicendum sit de Militibus non adhuc professis, quoad Beneficia, & pensiones ab eis acquisitas uti Clericis, quatenus gestent auream Crucem Ordinis cum Ense, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Iterum proponatur,

TRes, quæ sequuntur, Causæ indecisæ remanserunt in postrema Congregatione habita die 22. præteriti mensis Januarii. Rogantur itaque Eminentissimi Patres Folium pro dicta Congregatione distributum reassumere, & easdem Causas definire.

ASCULANA.

Sess.21. cap.4., & 6. de Reform.

I. *An sit locus remotioni Cappellani, itaut deveniendum sit ad electionem novi Cappellani Curati?*

II. *An constet de attentatis, & quomodo sint purganda, in casu &c.*

Ad I. Arbitrio, & conscientiæ Episcopi: & in casu denegatæ reintegrationis Pomponii, Episcopus præfigat terminum Parocho ad eligendum alium Cappellanum ab eodem Episcopo approbandum: & ad mentem: & amplius. Ad II. Affirmative per viam nullitatis, & amplius.

Sess.21. cap.4. de Reform.

FAVENTINA COADJUTORIÆ.

An sex Canonici liberæ Collationis Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Brixichellæ teneantur Coadjuvare Vicarium Curatum Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Plebis Octavi in exercitio Curæ Animarum; seu potius teneantur dumtaxat eumdem coadjuvare in sola celebratione Missarum diebus Dominicis, & Festis, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess.25. cap.7. & 9. de Regul.

LEODIEN. VISITATIONIS.

I. *An Decano Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Tungrensis competat jus visitandi Conventum, & Hospitale S. Jacobi dicti Loci, cum Canonicis sibi benevisis; seu potius visitatio diei 29. Julii 1758. sit circumscribenda?*

II. *An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissæ cum duobus Canonicis ab eo assumendis, itaut electio diei 22. Decembris 1759. substineatur, in casu &c.*

Sess.14. cap.7. de Reform.

MURANA IRREGULARITATIS. Hæc quoque Causa descripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 22. præteriti Mensis Januarii; & definita non fuit. Hodie tamen Sacerdos Januarius Pacella exhibet remissionem Exilii ab Episcopo indultam die 3. Martii superioris anni. Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

I. *An constet de Irregularitate?* Et quatenus affirmative,

II. *An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.*

Sess.21. cap.7. de Reform.

FIRMANA. In hac etiam Causa, post impressum Folium antecedentis Congregationis haditæ die 22. elapsi Mensis Januarii, exhibuit Jacobus Bonacci duorum Peritorum relationem de hodierno valore novi Ædificii a se constructi ascendente ad scut.508. 95., & relationem alterius Periti de valore lignorum in eodem ædificio adhibitorum ascendente ad scut. 46. 98., atque Instrumentum quietantiæ scut.130. solutorum pro pretio conterminæ Domus emptæ, quibus partitis conflatur summa scut.685.93. longe major illa scut.578. ab ipso percepta ex Censu, & incisione Arborum. Suadere insuper nisus est alterius Periti relatione, & trium Testium Depositione, constructas Ædes solidas, & firmas esse, atque in parte completas, itaut in illis habi-

tet

tet hodiernus Parochus cum sua Familia. Produxit quoque decreta Curiæ Archiepiscopalis, quibus ipse absolvitur pro pecuniis Censualibus, & ex venditione Arborum provenientibus, utpote recte in constructionem Fabricæ erogatis. Et duorum Peritorum Testimonio comprobavit, incisas Arbores fere infructiferas fuisse, nullumque damnum inde obvenisse Prædiis Ecclesiæ. Se curavit demum tueri ab imputatione Vicarii Capitularis, circa nimiam pecuniarum profusionem in demolitione jam constructorum parietum, & in voluptuosis ornatibus, exhibens Testes deponentes de peritia Fabrimurarii, cujus opera usus est, & de necessaria reædificatione Domus Parochialis, deque modica impensa scut.21.20. erogata in novam constructionem Murorum, qui destrui debuerunt, ob nimiam illorum incurvationem.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

I. *An constet de restauratione Domus Parochialis ad formam Peritiæ, seu Notulæ Dominici Fontana?* Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo teneatur Rev. D. Bonacci ad reintegrationem damnorum, in casu &c.*

AMERINA CAPPELLANIARUM. In hac Causa, cujus etiam species descripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 22. Januarii proxime præteriti, contenditur de interpretatione voluntatis Francisci Mariæ Titolivii, qui in Testamento condito die 18. Novembris 1757. præcepit erectionem quinque Cappellaniarum, *quali siano meramente Laicali*: & in altero Testamento scripto anno 1759. non amplius quinque, sed tres instituit Cappellanias, cum declaratione, *quali Cappellanie non s'intendino fondate in titolo di Beneficio Ecclesiastico, o collativo, ma sempre debbino essere reputate per mero legato, e opera pia laicale, ad instar legati pii laicalis per celebrazione di Messe*.

Sess.22. cap.8., & 9. de Reform.

His enim non obstantibus utriusque Testamenti verbis, Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis plura cumulavit argumenta in antecedenti propositione, ut suaderet, pium Testatorem voluisse erectionem Cappellaniarum in titulum Ecclesiastici Beneficii; & post impressum Folium antecedentis Congregationis produxit depositionem cujusdam Religiosi affirmantis, quod pius Testator post primum Testamentum meditabatur condere Codicillum, juxta exhibitum exemplar, licet morbo apopletico correptus suum propositum ad actum non perduxerit, & in eodem exemplari legitur, *che li Cappellani, che dal suo Erede, come nel Testamento saranno eletti per li stabiliti Beneficii, siano obligati nei*

gior-

giorni festivi alla residenza, atque in casu diuturnæ vacationis reservatur Datariæ Apostolicæ facultas conferendi jure devoluto.

Modo autem exhibet aliud folium manu Testatoris scriptum, quo ille consulit Episcopum super conditionibus apponendis in maturiori erectione alterius ex Cappellaniis ordinatis in dicto primo Testamento, cum declaratione, quod *in caso poi, che questa riserva, e condizione non si potesse fare, l'Arciprete non intende di fare fondazione, o erezione di Cappellania, non volendo comprarsi lite, e molestia alcuna*; & in eodem folio hæc leguntur verba = *Desiderando l'Arciptete Francesco Maria di Alviano erigere una Cappellania Laicale, di modo che possa con essa ordinarsi un Tonsurato, nella Ven. Chiesa Parochiale di Alviano, e la collazione, ed instituzione di detta Cappellania spetti all'Illustrissimo Ordinario pro tempore*, cum reservatione juris patronatus sui, suorumque favore. Inde autem infert Promotor Fiscalis, quod cum collatio, & institutio non cadat, nisi super Beneficio Ecclesiastico, ideo verbum *laicale* in hoc folio appositum, & in utroque Testamento repetitum, attentis verbis relativis ad primum testamentum, quæ in eodem folio leguntur, intelligendum sit de jurepatronatus, non autem de ipsis Cappellaniis; præsertim quià in solis Cappellaniis, & Beneficiis Ecclesiasticis dari potest devolutio ad S. Sedem in casu diuturnæ vacationis, ut cavetur in præordinato Codicillo.

Expendendum autem erit ab EE. VV., quanta vis tribui possit his actibus Informibus, in concursu apertissimæ literæ posterioris Testamenti, quod cæteroquin contenditur, fuisse ab hæredibus extortum post passos a Francisco Maria varios apoplesis ictus, a considerabili etiam ipsius Characteris immutatione comprobatos, ut inde maturo consilio definire valeant.

I. *An Cappellaniæ per Archipresbyterum Titolivii institutæ sint per Ordinarium in Beneficium Ecclesiasticum collativum erigendæ?* & quatenus negativè.

II. *An, & quomodo consulendum veniat subsistentiæ dictarum Cappellaniarum?*

III. *An sit locus subministrationi expensarum ex fructibus Bonorum pro prædictis Cappellaniis assignatorum, in casu &c.*

Sess.24. cap.12. de Reform.

EUGUBINA ERECTIONIS CANONICATUUM. Gabriel Triangoli Testamento condito anno 1754., hæredem scripsit Ecclesiam Collegiatam S. Christinæ Eugubii, illiusque Canonicos, ea lege, ut post obitum Fratris sui Hæredis usufructuarii, *li Canonici suddetti procurino di eriggere con i frutti della mia Eredità nella loro Collegiata due Canonicati della stessa natura, ed obligo di Offiziatura, che anno li presenti,*

ti, con assegnare per Prebenda alli Canonici da eleggersi scudi quaranta di pavoli per ciascheduno : pergens his verbis = *Prego poi istantemente li Signori Canonici Cristini ad ammettere li due Signori Canonici, che godranno la mia Prebenda, in tutte le loro funzioni Capitolari, con il voto tanto attivo, quanto passivo nello stesso modo, che se fossero stati istituiti da Gio: Baptista Cristini: non intendendo però a ciò di obligarli, ma solo di pregarli, e lo spero assidato nella loro bontà* = . Et quid quid superesset ex fructibus suæ hæreditatis, *sodisfatti li due Signori Canonici, e detratte le spese de' bonificamenti, ed altre per la manutenzione de' miei beni*, erogari jussit in distributionem Dotium scutorum centum faciendam pauperibus Puellis Maritandis, vel Monachandis: data Puellarum, & Canonicorum electione antiquis, novisque Canonicis, ita tamen, ut ad Canonicatus eligerentur Eugubini Cives primi, vel secundi Ordinis, cum prælatione Descendentium ex quatuor designatis Familiis, qui ætatem agerent idoneam Sacerdotio suscipiendo infra annum.

Post Testatoris obitum, hæreditatem adiverunt, prævio inventario, Prior, & Canonici primævæ erectionis factæ a Joanne Baptista Cristini Collegiatæ institutore; & protestationem emiserunt in actis Curiæ Episcopalis, quod nullum inde allatum intelligeretur præjudicium suis juribus deducendis occasione erectionis dd. Canonicatuum, & distributionis Subsidiorum Dotalium, itaut potius periret actus, quàm ipsa protestatio. Et cum, defuncto etiam Hærede usufructuario, factus esset locus erectioni dd. Canonicatuum, in Capitulo habito die 28. Decembris 1761. quatuordecim præscripserunt conditiones novæ erectioni adjiciendas; & decreverunt, ita recipiendos esse in Collegiatam novos Canonicos, *ut unum Corpus efficiant, unumque Capitulum cum Priore, & Canonicis veteris institutionis bon. mem. Joannis Baptistæ Cristini eorum Fundatoris, salvis tamen semper infrascriptis conditionibus, quia sic &c., & non alias &c.* Sed renuentibus Familiis contemplatis illarum aliquas acceptare, controversia delata est ad hanc Sacram Congregationem; & audito de more Episcopo, citatisque Familiis contemplatis, & Procuratore Fiscali, Causa nunc proponitur septem collecta capitibus.

Et primum quæritur de expensis Sacrorum Utensilium, & Ceræ pro novis Canonicis, quarum respectu veteres Canonici non suam, sed causam pauperum Puellarum agentes, quo minus detrahatur ex residualibus fructibus in illarum dotationem erogandis, disputant, a singulis novis Canonicis contribuenda esse Ecclesiæ Collegiatæ annua scuta quatuor, juxta V. Conditionem; cum regulariter, nisi obstet voluntas Fundatoris, onus sacrorum Utensilium ferendum sit a Canonicis, vel Beneficiatis, quibus certa Præbenda assignata est, non autem a Fundatoris Hæredibus,

bus, ut innuit Rescriptum hujus Sacræ Congregationis *in Romana* 10. *Maji* 1727., in qua disputato Dubio inter Hæredem, & Cappellanum = *An, & a quo sint solvenda Utensilia pro celebratione Missæ quotidianæ, & ad quam rationem, itaut sit standum, vel recedendum a decisis?* = responsum fuit = ***Prævio recessu a decisis, Utensilia solvenda esse a Cappellano, ad rationem scutorum quatuor pro quolibet anno*** =, ut *in lib.*77. *Decret. pag.*275.

Sed excipitur a Familiis contemplatis, quod Testator hæreditatem gravavit, nedum singulis Canonicis assignare Præbendam scutorum quadraginta, sed etiam providere Canonicatuum erectioni, quo nomine veniunt ea omnia, quæ necessaria sunt in Ecclesia, ut novi Canonici suo munere fungi possint: sicuti agnoverunt veteres Canonici quoad Stalla in Choro, & Arcas in Sacrario pro custodiendis Sacris Vestibus, quas sumptibus hæreditatis construendas esse decreverunt in Conditione IX.; & ideò contenditur, etiam sumptus Suppellectilium, quæ ab Ecclesia subministrantur, ferendos esse ab Hæreditate, juxta præsumptam mentem Testatoris, ut censuit hæc Sacra Congregatio *in Romana Utensilium* 11. *Aprilis* 1739., in qua cum Testator pro utensilium decem Cappellaniarum legasset Ecclesiæ solum decem Loca Montium, disputatum fuit Dubium = *An augumentum usque ad scuta quatuor pro qualibet Cappellania debeatur ab Hærede, seu potius a Cappellanis?* = & Sacra Congregatio rescripsit = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* =, ut *in lib.*89. *Decret. pag.*99.

Advertendum tamen, quod etiam Joannes Baptista Cristini Collegiatæ Fundator, cum Hæredem instituisset Piam Domum Puellarum, præcepit erectionem Collegiatæ in Ecclesia Confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi, cum uno Priore, & quinque Canonicis, assignatis in illorum dotem annuis scutis tercentum decem ex fructibus suæ Hæreditatis, sexaginta nempe Priori, & quinquaginta singulis Canonicis; an vero Utensilium expensæ contribuantur ab Hæreditate, seu potius a Canonicis, probatum hactenus non fuit, licet hujusmodi probatio conferre posset ad hujus Dubii decisionem, quia Gabriel Triangoli erectionem præcepit duorum Canonicatuum ejusdem naturæ, cujus erant veteres Canonici, & ideo non incongrue quo ad novos Canonicos videretur servanda eadem regula, quæ servata fuit in erectione veterum Canonicatuum.

Pertinet secundum Dubium ad septimam conditionem, qua statuitur, novos Canonicos posse de suis, non de punctaturis veterum Canonicorum participare, illasque in casu absentiæ utriusque applicandas esse Sacristiæ, itaut nec etiam veteres Canonici participent de punctaturis novorum, ut censuit hæc Sacra Congregatio in *Aretina erectionis Canonicatuum* 5. *Maii* 1703. rescribendo, esse locum erectioni no-

vo-

vorum Canonicatuum cum conditionibus præſcribendis ab Eminentiſſimo Præfecto, a quo inter alias conditiones præſcriptum fuit, quod novorum Canonicorum fallentiæ ipſis ſolum accreſcerent, & in caſu omnium abſentiæ applicarentur piis uſibus arbitrio Epiſcopi, ut *in lib. 53. Decr. pag. 185. & 189.*, & concordant reſcripta *in Sabinen. erectionis Canonicatuum* 18. *Novembris* 1730. *lib. 80. Decr. pag. 366. & in Spoletana punctaturarum* 22. *Maii ſuperioris anni*.

Tertium, & quartum reſpiciunt conditiones decimam, & undecimam, quibus denegatur novis Canonicis vox activa, & paſſiva in proviſionibus Prioratus, & Canonicatuum veteris inſtitutionis; cum illorum collatio, juxta Bullam erectionis Collegiatæ, & juxta fundationem Joannis Baptiſtæ Criſtini, facienda ſit ad electionem eorundem veterum Capitularium, quorum unus in Priorem eligendus eſt; & ideò contenditur contra formam erectionis, & fundationis, juſpatronatus activum, & paſſivum extendi non debere ad alias Perſonas, juxta firmata *per Rotam in deciſ. 315. num. 7. coram cl. me. Card. Tan.* Denegatur inſuper eadem vox activa, & paſſiva novis Canonicis in electione Vicarii Capituli, Depoſitarii, Punctatoris, Sacriſtæ, aliorumque Officialium antiqui Capituli ſervitio addictorum, in collatione ſubſidiorum dotalium relictorum a Joanne Baptiſta Criſtini, & generaliter in omnibus negociis concernentibus illius hæreditatem, vel quoquo modo ſpectantibus ad Collegiatam, præterquam in negociis reſpicientibus Functiones Sacras, Spirituales, & præeminentiales, vel ſpectantibus ad hæreditatem Gabrielis Triangoli, & ad collationem Canonicatuum, & ſubſidiorum dotalium ab ipſo relictorum; cum novi Canonici excludantur a jure ferendi ſuffragium in electione Officialium Capituli curam habentium antiquæ Maſſæ, ut tradit *Scarfant. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 14. n. 58.*, & de Camerario, & Cancellario reſcripſit hæc S. Congreg. in *Pientina Canonicatuum* 15. *Martii* 1704. *ad II. dub. lib. 54. decr. pag. 93.*: ſicut etiam in negotiis tangentibus intereſſe tantum antiquorum Canonicorum, ut reſcripſit hæc S. Congregatio *in d. Aretina Erectionis Canonicatuum* 5. *Maii* 1703. *lib. 53. decr. pag. 189.*, *in Nepeſina Canonicatuum* 1. *Decembris ejuſdem anni lib. 53. decret. pag. 518.*, *in Alatrina erectionis Canonicatus* 8. *Februarii* 1727. *lib. 77. decr. pag. 105. & 108.*, *& in Nicien. decret.* 14. *Martii* 1744. *ad II. dub. lib 94. decr. pag. 133.*

Quintum vero de conditione agit decimaquarta, qua cavetur, ne novi Canonici admittantur ad participationem obventionum, & legatorum quoquo modo relictorum Collegiatæ S. Chriſtinæ, ejuſque Canonicis; cum veteres Canonici per erectionem novorum Canonicatuum pati non debeant ſuorum jurium, & jam quæſitorum emolumentorum imminutionem, ad tradita per *Rotam in Vercellen. Functionum* 14. *Junii* 1738. *§. 5. & ſeq. coram bon. mem. de Vais*; &

censuit hæc Sacra Congregatio *in Urbinaten. Participationis 16. Januarii superioris anni*.

Et præscriptis conditionibus haud obstare arbitrantur veteres Canonici, quod ipsos Testator enixè deprecatus fuerit admittere novos Canonicos *in tutte le loro Funzioni Capitolari, con il voto tanto attivo, quanto passivo nello stesso modo, che se fossero stati istituiti da Gio: Battista Cristini*: vel quod ipsi hæreditatem adiverint, & consensum præstiterint erectioni Canonicatuum in eum modum, *ut unum corpus efficiant, unumque Capitulum cum Priore, & Canonicis veteris institutionis constituant*. Contendunt namque, preces Testatoris præceptum non inducere, cum expresse ille subjunxerit, nolle proinde veteres Capitulares obligare, ut firmat *Rocca disputat. jur. select. tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 88. *& seq.*; ideoque aditionem hæreditatis onus inducere nequivisse, quod a Testatore datum non fuerat: præsertim quia facta est aditio cum expressa protestatione non inferendi præjudicium juribus Capituli, quæ protestatio omnino efficax reputanda est, cum veteres Canonici nullum compendium perciperent ab hæreditate, cujus fructus ex præcepto Testatoris erogandi sunt in Præbendam novorum Canonicorum, & in dotationem Puellarum: & consensum erectioni præstitum in modum, ut novi Canonici efficiant unum corpus, unumque Capitulum cum antiquis, ad jura honorifica referendum esse, non autem ad alia omnia concernentia interesse antiqui Capituli; quæ præservata fuerunt per clausulam = *Salvis tamen semper infrascriptis conditionibus* =, ut etiam cautum fuit in altera ex conditionibus adjectis ab Eminentissimo Præfecto in dicta *Aretina erectionis Canonicatuum quinta Maii* 1703. *lib.* 53. *Decretor. pag.* 189., *& in Nicien. Decretorum* 14. *Martii* 1744. *ad I. & II. Dub. lib.* 94. *Decretor. pag.* 133.

Excipiunt tamen Familiæ contemplatæ, ut etiam censet Episcopus in transmissa relatione, approbandas non esse prædictas conditiones, uti repugnantes voluntati pii Testatoris, qui voluit suos Canonicos habendos esset, ac si instituti fuissent a Joanne Baptista Cristini; nec officere verba illa = *non intendendo però a ciò di obligarli, ma solo di pregarli* =, quia in ultimis voluntatibus preces habent vim præcepti, ad tradita per *Card. de Luca de Jurepatron. disc.* 50. *num.* 6.; minusque prodesse antiquis Canonicis aut protestationem emissam in aditione hæreditatis, aut onus erogandi fructus hæreditarios in certos usus, quia non ideo videntur carere compendio ex hæreditate, cum potiantur jure administrationis, & electionis tum Canonicorum, tum Puellarum dotandarum. Quocirca censent spernendam esse protestationem, qua hæredes eximi non possunt ab onere adimplendi voluntatem Defuncti, & tribuendi novis Canonicis pa-

rem

rem ingerentiam in juribus antiquæ fundationis, quam ipsi habent in nova, ut notat *Pignatell.consultat.canon.*48.*num.*14. *tom.6.* Demum opinantur, jus electionis datum antiquis Canonicis in Fundatione Cristini, & in Bulla erectionis, intelligendum esse demonstrativè, itaut commune fieri possit etiam Canonicis noviter erigendis, ad tradita per *Rotam in Firmana Præcedentiæ* 25.*Junii* 1731. *§. Minusque,& 20.Junii* 1732. *§.Potissimum cor.cl.me.Card.Aldrovando*.

De reliquis conditionibus enunciatis in sexto Dubio, nulla est controversia inter Partes; solumque disputant de hujus litis expensis, quas Familiæ contemplatæ detrahere vellent a fructibus piæ hæreditatis.

Pertinet itaque ad EE.VV. decernere

I. *An duo Canonici noviter adjungendi ex fundatione quond. Gabrielis Trianguli, eorumque pro tempore Successores teneantur solvere Sacristiæ annuam ratam pro Suppellectilibus, & Ceris a Collegiata subministrandis, itaut sit confirmanda conditio QUINTA in acceptatione eorundem Canonicatuum imposita; seu potius præfata summa sumenda sit ex reditibus hæreditatis dicti Trianguli?*

II. *An dicti duo Canonici promiscuè participare debeant de punctaturis quinque Canonicorum, & primæ Dignitatis veteris institutionis, & e contra isti de punctaturis novorum Canonicorum; seu potius procedendum sit cum distinctione inter utrosque, & sequenda sit methodus præscripta in conditione SEPTIMA?*

III. *An iidem duo Canonici eligi possint ad Prioratum primam Dignitatem institutam a quondam Joanne Baptista Christini; seu potius ad præfatam Dignitatem adspirare tantummodo valeant Canonici veteris institutionis ad formam conditionis DECIMÆ?*

IV. *An prædicti novi Canonici habere possint vocem activam, & passivam in concernentibus hæreditatem antedicti Christini, atque in electione Officialium, aliisque contentis in conditione UNDECIMA; seu potius ea omnia reservanda sint Canonicis Christini, ad formam ejusdem conditionis?*

V. *An novi Canonici participare valeant de Legatis, & Obventionibus quoquo modo relictis Collegiatæ S. Christinæ, ejusque Canonicis; seu potius illæ reservandæ sint Canonicis veteris institutionis, ad normam conditionis DECIMÆQUARTÆ?*

VI. *An reliquæ conditione I. II. III. IV. VI. VIII. IX. XII.&XIII. sint confirmandæ?*

VII. *An sumptus præsentis Litis facti, & faciendi per Gismundi, & Sansigi occasione erectionis dictorum duorum Canonicatuum ex dispositione dicti Triangoli sint subministrandi ex reditibus ejus Hæreditatis, in casu &c.*

Sess.24. cap.1. de Reform.Matr.

CORDUBEN. NULLITATIS MATRIMONII. Contrariam sortem expertus Joseph de Guzman in Causa dispensationis, quam ei denegandam esse censuerunt EE.PP. in Congregatione habita die 22. Novembris 1760., reassumit judicium nullitatis, cui renunciaverat, postulans, ut dirimatur Matrimonium ab ipso contractum anno 1728. cum Anna Ponze de Leon, quam eo tempore fuisse dementem nititur probare duobus processibus, qui coram Ordinario Cordubensi constructi fuerunt, unus nemine citato, alter citato solum Promotore Fiscali, uti Curatore dato insanæ Uxori, quem & munus Defensoris Matrimonii explere in Hispania scripsit *Franciscus Hortiz Salzedo in sua Praxi Curiæ Ecclesiasticæ pag. 116.* Testes triginta duo examinati fuerunt in primo processu, & duodeviginti repetiti in secundo, præter alios duos noviter inductos, quos inter Joanna de Aguilera Josephi Mater, quæ defuncto Viro curam gerebat Filii sexdecim tunc annos nati, & Auctrix fuit hujus Matrimonii. Nonnullæ quoque productæ fuerunt Epistolæ, aliaque jura ad probandam perpetuam Annæ stultitiam, quibus fretus Ordinarius Cordubensis in relatione data ad hanc Sacram Congregationem, secundum vota Josephi respondit.

Ad suadendam autem Annæ dementiam usque a pueritia refert quintus Testis, quinquaginta ante annos Giennæ vidisse projici e fenestra cujusdam Domus saxa, & audivisse projectionem tribui Filiæ Gubernatoris Civitatis, qui tunc erat Pater Annæ, quæ, juxta fidem Baptismatis, quartum tunc non excedebat ætatis annum. Sextus eam vidisse testatur Cachinnis bacchantem in Monasterio Biatiæ biennio ante Matrimonium. Et in Ecclesia ejusdem Monasterii decimus octavus se ait ab illa fuisse illusum inanibus præditionibus, & incomptis vocibus. Sunt alii plures Testes de auditu: tredecim affirmantes, dementem Annam fuisse ante Matrimonium, & a pueritia: quatuor vero, inutilia fuisse remedia tunc adhibita, cum vitium a natura procederet: & septem, admissam ea propter non fuisse ad habitum Religiosum in Monasterio Biatiæ, ubi aliquandiù permansit. Concordat Epistola Ludovici Herrera olim Inquisitoris Cordubensis, qui anno 1737. scripsit ad Matrem Josephi, se ab Equite Giennensi, dum tractabatur Matrimonium, accepisse, quod Anna semper fatua, tunc solum sana videbatur, cum stupida quiesceret. Nec desunt, qui testantur, quod dum Annæ nuptiæ propositæ fuerunt, hæc haud percipiens status conjugalis conditionem vix assentita est suasionibus Cubiculariæ inducta, ut de auditu ab eadem Cubicularia refert primus Testis, & scripserat anno 1737. quidam Religiosus Biatia, edoctus a Moniali Conversa illius Monasterii.

Ante ipsum etiam tractatum Matrimonii, Monialis Cordubensis-

bensis Testis vigesima tertia audiverat ab Annæ Consanguinea, eam mentis perturbationi obnoxiam esse cum periculo gravioris morbi; & ter eam curasse scripsit Medicus Giennensis anno 1737.. Sed Testis vigesimus sextus, olim Cappellanus Comitis de Garzies Annæ Fratris, negat illius dementiam, & incapacitatem profitendi Religionem, subdens, quod = *Sebbene durante la sua permanenza nel medesimo Monastero, col motivo di una certa infermità, dalla quale fù assalita, patì qualche intervallo di fatuità, ciò solamente durò per il tempo di detta infermità: prima però, e doppo di questa si ritrovava, e stiede intieramente sana, e nel suo perfetto giudizio* =. Et Testis vigesimus septimus, olim pariter Familiaris Comitis de Garzies, narrat, quod ter vidit Annam in pueritia stupidam, & inertem, licet numquam cognoverit, *che fosse senza giudizio*, quodque a Familiaribus, illiusque Fratre audiverat, *che quando questa era fanciulla, si era in essa osservata qualche turbazione di mente, quale si curò per mezzo di alcuni medicamenti*.

Non latuit fama hujus dementiæ Matrem Josephi, quæ edocta ab Inquisitore Herrera, quod Anna, uti rationis expers, non videbatur idonea statui eligendo, misit Equitem Joannem de Solazar ad explorandam veritatem, præsertim ab Eleonora de Cordova, ea lege, ut nisi comperiisset Annam ratione præditam, haud consignaret mandatum, quo Joseph Procuratorem constituit Comitem de Garzies, ut suo nomine Matrimonium celebraret: sicut illa cum aliis Testibus narrat, dolens, quod Joannes de Solazar, acceptis muneribus a Comite de Garzies, mandatum consignaverit, cujus vigore Matrimonium celebratum est die 27. Februarii 1728., cum Anna rationis usu carente, ut de auditu referunt quinque Testes, & innuit Epistola Prioris Cobos, olim Judicis Ecclesiastici in Civitate Biatiæ, anno 1737. scripta ad eandem Josephi Matrem.

Sed perpendendum, num satis cohærere videantur hujusmodi depositiones cum circumstantiis relatis ab aliis Testibus ab eodem Josepho inductis, præseferentibus, quod post auditam Annæ prudentiam ex Epistola Eleonoræ de Cordova, & a Joanne de Solazar, qui solum pandidit decimo sexto Testi, morbum Annæ non ex insania, sed ex odorifera lotione progenitum, quandoque recrudescere, ad Sponsam missus fuit cum nuptialibus vestibus quintus Testis, qui Biatiam adventus, certior, ut ait, factus est de Annæ dementia, tum aliorum relatione, tum oculis propriis, cùm nihil ipsa officiosis suis gratulationibus responderit, hærens stipitis instar.

Prosequitur enim hic Testis, quod reversus Cordubam, qua occasione verisimile est monuisse Josephum, ejusque Matrem de recognita Annæ conditione, nihilominus ipse cum Joanne de Solazar, aliisque nobilibus Amicis, & Fami-

miliaribus comitatus est Josephum ad Sponsam, ut ratum haberet Matrimonium; quod innuere videtur, adeo rationis expertem compertam Annam non fuisse, ut idonea revera non esset Matrimonio contrahendo.

Addunt idem quintus, & decimus quartus Testes de visu, & alii septem de auditu, iterum apparuisse Annæ stultitiam, cùm in Oppido Menxibarii ratum habitum fuit Matrimonium, qua occasione in signum consensus Anna vix manum porrexit, per Cubiculariam compulsa; & prima nocte refugit a maritalibus obsequiis, causata, se Monialem esse, & castitatem vovisse, ut cum aliis octo de auditu, narrat idem quintus Testis, qui præsens adfuit, subdens, quod mane Joseph detestatus Amentis nuptias, Cordubam cum ipso Teste redire proposuerat, retentus postea Comitis de Garzies perhorrescentia, & suasionibus Adstantium, qui verecundia Uxoris stultitiam prætexebant. Iterum Annam restitisse consumationi refert præfatus Testis: idque asserit trigesimus secundus in Oppido del Rio accidisse tertia nocte, dum Cordubam Sponsi revertebantur: quod & Cordubæ primis noctibus sequutum decimus quintus de auditu testatur. At vigesimus sextus constanter affirmat, quod Anna in ratihabitione Matrimonii, cui vices Parochi supplens ipse interfuit, libera voluntate consentiit, quodque licet prima nocte Viro restiterit ob verecundiam, monita tamen ab Amita, secunda nocte quievit.

Cordubam tandem perventa, adeo visa est stupida, & insipiens, ut alii Testes perfecto judicio, alii omnino rationis usu eam carere putaverint. Et Josephi Mater deponit = *Che nel terzo giorno doppo rivalidato il Matrimonio li Sposi arrivarono a questa Città &c., e la detta D. Anna si presentò con una particolare serietà, facendo i complimenti soliti, e se diceva qualche cosa discorrendo, era spropositata; e se bene nella Sala, ove riceveva le visite, si manteneva con questa serietà, nulladimeno doppo se ne andava colle Donne a fare varie pazzie* =. Nec sanior postmodum apparuit; cum narret vigesimus secundus Testis audivisse anno 1731. = *Che in Cordova gli aveva replicata l'istessa infermità di turbazione di mente* =; qua ratione Sacrum Viaticum illi denegavit eodem anno secundus Testis; & Inquisitor Herrera in dicta Epistola anni 1737. commemorat de auditu a Josephi Matre = *Che gli aveva replicata l'infermità della sua fatuità, ed aveva prattica- te diverse furiose azzioni*. Innumeros insuper stultitiæ actus recensent singuli fere Testes, illum præsertim, quod numquam à Viro comprimi passa est = *Per essere una parte della sua pazzia quella di resistere alla consumazione* =, ut ratiocinatur primus Testis. Dementiæ etiam, juxta depositionem noni, & decimi Testis, accedit surditas, cui fortasse tribui possunt incongruæ illius responsiones a Testibus enarratæ. Quare harum pertæsus calamitatum Joseph nomen Militiæ dedit, ad Bellum profectus Italicum.

Adhibita quoque remedia haud profuerunt, quin ad summum gradum attingeret furor Annæ, ut Testes fere omnes deponunt; & comprobatur Medicorum judicio, ac testimonio Vicarii Generalis Cordubensis, qui cum illam interrogasset jussu hujus Sacræ Congregationis, nonnisi fatuas, & ineptas accepit responsiones; & primus Testis, cum quo alii concordant, testatur, quod = *da che venne a questa Città la detta D. Anna, sino al presente, è perseverata nella sua pazzia, senza intervalli, che manifestino perfetto giudizio*; quare tum aliàs, tum annis 1760., & 1761. idonea reputata non fuit Præcepto Paschali adimplendo, juxtà Parochi fidem: cum quibus cæteroquin depositionibus non videtur benè convenire Confessarius Monialium affirmans, quod eodem anno 1761., post expertum integro mense sanum illius judicium, ei Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administravit duabus hebdomadis, licet debuerit deinde cessare, ob illius reincidentiam in fatuitatem.

Hæc habent Testes a Josepho inducti, quos autumat plenam fidem mereri, licet non omnes conveniant, & plerique deponant de auditu; cùm ad probandam dementiam admittantur etiam Testes singulares, & sola fama sufficiat, ad tradita per *Rotam post Zacch. quæst. Medic. Legal. decis. 2. num. 5. & 12.*; accedente præsertim omissione denunciationum, aliarumque inquisitionum occasione hujus Matrimonii à Comite de Garzies conquisita, ut patet ex actis tunc compilatis, quod studiosè factum fuisse opinatur Joseph ad magis tegendam stultitiam Annæ. Cumque Testes deponant de Annæ insania ante, & post Matrimonium, deque illius incapacitate profitendi Religionem, insanam contendit præsumendam esse pariter de tempore celebrati Matrimonii, juxta firmata *in dicta decis. 2. num. 9. & 24., & decis. 5. num. 5. & 6. post Zacch.*: nec objici posse lucida intervalla, cum dementes ex vitio naturæ nunquam convalescant, ut tenet *Zacch. quæst. Medic. Legal. lib. 2. tit. 1. quæst. 20. num. 3.*. Quocirca disputat, invalidum fuisse Matrimonium cum Anna celebratum, cùm ratione dementiæ legitimum non potuerit præstare consensum ad Matrimonii validitatem necessarium, *Can. Neque furiosus 32. quæst. 7., & cap. Dilectus 24. de Sponsalib.*; nihilque officere putat emissam renunciationem, cùm matrimoniales causæ pendeant a solo judicio Ecclesiæ, *cap. fin. de transact., & cap. Causa 9. de in integrum restitut.*: minusque longum triginta annorum silentium, quia post longiorem etiam temporis lapsum propositæ nullitati adhæsit hæc Sacra Congregatio *in Barchinonen. Matrimonii 4. Decembris 1723. lib. 73. Decretor. pag. 609., & in Neapolitana Matrimonii 7. Julii 1736. lib. 86. Decret. pagin. 248.*

Defensores autem Matrimonii, & Annæ opponunt inprimis nullitatem utriusque processus constructi coram Ordinario Cor-

Cordubensis,cum non fuerit deputatus Defensor Matrimonii, minusque fuerint producta interrogatoria pro examinandis Testibus,ad formam Constitutionis *Dei miseratione 33.tom.1. san.mem. Benedicti XIV.*, quam interrogatoriorum formam omitti non posse censuit hæc Sacra Congregatio *in Corduben. nullitatis Professionis 19.Septembris 1761. lib.111.Decretor. pag.391.*. Contendunt insuper, præsentem Annæ dementiam nihil conferre ad nullitatem Matrimonii, quod non irritatur ob superventum alterius Conjugis furorem, *Can. Si Uxorem 32.quæst.3.,& Can.Hi qui Matrimonium 32.quæst.7.*, furorem autem de tempore initi conjugii non probari à Testibus Josephi, immò excludi a Testibus nunc productis pro Anna, cum Moniales Biatiæ deponant, perfecto rationis usu potitam fuisse Annam tempore suæ permanentiæ in illo Monasterio, & alii tres affirment, ratione præditam visam esse post suum adventum Cordubam: & aliæ probationes afferuntur de Sacramentorum frequentia, quæ præsumptionem illius sanæ mentis inducunt, & potitam eam fuisse comprobant lucidis intervallis *Rota in Romana Testamenti 9. Junii 1741. §.7. coram clar.mem.Card.Millino*: junctis præsertim depositionibus Testium ab ipso Josepho inductorum enarrantium reincidentiam in morbum, quæ supponit præcedentem mentis sanitatem, Annæque lucida effulsisse intervalla, temporis lapsu, & renunciatione liti a Josepho emissa, & probationibus ad suadendam consumationem allatis in Causa dispensationis, quæ recensentur in Folio Congregationis habitæ *die 22.Novembris 1760.*

Differunt præterea Defensores Annæ, decernendam esse separationem Tori, attento gravi odio per Josephum concepto contra Uxorem, ut affirmant ipsius met Testes, & evincitur ex aliis probationibus, innuentibus suspicionem meditatæ propinationis veneni: nec non subministrandas esse Uxori hujus litis expensas, juxta firmata per *Rotam in decis.1299. num.1. & seq. cor.Lancetta, & in Firmana separationis Tori 27.Februarii 1747. coram bon.mem. Lana*. Sed Joseph excipit, subalternam hanc instantiam separationis Tori inopportunè proponi, cùm Anna jamdiu vivat seorsim a Viro, & Sacra hæc Congregatio alimenta illi subministrari mandaverit die 22. Novembris 1760.; ideoque arbitratur, expensas tantum litis super nullitate Matrimonii, non autem alias ultroneæ litis super separatione Tori esse subministrandas.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

I. *An constet de nullitate Matrimonii?* & quatenus negative.

II. *An sit locus separationi Tori?*

III. *An sit locus subministrationi expensarum, & sumptuum litis, tam pro causa nullitatis Matrimonii, quam pro causa separationis Tori, in casu &c.*

Die Sabbathi 12. *Martii* 1763. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

Sess.21. cap.4. de Reform.

FAVENTINA COADJUTORIÆ. Post impressum Folium antecedentis Congregationis habitæ die 26. Februarii, in quo descripta erat hæc Causa, suos Libellos distribuerunt Partes, cum novo Summario. Et Vicarius Curatus Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ inhærens clausulæ appositæ in Literis Apostolicis, quod per unionem *Animarum Cura in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistæ nullatenus negligatur, sed ejus &c. congrue supportentur onera consueta*, nisus est probare ex partitis Librorum Parochialium,quod ante unionem consueverant Plebani dictæ Parochialis Ecclesiæ uti opera Cappellani Coadjutoris in Cura Animarum. Produxit etiam depositiones Testium, ut probaret, Canonicos aliquos Collegiatæ Ecclesiæ Brixichellæ præditos fuisse facultate audiendi confessiones: Testes eorundem Canonicorum aut ipsorum Colonos, aut Colonorum Conjunctos esse: Et Sacerdotem Laghi olim Vicarium, qui testatus fuerat præstitam sibi fuisse operam Cappellani Coadjutoris a Canonicis deputati, perfecto pollere rationis usu, non obstante decrepita ætate.

Canonici autem & ipsi nova addunt documenta descripta in dicto novo Summario, aliaque plura nunc exhibita. Et ea precipue sunt,Testimonium totius Capituli de amissione Librorum Capitularium ante annum 1635., aliorumque continentium resolutiones Capitulares ab anno 1643. ad 1646., vel continentium partitas tum introitus ab erectione,tum exitus Capituli ab anno 1639. ad 1651., quorum tamen defectus parum ad rem præsentem pertinet, quia eo tempore Vicariæ provisio ex Indulto Apostolico suspensa erat, & Cura Animarum exercebatur ab altero ex Canonicis, ut prænotatur in antecedenti Folio §. *Addunt denique*: Relatio trium Notariorum, quod perquisitis diligenter Libris Capitularibus, qui extant post annum 1635., deprehenderunt, Cappellanos Coadjutores in Cura Animarum numquam fuisse a Capitulo deputatos, nec illis Capitulum solvisse mercedem, solumque post annum 1725. descriptas esse deputationes Cappellanorum, & solutiones stipendii illis factas pro Missa diebus festis Celebranda in dicta Ec-

 clesia

clesia Parochiali: Depositiones trium Sacerdotum de præstita per ipsos coadjuvatione in Cura Animarum, & Ecclesiasticis Functionibus ad requisitionem Vicarii, non autem Capituli: Et fides Testium de copia Confessariorum in Monasterio S. Bernardi intra Limites Parochiæ S. Joannis Baptistæ Plebis octavi erecto ab anno 1623., & de Functionibus Ecclesiasticis in dicta Ecclesia Parochiali semper expletis cum decore à Vicario, & Parochis Ecclesiarum Filialium, sine interventu Canonicorum.

Unius etiam Testis depositio exhibetur, qui asserit, Canonicos præditos facultate audiendi Confessiones numquam Confessarii munere functos esse in eadem Ecclesia Parochiali S. Joannis Baptistæ, & in assequutione Canonicatuum neminem fuisse approbatum ad Curam Animarum, quod comprobatur etiam ex alterius Canonicatus collatione facta per Ordinarium anno 1721., nulla prævia approbatione ut supra. Docent præterea plurium Instrumentorum Particulis, Canonicum Zotti, qui Coadjutorem Vicarii in Cura Animarum se olim descripserat in Libris Parochialibus, Parochianum fuisse dictæ Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ; & alio documento probant, Mansiones nuncupatas *di Monsignor di Bertinoro*, super quibus transactum fuit anno 1687., cum renunciatione liti, illas esse, quæ reservatæ fuerunt pro usu Canonici Hebdomadarii in Literis Apostolicis Unionis. Demum exhibent transumptum actorum litis peractæ anno 1687. coram A. C. Cavallerino, ut ostendant, sub unico Monitorio Vicarium instetisse pro exequutione Literarum Apostolicarum unionis, & contra Canonicos petiisse tum solutionem suæ Congruæ, tum præstationem sumptuum necessariorum pro reparanda Ecclesia, eaque sacris utensilibus instruenda, tum demum coadjuvationem in Cura Animarum, Missarumque celebratione, nullo cæteroquin producto observantiæ documento; inde deducentes, renunciationem liti factam in Transactione referendam esse ad omnes petitiones prædictas, pro quibus unica lis introducta fuerat a Vicario, ideoque Sententiam latam, post renunciationem liti, infectam esse vitio nullitatis, eo vel maxime, quod ex eodem actorum transumpto constat, non reperiri necessariam citationem ad Sententiam.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sex Canonici liberæ Collationis Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Brixichellæ teneantur Coadjuvare Vicarium Curatum Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Plebis Octavi in exercitio Curæ Animarum; seu potius teneantur dumtaxat eumdem coadjuvare in sola celebratione Missarum diebus Dominicis, & Festis, in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negative ad secundam.

In

IN eadem postrema Congregatione habita die 26. Februarii sex, quæ sequuntur, Causæ indecisæ remanserunt. Dignentur itaque EE. PP. Folium tunc distributum reassumere, & maturo, ut solent, Consilio easdem Causas definire.

LEODIEN. VISITATIONIS. *Sess.25. cap.7., & 9. de Regul.*

I. *An Decano Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Tungrensis competat jus visitandi Conventum, & Hospitale S. Jacobi dicti Loci, cum Canonicis sibi benevisis, seu potius visitatio diei 29. Julii 1758. sit circumscribenda?*

II. *An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissæ cum duobus Canonicis ab eo assumendis, itaut electio diei 22. Decembris 1759. substineatur, in casu &c.*

Dilata, & reproponatur Causa, citato Capitulo, eique præfixo termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione.

MURANA IRREGULARITATIS. *Sess.14. cap.7. de Reform.*

I. *An constet de Irregularitate?* Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Pro gratia dispensationis.

FIRMANA. *Sess.21. cap.7. de Reform.*

I. *An constet de restauratione Domus Parochialis ad formam Peritiæ, seu Notulæ Dominici Fontana?* Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo teneatur Rev. D. Bonacci ad reintegrationem damnorum, in casu &c.*

Ad I. Providebitur in secundo. Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 22. cap. 8., & 9. de Reform.

AMERINA CAPPELLANIARUM.

I. *An Cappellaniæ per Archipresbyterum Titolivii institutæ sint per Ordinarium in Beneficium Ecclesiasticum collativum erigendæ?* Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo consulendum veniat subsistentiæ dictarum Cappellaniarum?*

III. *An sit locus subministrationi expensarum ex fructibus Bonorum pro prædictis Cappellaniis assignatorum, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Satis provisum in Testamento, & amplius. Ad III. Negative, & amplius.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

EUGUBINA ERECTIONIS CANONICATUUM.

I. *An duo Canonici noviter adjungendi ex fundatione quond. Gabrielis Trianguli, eorumque pro tempore Successores teneantur solvere Sacristiæ annuam ratam pro Suppellectilibus, & Ceris a Collegiata subministrandis, itaut sit confirmanda conditio QUINTA in acceptatione eorundem Canonicatuum imposita; seu potius præfata summa sumenda sit ex reditibus hæreditatis dicti Trianguli?*

II. *An dicti duo Canonici promiscuè participare debeant de punctaturis quinque Canonicorum, & primæ Dignitatis veteris institutionis, & e contra isti de punctaturis novorum Canonicorum; seu potius procedendum sit cum distinctione inter utrosque, & sequenda sit methodus præscripta in conditione SEPTIMA?*

III. *An iidem duo Canonici eligi possint ad Prioratum primam Dignitatem institutam a quondam Joanne Baptista Christini, seu potius ad præfatam Dignitatem adspirare tantummodo valeant Canonici veteris institutionis ad formam conditionis DECIMÆ?*

IV. *An prædicti novi Canonici habere possint vocem activam, & passivam in concernentibus hæreditatem dicti Christini, atque in electione Officialium, aliisque contentis in conditione UNDECIMA; seu potius ea omnia reservanda sint Canonicis Christini, ad formam ejusdem conditionis?*

V. *An novi Canonici participare valeant de Legatis, & Obventionibus quoquo modo relictis Collegiatæ S. Christinæ, ejusque Canonicis; seu potius illæ reservandæ sint Canonicis veteris institutionis, ad normam conditionis DECIMÆ QUARTÆ?*

VI. *An reliquæ conditiones I. II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. XII. & XIII. sint confirmandæ?*

VII. *An*

VII. *An sumptus præsentis Litis facti, & faciendi per Gismundi, & Sansigi occasione erectionis dictorum duorum Canonicatuum ex dispositione dicti Triangoli sint subministrandi ex reditibus ejus Hæreditatis, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

CORDUBEN. NULLITATIS MATRIMONII.

Sess.24.cap.1.de Reform.Matrim.

I. *An constet de nullitate Matrimonii?* & quatenus negative.
II. *An sit locus separationi Tori?*
III. *An sit locus subministrationi expensarum, & sumptuum litis, tam pro causa nullitatis Matrimonii, quam pro causa separationis Tori, in casu &c.*

ASCULANA JURISDICTIONIS. Institutum Puellarum Oblatarum, sub auspiciis Sanctissimi Infantis Jesu, ortum habuit in Urbe anno 1662., opera, & consilio Annæ Moroni, & Patris Cosimi Berlinzani Clerici Regularis a Matre Dei, qui certas regulas statuerunt, quas postea in unum collectas a P. Friderico Orsucci ejusdem Ordinis approbarunt anno 1693., primum Cardinalis Urbis Vicarius, & deinde Cardinalis de Lauria Visitator Apostolicus. Et cum anno 1702. san. mem. Clemens XI. deputasset Congregationem Particularem pro eisdem Regulis declarandis, ea de re per Congregationem mandata fuit jurisdictio clar. mem. Cardinali Carpineo Urbis Vicario, & earundem Oblatarum Protectori, qui nonnullas edidit declarationes, sibique jus reservavit præfatas Regulas quandocumque moderandi, *tanto in vigore della sua autorità ordinaria, quanto delegata dalla sudetta Congregazione*: ut narrat *Monacell. form. legal. tom.2. tit. 16. form.3. num.16.*. Aliæ declarationes promulgatæ fuerunt a Congregatione Particulari deputata a san. mem. Innocentio XIII., *le quali perciò l'Eminentissimo Signor Card. Corsini Protettore sudetto* (qui alter erat ex Cardinalibus deputatæ Congregationis) *ordina, che in avvenire puntualmente si osservino da tutte le Convittrici della Congregazione del Santissimo Bambin Gesù si presenti, che future: con dichiarazione però, che non portino seco obligo di colpa, neppure veniale; se non in quanto si opponessero alli Precetti del Decalogo, o della S Chiesa*. Et in Capitulo I. Partis I. hujus postremæ Regularum compilationis legitur, quod = *La Congregatione sotto l'autorità di uno Eminentissimo Signor Cardinale Protettore, o sopraintendenza di un Illustrissimo Prelato, siccome ancora di altri quattro Signori Deputati per gli affari economici, sarà governata dalle seguenti Ministre, ed Officiale*.

Sess.25.cap.2., & 9. de Regul., & Monial.

Si-

Similis Oblatarum Congregatio, seu Domus Convictricum, sub auspiciis Sanctissimi Infantis Jesu, fundata est in Civitate Asculi anno 1697., ære collato a piis Mulieribus Marcellina Sallanti, & Maria Angela Caucci, quæ in Instrumento Donationis stipulato coram Episcopo Dioecesano nonnullas regulas a Convitricibus servandas præscripserunt, *In conformità dell' Istituto principiato in Roma l'anno 1671. da Anna Moroni*: Addentes quod pro accurata earundem Regularum observantia sequi posset methodus tradita in quatuor Libris asservatis per Convictrices Urbis idem institutum profitentes, *dalli quali* (sunt verba Instrumenti) *potranno li Superiori di ciascheduna Casa, che di questo Istituto si fondasse, sciegliere solamente quelle, che parerà più a proposito, secondo la diversità de Luoghi, de tempi, e de Soggetti, che saranno insieme congregati, tralasciando tutto ciò, che paresse superfluo, e troppo prolisso, o molto difficile da pratticarsi*. Et anno 1701., quum evocatis a Congregatione Spoletana duabus Oblatis inchoari debuisset Convictus, veniam Fundatrices postularunt ab Episcopo Asculano, qui Decreto suo petitam facultatem impertitus est, hoc addito = *Sub honestis tamen Capitulis, & conditionibus per nos firmandis, moderandis, & mutandis, & augendis, prout expediens visum fuerit*.

Latet, quæ primis annis fuerit regiminis forma in Convictu Asculano; sed altera Oblata, quæ ab illo discessit anno 1717. pro simili convictu instituendo in Civitate Firmi, testatur, Congregationem Asculanam primis temporibus caruisse Patre Directore, seu Visitatore, de quo controversia est, & tribus vel quatuor annis ante suum discessum fuisse a Convictricibus electum in primum Directorem, & Visitatorem Virgilium Sgariglia Presbyterum Congregationis Oratorii, nulla, ut ait, petita venia ab Episcopo. Et revera Episcopus Asculanus die 27. Julii 1713. visitavit Oratorium, & Domum Oblatarum, *associatus ab Admodum Rev. D. P. Sgariglia Præposito Ven. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii*, ut legitur in actis Visitationis.

In ea tamen Visitatione nonnulla decreta edidit Episcopus, tam æconomicam Bonorum administrationem, quam instituti observantiam concernentia, quorum tria præcipue ad præsentem controversiam pertinere videntur: primum, quod Convictrices consilium a Laicis non quærant, *sed quando indigebunt consilio, aut auxilio, recursum habeant ad Ordinarium, seu ad P. Visitatorem, & respective ad ipsarum Syndicos*: Secundum, quod Viros non recipiant intra Domum, *sine licentia in scriptis Ordinarii, aut P. Visitatoris &c., a qua tamen prohibitione excepit Confessarium ordinarium, seu extraordinarium deputandum ab Episcopo*: & tertium, quod nequeant *Sacramentaliter confiteri, sine licentia Ordinarii, Confessariis ad ipsarum libitum, sed illis, qui fuerint eisdem Convictricibus assigna-*

assignati ab ipso Ordinario, aut Visitatore &c., pro cujus finis assequutione ademit cuicumque alteri Confessario facultatem audiendi illarum Confessiones.

Et Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, ad quam delatæ fuerant Convictricum querelæ adversus Visitationem prædictam, die 8. Februarii 1715. Ponente clar. mem. Cardinali Casino, nonnullas edidit declarationes, quas refert *Ursaya disceptat. Eccles. tom. primo par. 2. discept. 12. in fin.*, concludens his verbis = *Finalmente l'intenzione della Sagra Congregazione è, che le sudette Convittrici si mantengano, quanto sia possibile, nell'osservanza delle loro Regole, e Costituzioni, nel che si potrà sempre più segnalare il zelo di Monsignor Vescovo, e la vigilanza del P. Visitatore, che viene da lui assegnato, con fare che il tenore di esse, come le pene da esse prescritte, siano puntualmente eseguite* =

Post obitum Virgilii Sgariglia, subrogatus fuit in munere Visitatoris Joseph Sardi Sacerdos pariter Congregationis Oratorii, quem hodiernus Episcopus testatur pluries fassum fuisse suam electionem factam ab Episcopo antecessore. Et die 29. Junii 1730. Capitulum habitum fuit a Convictricibus, pro quarundam Oblatarum receptione, coram Episcopo, qui decreta opportuna edidit, *assistente etiam admodum Rev. P. Josepho Sardi Sacerdote Ven. Congregationis S. Philippi Nerii Convisitatore*, ut legitur in actis Capitularibus. Et rursus die 18. Aprilis 1760. hodiernus Episcopus Oratorium, & Domum dictarum Convictricum visitavit, associatus ab Archidiacono, & Canonico Convisitatoribus, atque ab *admodum R. D. Josepho Sardi Presbytero Congregationis Oratorii*, decrevitque præ cæteris electionem Superiorissæ, aliarumque Conservatorii Officialium singulis trienniis, *coram Dominatione Sua Illustrissima, & Reverendissima, vel alio ab ipsa deputando, renovari*; & ea occasione Superiorissa exhibuit Episcopo *Codicem impressum Regulæ, cui titulus est: Regole della Congregazione delle Convittrici del Santissimo Bambino Gesù composte dal P. Cosimo Berlinzani Chierico Regolare della Madre di Dio, e loro Fondatore, raccolte, e disposte per ordine dal P. Federico Orsucci dell'istessa Religione, approvate prima dall'Eminentissimo Signor Cardinale di Carpegna Vicario, e Protettore, e confermate dipoi dall'Eminentissimo Sig. Cardinale di Lauria Visitatore Apostolico, e date ora finalmente alla publica luce &c. in Roma 1711. per il Zenobj* =

Cum tamen renuissent Convictrices anno 1761. Episcopi Delegatum excipere, ut exploraret voluntatem cujusdam Puellæ, quæ illarum institutum amplecti cupiebat: & defuncto Josepho Sardi, contenderent, novi Visitatoris deputationem spectare ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Oddi ab ipsis in Protectorem electum, qui reverà novum Visitatorem deputavit superiori anno, cum lege =

Che

Che eseguir debba tutto ciò si ordina dal Cap. IV. della Parte II. del medesimo Istituto =; preces obtulit huic Sacræ Congregationi Promotor Fiscalis, postulans, ut sarta tecta servaretur Ordinaria Episcopi Jurisdictio in eodem Oblatarum Conservatorio. Et post auditum de more Episcopum, Causa nunc proponitur, cum præfatis Convictricibus, duobus collecta capitibus.

Et Convictrices, in Causa citatæ, contendunt, præcipuum Regimen earum Convictus spectare ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Protectorem, juxta Regulas a Congregationibus Particularibus approbatas pro Convictricibus Urbis, in quibus cavetur expresse, quod illarum Congregatio gubernari debeat = *sotto l'autorità di un' Eminentissimo Signor Cardinale Protettore*. Cum enim Convictus Asculanus erectus fuerit, ut dictum est = *in conformità dell' Istituto principiato in Roma* =, & sub iisdem Regulis, quibus fundatæ erant Convictrices Urbis; arbitrantur Convictrices Asculanæ, nullam competere jurisdictionem Episcopo in iis, quæ spectant ad Cardinalem Protectorem, juxta Regulas Domus Convictricum Urbis, quia Ordinariam jurisdictionem exercere nequit Episcopus in Piis Locis, in quorum fundatione contrarium expresse cautum fuit, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *in sess. 22. cap. 9. de Reformat.*

Imò defendunt, exemptionem ex authoritate Apostolica acquisivisse ad formam earumdem Regularum, ob illarum confirmationes factas a Congregationibus deputatis a Summo Pontifice, cum expressa lege, quod eædem Regulæ = *in avvenire puntualmente si osservino da tutte le Convittrici della Congregazione del Santissimo Bambino Gesù, sì presenti, che future* =; quod etiam observantia comprobari asserunt, cum non solum in Urbe, sed etiam Prænesti, & Reate Convictrices regantur a respectivis Eminentissimis Protectoribus, ut testantur illarum Superiorissæ: & Firmi vivunt sub directione absoluta Patrum Societatis Jesu, juxta testimonium Cancellarii Archiepiscopalis. Propterea differunt, vel contra Episcopum definiendum esse Dubium de Ordinaria illius jurisdictione, vel rescribendum esse, ut recurrat in casibus particularibus, aut instet citatis aliarum Civitatum Convictricibus, illarùmque Eminentissimis Cardinalibus Protectoribus, quorum interest, suam tueri authoritatem, cui putant nihil obstare Constitutionem *Christifidelium* 82. *tom. 9.* san. mem. Innocentii XII., cum hæc solum adimat Eminentissimis Protectoribus jurisdictionem contentiosam quoad Regulares, illam attribuens Superioribus cujusque Ordinis.

Et circa electionem Visitatoris disputant, illam spectare ad ipsas Convictrices, & de ipsarum consensu expleri posse ab Eminentissimo Domino Cardinali Protectore; cum in

Cap. IV.

Cap. IV. Partis II. Regularum promulgatarum pro Convictricibus Firmanis expresse caveatur, quod = *appartenendo al detto P. Visitatore l'intiera direzzione spirituale, e domestica disciplina di questa Congregazione, favorirà intervenire almeno quattro volte l'anno alli Congressi da farsi colla Superiora, Sottosuperiora, Assistenti, e Consultrici della Superiora, dalle quali anche dovrà egli essere eletto capitolarmente*. Inde namque colligunt Convictrices duplicem rationem, pro sua vindicanda facultate eligendi Visitatorem; primo quia eadem facultas in præcitata Regula expresse conceditur Superiorissæ, ejusque Assistentibus, & Consiliariis, ideoque contra formam Regulæ, ad cujus tramites facta est erectio Convictus, nequit Episcopus suam exercere iurisdictionem: Secundo quia domestica directio spiritualis, & œconomicum gubernium Congregationis, quod in eadem Regula tribuitur Visitatori, de jure spectat non ad Episcopum, sed ad ipsam Congregationem, ejusque Caput, etiam seposita quacumque exemptione, ad tradita per *Rotam in decis.* 78. *num.* 2. *& sequen. part. prima divers.*; & in specie de Officialibus Monialium, quod eligendi sint a Superiorissa, seu Conventu, juxta Constitutiones ipsarum, non autem ab Episcopo, tenent *Gallemart. ad Concil. Trident. sess.*25. *cap.*2. *de Regul. num.*6., *& Pasqualig. in addit. ad De Franch. de contr. inter Episc. & Regul. tit. de Offic. Monast. num.*770.

Verùm Promotor Fiscalis innixus regulæ juris, quæ favet Episcopo pro exercitio suæ Ordinariæ jurisdictionis in quolibet Loco, & in omnibus Personis suæ Diœcesis, nihil officere putat, tum Regulas promulgatas pro Convictricibus Urbis, & exemplum Convictricum aliarum Civitatum, quia *consuetudo unius Ecclesiæ non subvertitur, propter consuetudinem aliarum*, ut inquit *Glofs. in can. Illud verb. contrario more distinct.*12.: Tum venerandam authoritatem Eminentissimorum Protectorum, qui conceduntur a Sancta Sede omnis Ecclesiasticæ jurisdictionis Fonte, cùm Asculanæ Convictrices Protectorem non a Summo Pontifice impetraverint, sed ipsæ elegerint, queis datum non erat, propria auctoritate se eximere a jurisdictione Episcopi: Tum demum legem fundationis, aut Partem secundam Regularum promulgatam anno 1731. pro Convictu Firmano; quia in fundatione cautum fuit, non ut omnes admitterentur Regulæ Convictricum Urbis, sed tantum ut seligerentur = *quelle, che parerà più a proposito*, & Episcopus in erectione sibi expressam reservavit auctoritatem moderandi, & mutandi admissas Regulas; secunda verò Regularum Pars, promulgata anno 1731. pro Convictu Firmano, trahi non debet ad diversas Convictrices Asculanas pridem fundatas. Et ideo defendit, electionem Visitatoris, cui ad formam di-

dictæ secundæ Partis Regularum credita est *l'intiera direzione spirituale, e domestica disciplina di questa Congregazione*, ad solum Episcopum spectare, tum vigore Sacri Concilii Tridentini *sess.25.cap.9.de Regul.*, ubi gubernium etiam Monasteriorum Sanctæ Sedi immediatè subjectorum committitur Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, tum vigore possessionis probatæ a supracitato decreto Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium edito anno 1715., & ab aliis actibus supra recensitis.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An, & ad quem spectet deputare Directorem, seu Visitatorem in Domo Convictricum Civitatis Asculi?*

II. *An liceat Episcopo exercere in dicta Domo omnes actus Ordinariæ jurisdictionis, in casu &c.*

Sess. 24. cap.1. de Reform.Matr.

BALNEOREGIEN. OBSEQUIORUM MATRIMONIALIUM. Virginia Alberti Hortana, quæ die 27. Novembris 1758. nupsit Isidoro Salvatori Balneoregiensi, paucis noctibus cum Viro morata, in Sanctimonialium Monasterium confugit die 1. Decembris ejusdem anni, narrans, substinere amplius nequivisse probrosa convicia, quibus a Viro ipsius decus, & innocentia impetebantur; & Episcopus in Epistola scripta ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium testatus est, Virum ipsum a se auditum, quem describit *di capo stravolto*, suam petulantiam haud esse inficiatum. Studuit Isidori Avunculus, ut pacem redderet Conjugibus, quos ideo, ineunte anno 1759., simul excepit Domi suæ in Civitate Tuscanellæ; sed Literas demum scripsit ad Matrem Virginiæ die 22.Februarii 1759, *con avvertirla*, (sunt epistolæ verba) *che sono restate vane tutte le mie speranze di vedere riuniti nel santo Matrimonio il Signor Isidoro, e la Signora sua Figlia, ne posso esprimerle tutti li modi, che hò inventato io, unitamente con li buoni Amici sì Secolari, che Ecclesiastici, per ridurre a dovere di giustizia, ed alla cognizione di se stesso il Melenzo &c.Che però hò scrupolo più che grande di esortar più la povera Signora Sposa a riunirsi, temendo di altro maggiore inconveniente, per cui dovessi io poi maggiormente appassionarmi.*

Alteram epistolam idem Isidori Avunculus scripsit dicta die 22. Februarii ad Amicum Balneoregii commorantem, cui pariter narravit, omnia officia pro reconciliatione Conjugum in irritum cessisse, *per il ben cognito stravolto cervello del melenzo Isidoro*; illumque rogavit, ut ab Episcopo intercederet, *che mi si levi di Casa detto Insolente*, utque curaret, ne *ritornato lo stesso privo di timor di Dio costì, e facendo maggiori dispreggi, come son certo averli usati per il passato, senza causa*,

sa, a mia Sorella sua Madre, ista aliquid detrimenti caperet. Et duo Testes Cives Hortani deposuerunt diebus 24. & 25. ejusdem mensis Februarii 1759., quod Isidorus Salvatori in Domo ipsa Avunculi acriter insæviebat contra insontem Uxorem, illique vulnera, & necem minabatur, itaut opus fuerit, illam in separato cubiculo clausam detinere, ne a furenti Viro læderetur.

Has probationes exhibuit Virginia Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, ut veniam exoraret commorandi in Monasterio Hortano; obtentaque licentia, ad Patriam reversa est, ubi impetrato ab A.C. decreto pro subministratione alimentorum contra Virum, primùm in Monasterio degit, postea in Domo Materna permansit usque ad annum 1761.; sed Amicorum officiis inducta, inde rediit ad Virum, & cum eo pacem aliquibus mensibus servavit, pro cujus perseverantia monita fuit per epistolam a Cognato, his verbis = *Voi come Donna, e Moglie certamente dovete star soggetta al vostro Marito, tanto più nelle cose giuste, e di vostro obligo. Il Signor Isidoro poi come Marito, e Uomo deve acquistarsi l'amore della Moglie, ed usare quella prudenza, ch'è più propria, e si richiede in un'Uomo, e non farsi scorgere, come per lo passato, diversamente da quello, che tutta la Parentela supponeva* =

Cum tamen in mense Octobris 1761. iterum Virginia secessisset a Viro, ad Patriam reversa, ubi adhuc permanet apud Matrem, conquestus Isidorus, abductionem Uxoris jocalium, & aliarum supellectilium, juxta extrajudicialem depositionem novem Testium, secutam esse ex ejusdem Matris consilio, & opera, instantiam pro restitutione Uxoris proposuit in hac Sacra Congregatione, ad quam Causa pridem remissa fuerat a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium. Atque nunc disputat, Uxorem, quæ sine legitima causa divertit a Viro, cogendam esse, per censuras etiam Ecclesiasticas, ad Virum redire, illique præstare obsequia Matrimonialia, juxta censuram *Textus in cap. Literas 13. §. penult. de restit. spoliat.*, & quidem in Domo propria Viri, cum Uxor non possit domicilium sibi benevisum eligere, ut dixit *Rota in Constantien. Matrimonii 26. Junii* 1761. §.*3. coram bon. mem. Frangipane*.

Et pro legitima causa recedendi a Viro haud adduci posse contendit simultates præteriti temporis: tum quia perfecta illarum probatio non eruitur ex Testibus, quos vocat dissidiorum fautores, cum præsertim alii Testes narrent, Virginiam recessisse sua levitate, & Matris seducta consiliis: Tum insuper quia Testes Mulieris solas verbales recensent injurias, quæ minimè adstruunt gravem, & atrocem sævitiam, ut requiritur ad Tori separationem decernendam, ad tradita per *Rot. in Mantissa ad Card. de Luca lib.* 14. *dec.* 12. *n.*8. *& 9. tom.*2., *& decis.*13. *n.*4. *& 5. tom.*2.; imo nec minæ suffi-

sufficiunt in actu iracundiæ prolatæ, cum non probetur Viri consuetudo illas exequendi, juxta firmata per *Rot. in Valentina separationis Tori* 12. *Februarii* 1751. §.3. *&* 19. *coram Emo Elephantutio*, *&* 10. *Januarii* 1753. §.3. *coram bon. mem. Vicecomite*: Tum demum quia quælibet antiqua injuria remissa fuit per voluntarium reditum Virginiæ ad Virum anno 1761, ut ponderavit *Rota in d. Valentina separationis Tori* 21. *Junii* 1751. §. *final. cor. Emo D. Card. Elephantutio*, *&* 10. *Decemb.* 1753. §. *ult. coram bon. mem. Amadeo*. Et eo magis arbitratur sibi restituendam esse Uxorem, quia paratus est cautionem præstare, illam non lædendi, ad præscriptum *Textus in cap. ex transmissa* 8. *de restit. spoliat.*

Definiendum itaque erit ab EE.VV.

An sit cogenda Mulier ad præstanda obsequia Matrimonialia, seù potius sit locus separationi Tori, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Martii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DEfiniri nequiverunt in præterita Congregatione habita die 12. labentis mensis Martii quatuor Causæ, quæ sequuntur. Dignentur itaque EE. PP. Folium dictæ Congregationis reassumere, & Dubia earumdem Causarum prudenti, ut solent, consilio expedire.

EUGUBINA ERECTIONIS CANONICATUUM.

Sess.24. cap.12. de Reform.

I. *An duo Canonici noviter adjungendi ex fundatione quond. Gabrielis Trianguli, eorumque pro tempore Successores teneantur solvere Sacristiæ annuam ratam pro Suppellectilibus, & Ceris a Collegiata sui ministrandis, itaut sit confirmanda conditio QUINTA in acceptatione eorundem Canonicatuum imposita; seu potius præfata summa sumenda sit ex reditibus hæreditatis dicti Trianguli?*

II. *An dicti duo Canonici promiscuè participare debeant de punctaturis quinque Canonicorum, & primæ Dignitatis veteris institutionis, & e contra isti de punctaturis novorum Canonicorum; seu potius procedendum sit cum distinctione inter utrosque, & sequenda sit methodus præscripta in conditione SEPTIMA?*

III. *An iidem duo Canonici eligi possint ad Prioratum primam Dignitatem institutam a quondam Joanne Baptista Christini; seu potius ad præfatam Dignitatem adspirare tantummodo valeant Canonici veteris institutionis ad formam conditionis DECIMÆ?*

IV. *An prædicti novi Canonici habere possint vocem activam, & passivam in concernentibus hæreditatem dicti Christini, atque in electione Officialium, aliisque contentis in conditione UNDECIMA; seu potius ea omnia reservanda sint Canonicis Christini, ad formam ejusdem conditionis?*

V. *An novi Canonici participare valeant de Legatis, & Obventionibus quoquo modo relictis Collegiatæ S. Christinæ, ejusque Canonicis; seu potius illæ reservandæ sint Canonicis veteris institutionis, ad normam conditionis DECIMÆQUARTÆ?*

VI. *An reliquæ conditiones I. II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. XII. & XIII. sint confirmandæ?*

VII. *An*

VII. *An sumptus præsentis Litis facti, & faciendi per Gismundi, & Sansigi occasione erectionis dictorum duorum Canonicatuum ex dispositione dicti Triangoli sint subministrandi ex reditibus ejus Hæreditatis, in casu &c.*

Ad I. II. & III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad IV. Gaudere voce activa, & passiva, exceptis iis, quæ respiciunt interesse, & jura particularia veterum Canonicorum. Ad V. Negative ad primam partem affirmative ad secundam, quoad legata relicta ante erectionem novorum Canonicatuum. Ad VI., & VII. Affirmative.

Sess.24.cap.1. de Reform. Matrim.

CORDUBEN. NULLITATIS MATRIMONII.

I. *An constet de nullitate Matrimonii?* & quatenus negative.

II. *An sit locus separationi Tori?*

III. *An sit locus subministrationi expensarum, & sumptuum litis, tam pro causa nullitatis Matrimonii, quam pro causa separationis Tori, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Utatur jure suo coram Ordinario. Ad III. Affirmative ad primam partem, in reliquis utatur jure suo coram Ordinario.

Sess.25. cap.2., & 9. de Regul., & Monial.

ASCULANA JURISDICTIONIS.

I. *An, & ad quem spectet deputare Directorem, seu Visitatorem in Domo Convictricum Civitatis Asculi?*

II. *An liceat Episcopo exercere in dicta Domo omnes Actus Ordinariæ Jurisdictionis, in casu &c.*

Ad I. Spectare ad Episcopum, & amplius. Ad II. Affirmative, & amplius.

Sess.24. cap.1. de Reform. Matrim.

BALNEOREGIEN. OBSEQUIORUM MATRIMONIALIUM.

An sit cogenda Mulier ad præstanda obsequia Matrimonialia, seu potius sit locus separationi Tori, in casu &c.

Utatur jure suo coram Ordinario.

URBI-

URBINATEN. CANONICATUS. Comes Guidobaldus Paciotti in Teſtamento, ſub quo deceſſit anno 1683., hæredem inſtituit Comitem Carolum Emanuelem ſuum ex Fratre Nepotem, & poſt illius obitum, *quello, che di Caſa Paciotti ſarà Padrone del Caſtello di Monte Fabri* (ſunt verba Teſtamenti) atque in defectum lineæ maſculinæ vocatorum, ſubſtituit Sodalitium Beatæ Mariæ de Miſericordia Plani Mercatus Urbini, cum onere præ cæteris erigendi Canonicatum in Eccleſia Cathedrali Urbinatenſi de Jurepatronatus Rectorum dicti Sodalitii, hac adjecta declaratione, *con che debbano eleggere uno di Caſa de i Signori Sempronii, o de i Signori Staccoli, o de i Signori Albani, quello, che li medeſimi Signori Rettori ſtimaranno più degno per tal Carica*.

Seſs. 24. cap. 12. de Reform.

Poſt defectam lineam maſculinam Hæredum vocatorum, devoluta eſt hæreditas ad Sodalitium Plani Mercatus; & die 5. Junii 1750. diſceptatum eſt in hac Sacra Congregatione de modo erigendi dictum Canonicatum, cujus tandem erectio expleta fuit die 12. Auguſti 1752., cum nonnullis conditionibus ab Archiepiſcopo approbatis vigore ſpecialis delegationis ſan.mem. Benedicti XIV., in quibus inter cætera cavetur = *Che dovendo li Signori Rettori della Ven. Fraternita nominare, e preſentare al Canonicato un Soggetto delle Famiglie contemplate dal Teſtatore, ſe mai in caſo di vacanza non vi foſſe delle medeſime Famiglie Perſona alcuna da poter' eſſere nominata, debba in tal caſo nominare, e preſentare un Gentiluomo della Città d' Urbino, tanto per età, che per ogni altro requiſito idoneo ad ottenere un Canonicato Presbiterale, come ſono gli altri della medeſima Chieſa, e non altrimenti &c.*

Canonicatum hujuſmodi poſt erectionem aſſequutus eſt Joannes Maria Semproni a Rectoribus Sodalitii præſentatus, tamquam unus ex Familiis contemplatis. Cum tamen ſuperiori anno præfatus Joannes Maria Semproni proviſus fuerit a Sancta Sede de altero Canonicatu antiquioris erectionis in dicta Cathedrali Urbinatenſi, cum decreto vacationis Canonicatus Paciotti; pro iſtius aſſequutione duo comparuerunt Oppoſitores in Dataria Apoſtolica. Primum comparuit Clericus Franciſcus Stephani Diœceſis Urbanienſis, ſeptemdecim annos natus, qui Filius eſt Orithyæ Semproni Fundatoris ex Sorrore Proneptis, & tamquam unicus qualificatus de Familiis contemplatis, ſupplicavit pro collatione dicti Canonicatus ſibi facienda, cum diſpenſatione ſuper defectu ætatis requiſitæ ad Ordinem Presbyteralem eidem Canonicatui adnexum. Comparuit poſtmodùm Clericus Joannes Chriſtophorus Biancalana Nobilis Urbinas, annum agens vigeſimum primum, qui & ipſe poſtulavit, ſibi conferri Canonicatum, cum diſpenſatione ætatis, uti præſentato a Patronis, & ex lege fundationis qualificato, ob deficientiam illorum de Familiis con-

contemplatis, non obstante concursu dicti Clerici Francisci Stephani.

Super utriusque Oppositoris Supplicatione Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius votum hujus Sacræ Congregationis exquisivit. Post auditum itaque Archiepiscopum, Causa nunc proponitur. Et certat Clericus Franciscus Stephani de sua passiva vocatione, ratus ipsi conferendum esse Canonicatum, qui est de genere vocatorum, & habet sui favore Juspatronatus passivum, cui derogari non solet a Sancta Sede, ut tradunt *Piton. de controv. Patronor. allegat.* 1. *num.* 6., *Rigant. ad regul.* 1. *Cancell.* §. 1. *n.* 334., *& Rota coram Bichio decis.* 189. *num.* 16.: non obstante defectu ætatis, quia in utroque concurrit, & quia nullo alio comparente magis idoneo Oppositore, dispensatio non solet denegari ei, qui docet de sua passiva vocatione, licet agatur de Canonicatibus Cathedralium, ut rescripsit hæc Sacra Congregatio in *Monasterien., seu Osnabrugen. Canonicatuum* 7. *Aprilis, &* 21. *Julii* 1753. *lib.* 103. *Decret. pag.* 148. *&* 294., *& in Balneoregien. Dispensationis* 21. *Junii* 1760. *lib.* 110. *Decret. pag.* 271.

Suam autem passivam vocationem Clericus Franciscus Stephani, qui Filius est Orithyæ Sempronj Fundatoris ex Sorore Proneptis, contineri arbitratur in illis Testamenti verbis, quibus Fundator eligendum esse præcepit *uno di Casa de i Signori Sempronj*; cùm verbum Domus taxative accipiatur pro sola comprehensione Agnatorum, quando vocatio directa est ad ipsam Domum impersonaliter: demonstrative vero ad designandam originem, quando, ut in casu, vocantur Personæ illius Domus = *uno di Casa de i Signori Sempronj* =, itaut comprehendat etiam Cognatos, tamquam a designata Domo revera descendentes, saltem in subsidium, & in defectum Agnatorum, ad excludendum extraneos substitutos, quoties ipsi Cognati exclusi non sint per modum Regulæ, ut firmant *Card. de Luca de Jurepatr. discurs.* 25. *num.* 2., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 75. *num.* 3. *&* 4., *& allegat.* 100. *num.* 649., *Rota coram clar. mem. Card. Tanara decis.* 99. *num.* 8. *&* 9., *coram SANCTISSIMO dec.* 12. *num.* 6. *ad* 8., *in Auximana Jurispatronatus* 22. *Martii* §. *Et licet cum seq.*, *&* 10. *Decembris* 1706. §. *Neque obstat coram clar. mem. Card. Scotto, & in Firmana Cappellaniæ* 7. *Junii* 1751. §. 4. *coram cl. mem. Card. Matthæjo*.

Eoque magis pro sua comprehensione disputat interpretandum esse passivum juspatronatus; quia in fundatione illud reservatum fuit non Agnatorum, sed Cognatorum nobilibus Familiis: Sempronj nempe, in qua nupserat Soror Fundatoris: Staccoli, a qua orta erat illius Mater: & Albani, in qua nupta erat ejusdem Fundatoris Matertera; itaut vocatio Familiarum Fundatori per medium Fæminæ coniunctarum, facilius porrigatur ad Cognatos à dd. Familiis descen-

ſcendentes, juxta notata per *Rotam in dicta decis.* 12. *num.* 18. *cor. SSmo*, & *in Faventina Beneficii* 5. *Maii* 1736. §. *Quin cor. bon. me. de Vais*. Et putat, nihil officere conditiones adiectas in Inſtrumento erectionis; tum quia in præjudicium vocatorum a Fundatore, adiungi nequiverant conditiones non ſcriptæ in Teſtamento, *Rota in Romana Cappellaniæ* 5. *Julii* 1751. §. 12. *cor. bo. me. Amadeo*; tum inſuper quia in iiſdem conditionibus extranei Nobiles Urbinates vocantur ſolum in defectum Perſonarum habilium de Familiis contemplatis, proindeque illorum vocatio locum habere nequit, dum comparet Clericus comprehenſus in Familiis contemplatis, ut prænotatum eſt. Sicut pariter nil obeſſe autumat defectum nominationis Patronorum, quùm illa non indigeat qualificatus ex lege fundationis, quoties alii æque qualificati non concurrunt, *Rota in decis.* 328. *num.* 4. *tom.* 3. *cor. Sanctiſſimo*, & *in d. Firmana Cappellaniæ* 7. *Junii* 1751. §. 3. *cor. cl. me. Card. Matthæjo*. Et differit, gratificationi etiam ſui favore locum eſſe, in excluſionem Clerici Biancalana extranei, Divitis, & de duobus vel tribus aliis Beneficiis proviſi, ut narravit in ſua ſupplicatione; cum ipſe propinquus ſit Fundatori quarto gradu ab illo diſtans, ſumma prematur inopia, & nullum aliud poſſideat Beneficium, ad notata *per Rigant ad Regul.* 17. *Cancell. num.* 203. & 211.

Contra vero Clericus Joannes Chriſtophorus Biancalana defendit, vim nullam ineſſe diſtinctioni inter vocationem, quæ refertur ad Domum imperſonaliter, & eam, quæ dirigitur ad Perſonas ipſius Domus; cum vocari nequeat Domus ad fruitionem jurisſpatronatus, quin vocatæ intelligantur particulares illiùs Perſonæ capaces poſſidendi Beneficium: Ideoque vocationem directam ad particulares Perſonas Domus, tum demum cognatos comprehendere, cum de iis prædicantur adiecta nomina appellativa Cognatorum, Propinquorum, vel Deſcendentium, aut quando cum Domus vocabulo coniungitur illud Parentelæ, Prolis, vel Cippi, quod natura ſua latius patet, & Cognatos non minus, quàm Agnatos comprehendit, ut explicat *Rota coram Falcon. de jurepatr. decis.* 56. *num.* 12. & *seq.*, & *in Præneſtina Canonicatus* 9. *Martii* 1746. §. 12. *cor. Emo Elephantutio*.

Ad tramites itaque Fundationis Paciotti, in qua vocantur non Propinquiores vel Deſcendentes, non Perſonæ de Parentela, vel Cippo, ſed *uno di Caſa de i Signori Semproni*, o *de Signori Staccoli*, o *de Signori Albani*, ſolos Agnatos contemplatos fuiſſe cenſet, cum ipſi tantum veniant ſub appellatione Domus certi Cognominis, ut firmant *Card. de Luca jurepatr. diſc.* 26. *num.* 8., & *Piton. de contr. patr. alleg.* 92. *num.* 22.: Et propterea in Jurepatronatus agnatitio nequaquam comprehendi Filios Fæminarum, nec etiam per poſterius, *Rota decis.* 141. *num.* 8. & 9. *cor.* SANCTISSIMO.

Potiſſimum quia, ſimili vocatione directa ad Perſonas Domus uſus eſt Teſtator in fideicommiſſo ordinato *per quello di Caſa Paciotti, che ſarà Padrone del Caſtello di Monte Fabri*, ad excludendos Cognatos, etiam per poſterius in defectum Agnatorum, ut indicat ſubſtitutio Sodalitii in caſu defectæ Lineæ Maſculinæ; rurſus quia, tempore conditi Teſtamenti, quatuor Pronepteş habebat Teſtator ex Nepote hærede inſtituto, ſed illas, illarumve Deſcendentes minime vocavit ad ſucceſſionem Fideicommiſſi, aut ad hoc, de quo quæritur, paſſivum juſpatronatus; & tertio quia, tempore erectionis Canonicatus, quatuordecim Cognatorum Lineæ propagatæ erant ex duabus tantum Familiis contemplatis Sempronii, & Staccoli, pleræque extra Civitatem Urbini, nec tamen aliqua illarum mentio facta eſt in Inſtrumento erectionis, in quo conventa fuit, in deficientiam Familiarum contemplatarum, nominatio *a favore di un altro Gentiluomo d'Urbino, secondo le condizioni concordate*, quæ verba, ut ait, duplici ratione oſtendunt excluſionem exterorum Cognatorum: primo quia opus non fuiſſet prævidere caſum numquam forſan eventurum deficientiæ Perſonarum contemplatarum, ſi eas inter comprehenderentur Cognati, quorum tanta creverat multitudo: ſecundo quia conventio ſubſidiariæ præſentationis faciendæ *d'un altro Gentiluomo d'Urbino*, attenta expreſſione = *di un altro* =, præſefert, non aliter uſque a primæva erectione interpretatam fuiſſe mentem Teſtatoris in vocatione prædilectarum familiarum, quam pro comprehenſione Civium, non autem exterorum.

Et his argumentis autumans excluſam eſſe vocationem, etiam ſubſidiariam, Clerici Franciſci Stephani, differit nihil ei prodeſſe, tum Sanguinis coniunctionem cum Fundatore, tum reliquas prærogatiuas, juxta notata per *Rotam in Compoſtellana Parochialis* 11. *Junii* 1723. *§. fin. cor. Card. Aldrovando*, & locum factum eſſe ſubſidiariæ admiſſioni Nobilium Urbinatenſium, quorum præſentatio in defectum Familiarum contemplatarum conventa fuit in eodem Inſtrumento erectionis, quod ſervandum eſt, & prævalet legi fundationis, donec per rem judicatam fuerit correctum, juxta reſponſum Ripæ *de jurepatr. reſponſ. 6. num. 7. & 8.*, de quo *Rota in Bononien. juriſpatronatus* 15. *Maii* 1741. *§. E conſpectu cor. bo. me. de Canilliac*; itaut nullo concurrente Oppoſitore magis idoneo, ſibi adjudicari debeat Canonicatus, uti qualificato, & a Patronis præſentato.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

An, & quæ ſupplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.

Eſſe relaxandam ſupplicationem Franciſci.

ARI-

ARIMINEN. DISMEMBRATIONIS. Villa Vallechii Ariminensis Dioecesis, quam incolunt viginti sex Rusticorum Familiæ, duobus Miliariis distat ab Ecclesia sua Parochiali S. Felicis de Arboreto, ad quam nequit patere accessus, nisi per semitas impervias ac dirutas, ob Rupes, & Aquarum cursus duorum, qui eas intersecant, Torrentium; itaut nec Parochiani, tempore potissimum hyberno, ipsam Parochialem Ecclesiam adire possint, nec Parochus ad Villam accedere spiritualia auxilia, & Sacramenta Populo ministraturus; quare debiliores, Pueri, & Senes privantur nedum commodo audiendi Sacrum diebus Festis, & Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscipiendi, sed etiam necessaria Evangelii, & Doctrinæ Christianæ explanatione, vitam misere ducentes in magna rerum ad fidem pertinentium ignorantia, & plures occumbunt sine debita Sacerdotis assistentia, & sine necessariis Sacramentorum præsidiis.

Sess.21. cap.4. de Reform.

Habitatores itaque ejusdem Villæ, suarum Animarum saluti prospicientes, oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO precibus, quæ ad hanc Sacram Congregationem remissæ sunt, postularunt, ut prævia dismembratione, nova erigeretur Parochia in Ecclesia S. Blasii, quæ extat in eadem Villa, satisque ampla est ad incolarum numerum complectendum, adsignatis in substentationem novi Parochi reditibus, & proventibus Beneficii simplicis in eadem Ecclesia erecti sub titulo Abbatiæ, ascendentibus ad annua sc.75. monetæ Romanæ, postquam tamen sequuta fuerit ejusdem Beneficii vacatio.

Eminentissimus Ordinarius de more auditus confirmat narratorum veritatem, cum fuerit Testis oculatus occasione Pastoralis Visitationis, accedens ad eandem Villam humeris Hominum delatus, propter viarum asperitatem; & refert, quod commotus Parochianorum miseriis Auctor ipse fuit, ut preces SANCTISSIMO porrigerentur pro hujusmodi novæ Parochialis erectione, quam sua authoritate perfecisset, nisi affectum, & reservatum esset Sanctæ Sedi Beneficium prædictum modo obtentum a Sacerdote Montemaggio Secretariæ Status inservienti; præsertim quia ob Parochianorum, & hodiernæ Parochialis inopiam, alia via consultum esse non potest illarum Animarum saluti: & quia, ut ex pluribus pastoralibus visitationibus depromitur, Ecclesia S. Blasii olim fuit Parochialis, dictique Beneficii reditus præcipue constant ex Decimis, quas annuatim pendunt Homines d. Villæ Vallechii.

Auditi pariter fuerunt Ministri Datariæ, qui assentiuntur unioni, sive assignationi dicti Beneficii favore novæ Parochialis erigendæ. Et hujusmodi erectioni suum præstat consensum Parochus S. Felicis de Arboreto, cum cessione jurium, & onerum Curæ super Habitatoribus Villæ, ac emolu-

lumentorum Funeralium, juxta documentum in Secretaria exhibitum, sive incertorum emolumentorum Funerum, ut legitur in alio documento in actis producto, sibi tamen reservato jure baptizandi Pueros novæ Parochiæ, & interveniendi cum suo Cappellano, prælative quoad alios Presbyteros, in omnibus illius functionibus, dignioremque locum occupandi post novum Parochum, ac dummodo non minuantur reditus suæ Parochiæ, nec sibi onus augeatur.

Petitæ igitur erectionì locum esse disputant Oratores, juxta votum Eminentissimi Episcopi, & servatis conditionibus in consensu Parochi expressis; cum omnes urgeant causæ dismembrationis enumeratæ *in cap. ad audientiam de Eccles. Ædif.*, & a Sac. Concilio *Tridentino in sess. 21. cap. 4. de Reform.*: & extrema Parochianorum, & hodiernæ Parochialis inopia legitimam reddat unionem simplicis Beneficii favore novæ Parochialis, juxta mentem ejusdem Sacri Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 5. de Reformat.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

I. *An sit locus dismembrationi Ecclesiæ Parochialis S. Felicis de Arboreto?* Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit facienda dismembratio, in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmative, juxta votum Emi Episcopi, servatis conditionibus in utroque consensu Parochi expressis, facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 25. cap. 11. de Regul., & cap. 13. de Ref.

BONONIEN. Causa hæc, cujus speciem dedimus in Folio Congregationis habitæ die 22. Maii superioris anni, proposita fuit in alia Congregatione habita die 3. Julii. Quindecim erant illius Dubia.

I. *An Cura habitualis Ecclesiæ Parochialis S. Laurentii Castri Butrii resideat penes solum P. Priorem Conventus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ejusdem Castri, sive potius penes omnes Religiosos dicti Conventus, vel potiùs totum Capitulum Provinciale Provinciæ Romandiolæ ejusdem Ordinis?*

II. *An & cui competat facultas deputandi Religiosum, sive Religiosos pro exercitio Curæ ejusdem Ecclesiæ?*

III. *An & a quo, seu quibus exercenda sit Cura actualis dictæ Ecclesiæ?*

IV. *An pro associatione Cadaverum invitari prælative debeant Religiosi dicti Conventus, quatenus præter Parochum actualem invitari velint alii Presbyteri, sive Clerici Seculares, vel Regulares: sive potius sit in Testatorum, vel Hæredum libertate invitare Presbyteros, vel Clericos sibi benevisos, vel Seculares, vel Regulares cujuscumque Ordinis, etiam ad exclusionem Religiosorum dicti Conventus?*

V. *An*

V. *An Testatores, vel Hæredes invitare possint ad libitum, sive uti Cappellanos conductitios, sive uti Capitulum Claustrale Religiosos dicti Conventus, quando invitantur ipsi tantummodo ad associanda Cadavera?*

VI. *An eadem competat libertas Testatoribus, & Hæredibus, quatenus præter dd. Religiosos, etiam alii Presbyteri, vel Clerici Seculares invitentur, sive potius teneantur eosdem Religiosos vocare, uti Cappellanos conductitios, quando alii Presbyteri, & Clerici similiter uti Cappellani conductitii invitantur?*

VII. *An salva præcedentia debita Parocho stola induto, & ducenti funus, debeatur præcedentia, & dignior locus Presbyteris, & Clericis Secularibus supra Religiosos dicti Conventus intervenientes associationi Cadaverum uti Cappellanos conductitios; seu potius debeatur dictis Religiosis?*

VIII. *An eadem præcedentia debeatur dd. Religiosis supra Presbyteros, & Clericos Seculares, quando ipsi interveniunt uti Capitulum Claustrale?*

IX. *An dicta præcedentia debeatur Priori ejusdem Conventus supra Presbyteros, & Clericos Seculares, quatenus ipse interveniat cum aliis Religiosis sui Conventus intervenientibus tam Collegialiter, quàm uti Cappellanis conductitiis?*

X. *An commisceri possint Laici conversi dicti Conventus cum Presbyteris, & Clericis tam Sæcularibus, quàm Regularibus invitatis, atque intervenientibus tamquam Cappellanis conductitiis?*

XI. *An in publicis Functionibus, & Processionibus tam ordinariis, quàm extraordinariis fieri solitis, vel imposterum faciendis in dicta Ecclesia Parochiali S.Laurentii Butrii, etiam de mandato, vel licentia Eminentissimi Archiepiscopi Bononiæ, possint Presbyteri, vel Clerici Sæculares intervenire induti consuetis indumentis, etiamsi non fuerint invitati a Parocho, aliisque Religiosis dicti Conventus?* & quatenus affirmative.

XII. *An præcedentia, & dignior locus debeatur dd. Presbyteris, & Clericis Sæcularibus, seu potius iisdem Religiosis?*

XIII. *An idem jus interveniendi competat Presbyteris, vel Clericis Sæcularibus etiam in Functionibus, & publicis Processionibus fieri solitis in Ecclesiis Confraternitatum ejusdem Castri?* & quatenus affirmative.

XIV. *An præcedentia, & dignior locus debeatur dd. Presbyteris, & Clericis Sæcularibus, seu potius dd. Religiosis?*

XV. *An iidem Presbyteri, & Clerici Sæculares teneantur se induere Superpelliceo, aliisque congruis indumentis in Sacrario Ecclesiarum, ad quas accedunt, tàm pro Funeribus, quàm pro Functionibus, & Processionibus; sive potius eis liceat id perficere etiam in ipsis Ecclesiis?*

Et his Dubiis Sacra Congregatio respondit: *Ad I. Curam habitualem spectare ad Conventum. Ad II. & III. Servandas esse Constitutiones Ordinis, salva approbatione Emi Archiepiscopi. Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ad V. Affirmative. Ad VI. Provisum in IV. Ad VII. Præ-*

ce-

cedentiam deberi Presbyteris , & Clericis Sæcularibus intra eundem Ordinem . Ad VIII. Negative . Ad IX. Negative , quatenus non sit Parochus . Ad X. Negative . Ad XI. Affirmative , præter quàm in Functionibus , & Processionibus faciendis ex Instituto Regulari . Ad XII. Provisum in VII. & VIII. . Ad XIII. Affirmative , dummodo sint vocati a Confraternitatibus . Ad XIV. Provisum in VII. & VIII. . Ad XV. Affirmative ad primam partem , negative ad secundam .

Sed impetrata a Collitigantibus nova audientia , Causa denuo proponitur . Et quoad pertinentiam Curæ , non impugnata resolutione II. & III. Dubii , Clerus Sæcularis postulat recessum a Decisis super I. Dubio , contendens , Curam habitualem spectare ad Capitulum Provinciale ; cùm Parochialis Ecclesia concessa fuerit Provinciali , & Fratribus Provinciæ Romandiolæ ; eo magis , quia Curatus actualis , juxta Constitutiones Ordinis , quas servandas esse præcepit hæc Sacra Congregatio , deputandus est a Definitorio Provinciali,cùm regulariter facultas deputandi Curatum actualem denotet , Curam habitualem penes Deputantem residere , ut firmant *Tondut.resolut.Benefic. part.*3. *cap.*141.*n.*10., & *Rota decis.* 186. *num.*5. *part.*4.*in Nuperr.* Regulares tamen excipiunt, Ecclesiam fuisse concessam Religiosis Provinciæ, non pro universa Provincia , sed pro novo Conventu ædificando in Terra Butrii *pro ipsorum habitatione* , ut legitur in Literis Apostolicis Innocentii VII. , ideoque Curam habitualem fuisse translatam in ipsum Conventum contemplatum : Et deputationem Curati actualis fieri a Definitorio Provinciali cujuslibet Provinciæ , non jure suo , sed in repræsentantia singulorum Conventuum , quibus annexa est Cura Animarum , quemadmodum Archipresbyter, uti Caput Capituli, aliquando deputat Vicarios in repræsentantia totius Capituli Curati habitualis, juxta firmata per *Rotam in decis.*263. *num.*27. *coram* SANCTISSIMO .

De Funeribus autem , ad quæ pertinent IV. V. VI. & X. Dubia , resolutionem V. Dubii laudant Regulares, sed contendunt recedendum esse a Decisis quoad reliqua. Differunt enim , æquam esse suam petitionem , ut ipsi prælative vocentur ad Funera , quoties ab Hæredibus alii Sacerdotes invitantur ultra Parochum , ut censuit hæc Sacra Congregatio in *Nullius Montis Casini 26. Januarii* 1726. *ad IX. Dub.* rescribendo = *Licere Hæredibus Defunctorum solum Parochum vocare ; sed quatenus alios Presbyteros vocare velint , esse præferendos illos Ecclesiæ Matricis , in numero ipsis Hæredibus benevisò* = *lib.*76.*Decret.pag.*31. ; & tradunt *Card. de Luca de Parochis disc.*28. *num.*8., & *disc.*46.*num.*5. , *Pignatell.consult. canon.*205. *n.*2. & *seq.tom.*4., *Piton.discept.Eccles.*50.*n.*14.,*Rot. coram Ansaldo decis.*407. *num.*25. ; atque cavetur in Statuto Cleri Romani *cap.* 5. §.2. *in add.* , & §.14. ; præsertim vero quoad Vicecuratum,quem non deesse in Parochiali Butriensi re-

referunt Testes, & quem numquam esse ab aliis excludendum præscribitur in dicto Statuto Cleri Romani *cap.5.§.14. in addit.*

Et nihil officere arbitrantur transactionem anni 1716.; tum quia deficit Beneplacitum Apostolicum; tum quia interpretanda est pro exclusione coactivæ, non autem prælativæ vocationis. Nullamque rationem autumant habendam esse de foliis præliminaribus exhibitis a Clero Butriensi, in quibus apparet specialiter disceptatum fuisse de prælativa vocatione; quia nec folia prædicta extracta fuerunt citata Parte, nec valida fieri potest illatio a tractatu ad conclusionem. Atque demum contendunt, Laicos Conversos excludendos non esse a munere Cappellani conductitii in Funeribus, quoties non resistat Hæredum voluntas, quam solum præservare voluit san. mem. Benedictus XIV., dum erat Archiepiscopus Bononiensis, inquiens in *notific.* 105. *num.*32. = *Non sappiamo già, ne mai ci possiamo figurare &c., che chi invita qualche Religioso Claustrale per venire a fare da Cappellano, possa avere in capo d'invitare un Laico, o sia Converso* =

Verùm advertendum est, quod in præcitata Causa *Nullius Montis Casini* definita per hanc Sacram Congregationem, pro vocatione prælativa Presbyterorum Ecclesiæ Matricis, aderat consuetudo immemorabilis a Partibus admissa in Facto concordato, ut recognovi in Positione originali asservata in Archivio Secretariæ. Et Doctores superius citati loquuntur in terminis prælationis debitæ vigore Decreti Synodalis, vel consuetudinis, quam rationabilem vocant, firmantes de cætero, eandem prælationem de jure non competere, ut late probant *Card. de Luca in dicto disc.*46. *de Paroch. num.*3. & 4., & *Pignatell. d. consultat.*205. *num.* 26. & *seq. tom.*4.; imò *Piton. in d. discept.* 50. *n.*36. testatur, quod ipse in Causa succubuit super hoc articulo, non obstante allegata consuetudine, de qua meminit *num.*14., quia in facultativis, ut est materia vocationis ad Funera, legitima consuetudo non inducitur, sine contradictione, & acquiescentia, ut firmant *Card. Petra ad Constitut.*2. *Clementis IV. num.*25. *tom.*3. *pag.*400., & *Rota in decis.*13. *num.*9. & 10. *coram* SANCTISSIMO. Et Statutum Cleri Romani prælationem tribuit solis Presbyteris Sæcularibus, quando sunt de gremio Ecclesiæ Parochialis, non autem Regularibus, quos solum vocari permittit tamquam Cappellanos conductitios in Parochialibus eorum Conventus, quatenus desint Presbyteri Sæculares, ut *in cap.*5. §.15. *in addit.*, ibi = *Decernimus tamen, ut Regulares nonnisi collegiatim vocentur in funere per Parochos Sæculares, & Defunctorum Hæredes: In Parochia tamen propria Regulari (& numquam in aliis Parochiis, vel Ecclesiis) si Regularis aliquis uti Coadjutor ratione Curæ, vel etiam plures* EX DEFECTU PRESBYTERORUM SÆCULARIUM,

alia-

aliaque honesta causa, interdum non collegiatim intersint in funere (quod passim, & absque ulla necessitate usurpari nolumus) tunc Regulares ipsi, ut reliquis Clerus, decenti Superpelliceo, & Bireto Sacerdotali induti sint.

Addit præterea Clerus Butriensis, incassum inficiari controversiæ diremptionem deprom ptam a transactione anni 1716. a Superioribus Ordinis approbata, in qua cavetur = *Che non corra obligo ad alcuno d'invitare li RR. PP. all'associazione de' Cadaveri alla sepoltura, ma sia in libertà di ciaschedu- no il farlo, o nò: come altresì sia in libertà di detti RR. PP. l'andare, o nò: bastando la Persona del M.R.P. Curato* = Siquidem autumat, nihil officere defectum Beneplaciti Apostolici, cum non requiratur in similibus concordiis super juribus Parochialibus, *ad Textum in cap. fin. de pact. in 6.*; cui adhæret *Pignatell. in dicta consultat.* 205. *num.* 17. *tom.* 4.: Minusque plausum mereri interpretationem dictæ transactioni datam a Religiosis, quod solum excludat coactivam vocationem; quia, cum appareat ex foliis præliminaribus, controversiam fuisse de prælativa vocatione, ad eam etiam, & non ad vocationem coactivam tantum referenda est posterior transactio. Ad Laicos verò excludendos a munere Cappellani conductitii in Funeribus, quærendum non esse contenditur de voluntate Hæredum, tum quia illius resistentia præsumitur, nisi contrarium probetur, juxta præcitatam *notific.* 105. *num.* 32. san. mem. Benedicti XIV., tum quia in eadem notificatione prohibetur Laicorum interventus cum Cappellanis conductitiis, ratione indecentiæ, quæ adimi non potest ex voluntate Hæredum.

Conqueruntur etiam Regulares de præcedentia ipsis denegata supra Presbyteros Sæculares in VII. VIII. IX. XII. & XIV. Dubiis. Atque differunt deformitatem parere mixtum incessum Regularium, & Sæcularium Presbyterorum, sub unica, quæ elevatur, Cruce, ut notant *Ursaja discept. Ecclesiast. tom.* 5. *part.* 2. *discept.* 13. §. 1. *num.* 56. *&* 60., *& Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 16. *num.* 7. *& sequ.*: Et præcedentiam ipsis deberi, sive quia constituunt Collegium Ecclesiæ Matricis, dum absonum non videtur, quod Presbyteri Sæculares cedant Regularibus, quando in ordine Hierarchico illis sunt subditi, vel inferiores, ut tradunt *Piton. discept. Eccles.* 57. *num.* 54., *& Adden. ad Ausald. decis.* 55. *num.* 17.; sive quia unum corpus efformant cum Religioso, qui in figura Parochi Stola indutus omnes alios præcedit, a quo sejungi non debent; ut notat *Ursaya d. tom.* 5. *part.* 2. *disceptat.* 13. §. 1. *num.* 65.; sive demum quia Presbyteri adscripti servitio Ecclesiæ Parochialis regulariter præcedere debent alios Cappellanos adventitios, ut cavetur in Statuto Cleri Romani *cap.* 5. §. 15. Multoque magis præcedentiam dandam esse contendunt Vicecurato ad formam dicti Statuti Cleri Romani *cap.* 5. §. 14. *in addit.*, ac Priori, qui est aliorum Religiosorum Su-

pe-

perior, ut de Præposito Ecclesiæ S. Thomæ, quæ erat in Oppido Certaldi Principalis, & cæteris Ecclesiis Superior, definivit Sacra Congregatio Rituum relata per *Pignatell. consultat.canon.46. num.9.tom.7.*

Pro Clero autem Butriensi excipitur, deformitatem omnem ratione mixti incessus Regularium, & Sæcularium Presbyterorum, sublatam fuisse opportuna casuum distinctione, cum qua processit hæc Sacra Congregatio, rescribendo, *præcedentiam deberi Presbyteris, & Clericis Sæcularibus intra eundem Ordinem*, quando Religiosi interveniunt uti Cappellani conductitii induti Superpelliceo, ad instar Presbyterorum Sæcularium, ut proponebatur in VII. Dubio: deberi autem iisdem Presbyteris, & Clericis Sæcularibus absolutè, quando Religiosi incedunt uti Capitulum Claustrale, juxta quæstionem in VIII.Dubio propositam. Quando enim Religiosi intersunt uti Cappellani conductitii, nulla oritur deformitas ex illorum mixto incessu cum Presbyteris, & Clericis Sæcularibus, servata solius Ordinis prærogativa, cùm omnes æqualiter induti sint Superpelliceo, & insimul constituant unum Cappellanorum cœtum, ut notat sa.me. Benedictus XIV. in sæpecitata *notific.*105. *num.*33.; quando vero incedunt uti Capitulum Claustrale, cessat etiam deformitas, per absolutam præcedentiam datam Presbyteris, & Clericis Sæcularibus, sine Ordinis distinctione; quia Clerus Sæcularis incedit sub Cruce Parochi, Religiosi autem præire debent sub proprio Vexillo, ut prosequitur in *d.notific.*105.*num.*40.

Et urgetur, merito in utroque casu præcedentiam datam fuisse Clero Sæculari; quia controversia non est inter Parochum Ecclesiæ Matricis Regularis, & Parochum Ecclesiæ Sæcularis inferioris, in quibus terminis loquuntur *Piton. in dicta disceptat.* 57., *& Addens ad Ansald. decis.* 55. *numer.* 17., neque controversia est de Capitulo Cathedralis Regularis aut Ecclesiæ Abbatialis Nullius, cui præcedentiam deberi ratione Superioritatis tenet *Card. de Luca de Præeminent. discurs.*52. *num.*20., licet contrarium strenue defendat *Pignatell. consultat. canon.* 26. *num.* 29. *& seq. tom.*4.; sed controversia est de Clero Sæculari, & Regulari concurrentibus ad servitium unicæ Ecclesiæ Parochialis, quæ est in Castro Butrii, & ideo extranei sunt termini Matricitatis, & Superioritatis, qui ponderari possent, quando controversia agitaretur inter Clerum Ecclesiæ Matricis, & Clerum Ecclesiæ Filialis, vel inferioris, quo cessante duarum Ecclesiarum concursu, non jus Matricitatis, sed jus Ecclesiæ Parochialis inspiciendum est, cujus vigore nequeunt Regulares, etiam in propria Parochia, præcedere Presbyteros Sæculares, ut statuit san.mem.Benedictus XIV. pro Diœcesi Bononiensi in *d.Notific.* 105. *num.*33. & 40., nec discordat Statutum Cleri Romani, præscribens *in cap.*5.§.15.

in

in addit., ibi = *Sed tam in funerali Processione*, *quàm in cæteris publicis actibus*, *etiam in propriis ipsorum Regularium Ecclesiis*, *semper præcedant Presbyteri*, *seu Clerici Sæculares*.

Atque subditur, specialem legem Statuti Cleri Romani quoad prælativam vocationem, & præcedentiam Vicecurati, trahendam non esse in exemplum pro diversa Ecclesia Dioecesis Bononiensis: despiciendamque esse tum præstantiam Prioris, quia ille est Superior Religiosorum, non totius Cleri, ut est casus, de quo agit *Pignatell. d. consultat. 46. num.9.tom.7.*, tum allegatam rationem servandi unitatem corporis cum Religioso Stola induto, quia vel Religiosi incedunt & ipsi induti Superpelliceo, & hoc casu unum cœtum Cappellanorum efformant cum Presbyteris Sæcularibus, quorum omnium Caput est Religiosus indutus Stola, vel incedunt in habitu Regulari tamquam Capitulum Claustrale, & hoc alio casu corpus efformare debent cum proprio Priore, sub distincto Vexillo, non cum Parocho, qui præcedit Cappellanos unum cum ipso Corpus efformantes.

Postrema contoversia est de interventu Cleri Sæcularis in publicis Supplicationibus, & Functionibus, quæ fiunt non ex instituto Regulari, ad quam pertinent XI. & XIII. Dubia. Æquo animo ferunt Regulares, permissum Presbyteris Sæcularibus interventum in Ecclesiis Confraternitatum, quando ab eis invitentur, ut in XIII. Dubio; sed disputant, eundem interventum Cleri Sæcularis permittendum non esse in ipsorum Parochia, quando non invitatur, ut de Confraternitate dixit *Rota in Comen. Processionum*, *& Præcedentiæ 19. Junii 1752. §.4. ad 7. coram Reverendissimo Cortada*. Sed Clerus Sæcularis, qui adscriptus esse debet alicui Ecclesiæ, juxta mentem Sacri Concilii Tridentini *in sess.23. cap.16. de Reform.*, sedem habere autumat in Ecclesia Parochiali, ut illi inserviat in omnibus Functionibus, præterquam in iis, quæ fiunt ex instituto Regulari; cum in Castro Butrii non adsit alia Ecclesia pro Presbyteris Sæcularibus.

Dignentur itaque EE. VV. decernere.

An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS. Victorius Lancellotti, in Testamento condito anno 1736., hæredem instituit Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, quæ Camerini erecta est in Ecclesia Patrum Ordinis Sancti Dominici, cum onere distribuendi quolibet anno ex fructibus hæreditariis duo dotalia Subsidia scutorum centum pauperibus Puel-

Puellis Camerinensibus sorte extrahendis, quæ monasticam vitam suscepturæ forent. Anno autem 1749. legem statuit Confraternitas Ordinarii auctoritate approbatam, qua Puellis eligendis terminus præfigitur quinque annorum ad assumendum habitum Regularem, injuncta alioquin pœna caducitatis, & reversionis Subsidii favore Sodalitii, ut aliis Puellis distribueretur. Horum recadentium Subsidiorum cessionem a Confraternitate impetrarunt Patres Dominicani prædicti die 6. Junii 1757., pro quantitate scutorum 3000. eroganda in reparationem Fabricæ Ecclesiæ: obtentamque cessionem confirmari curarunt Pontificio Brevi expedito die 11. Martii 1759., de voto hujus Sacræ Congregationis, cujus authoritas propterea in eodem Brevi præservatur.

Cùm tamen alterum ex dd. Subsidiis in mense Septemb. 1758. sorte obvenisset Puellæ Gasperæ Gualtieri, quæ postmodùm cedere illud deliberavit Puellæ Venantiæ Antoniæ Cicotti Concivi suæ, preces oblatæ fuerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro approbatione hujus cessionis, non obstante Brevi concesso PP. Dominicanis. Et delegatis precibus huic Sacræ Congregationi, auditus fuit de more Episcopus, qui testatur, propositæ cessioni assentiri Rectores Confraternitatis, adversari autem Patres Dominicanos; at ipse petita gratia dignam judicat Puellam Cicotti, cùm sit pauper, & orphana, actuque moretur in educatione in Monasterio Oppidi S. Anatoliæ illius Diœcesis, *ibidem retenta sumptibus piorum Benefactorum, qui ad providendum egestati dictæ Puellæ, & ad illam tollendam a periculis, in quæ præcipuè his temporibus Puellæ in sæculo degentes incurrere possunt, summam necessariam persolvunt*.

Disputat itaque Puella Cicotti, locum esse approbationi cessionis; cùm illa sit consentanea dispositioni Testatoris, qui consulere voluit pauperibus Puellis monachandis, quibus æque consultum remanet per immediatam electionem, ac per cessionem illis factam a Puellis electis. Nullamque rationem habendam esse contendit de Brevi Apostolico impetrato a Patribus Dominicanis; quia Breve illis indulgens solum *ea Subsidia, quæ deinde extrahenda veniant, & Puellæ in dictorum quinque annurum spatium illis minimè utantur*, comprehendere nequit hoc, de quo agitur, Subsidium, quod ante expeditionem Brevis collatum fuit Puellæ Gualtieri de mense Septembris 1758., & cujus cessio proponitur adhuc currente quinquennio, antequam jus quæsitum sit Patribus Dominicanis.

Duo tamen advertenda sunt, alterum, quod a duobus ex tribus Rectoribus Confraternitatis præstitus fuit consensus sine præjudicio jurium, quæ competere possunt PP. Dominicanis vigore Brevis Pontificii: Alterum, quod non ex collatione Subsidiorum posteriori editioni Brevis metienda vi-

videtur eorumdem subjectio Brevis dispositioni,sed quidem a tempore cessionis Subsidiorum devolvendorum per Confraternitatem factæ PP.Dominicanis die 6.Junii anni 1757, dum ex tenore ejusdem Brevis patet, concedi applicationem pro restauratione Ecclesiæ usque ad summam scutorum 3000. *ex supradictis subsidiis dotalibus reversis, & in futurum revertendis.*

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere

An Subsidium Dotale Operis pii Lancellotti collatum Puellæ Gualtieri applicandum sit Fabricæ Ecclesiæ Conventus S. Dominici, seu potius admittenda sit illius cessio favore Puellæ Cicotti, in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

PANORMITANA. Marianus Mansi, Testamento condito anno 1612., hæredem instituit Simonem Fratrem suum; & post ejus obitum, annuas reliquit uncias biscentum quinque monetæ Siculæ Presbyteris Congregationis Oratorii, vel in illorum defectum Rectoribus Sodalitii S. Mariæ Novæ Panormi, ea lege,ut ex illis decem Subsidia unciarum viginti quolibet anno distribuerentur pauperibus Puellis omni alia Dote carentibus, cum prælatione suarum Consanguinearum usque ad quartum gradum, quibus singulis dari voluit Subsidium in majori quantitate unciarum quadraginta, immò & unciarum septuaginta, si filiæ suarum Sororum concurrerent; nec Puellis modo, sed Masculis etiam, qui a suis Sororibus descenderent, prospiciens, reditus pro dotandis Puellis relictos in illorum præsidium erogari præcepit, quoties ægroti, aut Carceribus mancipati ope aliena indigerent, vel inter Hostes captivi facultatibus non pollerent ad redemptionem necessariis, cuilibet hoc casu assignando Subsidium unicarum sexaginta.

Pii Testatoris munificentia primum gavisus est Marianus Biondo illius Nepos, cui summopere inopi, & mala valetudine presso Rectores Confraternitatis S. Mariæ Novæ, ad quos legati administratio delata est, assignarunt diurnam eleemosynam tarenorum quatuor, quousque viveret; & illo defuncto, per Sententiam Apostolicæ Legationis latam anno 1671., prorogata est ejusdem eleemosynæ præstatio ad vitam illius Filiorum, cum jure accrescendi inter eos, itaut integra eleemosyna tandem coaluerit in Persona Constantiæ Biondo ultimæ dicti Mariani Filiæ.

Fretus itaque aliorum exemplo Vincentius Merlo, preces obtulit san. mem. Benedicto XIV., quibus & ipse quotidianum Subsidium trium tarenorum postulavit ex dicto legato, augendum post mortem prædictæ Constantiæ Biondo ad tarenos quatuor, qui annuas constituunt uncias quadraginta octo. Et cum petitæ assignationi, pro rata tamen tarenorum

rum duorum ad vitam Oratoris, assentirentur Rectores Confraternitatis Administratricis: & Vicarius Generalis, in absentia Archiepiscopi Panormitani, testimonio suo comprobasset, Oratorem quarto Consanguinitatis gradu conjunctum esse Testatori, tenuique censu potiri annuarum duodeviginti unciarum, quibus suis, suæque prægnantis Uxoris, & duarum Filiarum alimentis supplere non poterat, pro suæ honestæ conditionis decentia; hæc Sacra Congregatio, ad quam preces a dicto Summo Pontifice remissæ fuerant, die prima Septembis 1742. annuit petitis pro solis tamen duobus tarenis qualibet die ad decennium, si tandiu exposita paupertatis causa perdurasset, ut *in lib.92. Decret. pag. 554.*; ejusdemque gratiæ prorogatio ad aliud decennium indulta fuit ex audientia Sanctissimi die 4. Augusti 1751., ut *in lib.*101. *Decret. pag.*398.

Novam prorogationem a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO postulavit Orator, ad vitam suam, suorumque Filiorum; & cum postulationis ejusdem cognitio delegata fuisset huic Sacræ Congregationi, Literas exhibuit Vicarii Generalis Panormitani, qui Parochi testimonio, & depositionibus Testium fide dignorum edoctum se fuisse narrat, quod Orator nullis muneribus vacans, solum habet in reditu annuas uncias sexdecim, omnino impares alimentis subministrandis ei, ejusque Uxori, & quatuor Filiabus, quibus onustus est.

Nunc autem disputat, cognationis vinculum, quo jungitur Testatori, actionem quodammodo ipsi tribuere ad alimenta contra legatum a suo Consanguineo relictum Ecclesiæ, sive in causam piam; cum Ecclesia, æquitatis cultrix, beneficium rependere teneatur, & illis non solum, quorum opibus ditata est, sed Uxoribus quoque, & Filiis indigentibus subvenire, *Can. Quicumque 30. quæst.7.*, *& Cap. Nobis in fin. de Jurepatron.* Ideoque defendit, facilius indulgendam esse petitam alimentorum prorogationem, quæ postulatur ex gratia; cùm in gratiis indulgendis æquitas magis, quàm summum jus spectare oporteat: & ex legato in subventionem pauperum relicto, Consanguineorum prius, quam aliorum indigentiis subveniendum sit, ratione ordinatæ charitatis, etiamsi nulla illis competeret actio summo jure, ut innuunt rescripta hujus Sacræ Congregationis *in Romana Subsidiorum Dotalium 30.Martii* 1748. *lib.98.Decret.pag.*141., *& in Bononien. Assignamenti* 21. *Junii* 1760. *lib.*110. *Decret. pag.*276.

Et arbitratur, suam paupertatem, suamque Cognationem cum Testatore in discrimen revocari non posse; cum utraque fuerit comprobata testimonio Vicarii Generalis, & agnitione Rectorum Confraternitatis anno 1742.: potiusque paupertas aucta sit, ob senectutem Oratoris, & adauctum numerum ejus Filiarum; quare probatio, quæ satis fuit ad obti-

obtinendam alimentorum assignationem, prodesse quoque autumat ad obtinendam gratiam prorogationis. Potissimum quia, nec paupertas, nec cognatio ad hunc effectum rigorosas exigunt probationes, ut notant *Piton. de Controv. Patron. allegat.*44. *num.*1., *&* 2., *& Rota post eumdem dicta alleg.*44. *num.*54., *&* 56., *& num.*74., *&* 76., *& coram Falconer, de Aliment. decis.*7. *num.*3.

Sed petitæ gratiæ adversantur hodierni Rectores Confraternitatis Administratricis, duabus potissimum innixi rationibus. Primò quia repugnat Testatoris voluntas, qui adeo enixe optavit indigentium Puellarum dotationem, ut nec ipsis Puellis de sua cognatione specialiter prædilectis, subsidium dari voluerit, nisi vera egestate præmerentur, omnique alia dote carerent; neque Masculis, qui a suis Sororibus descenderent, subveniri præcepit, nisi in tribus designatis casibus, adversæ valetudinis, carcerationis, & captivitatis, summam insuper determinando in unciis sexaginta pro redemptione Captivorum, quatenus suis pecuniis redimi non possent. Secundo quia deficit ea paupertas, quam Orator prædicat, & quam non nisi a falsis Testibus deceptum, ajunt, retulisse Vicarium Generalem in postremis Literis; cum Orator anno 1748. divisione facta cum Fratribus, in suam portionem acceperit bona stabilia annui reditus unciarum quadraginta septem cum dimidio, quæ postea locata fuerunt etiam majori pensione, ut probant publica Instrumenta Testibus præferenda, ad *Textum in Leg. Census* 10. *ff. de Probat.*

Et quoniam Orator anno 1742., quo possidebat annuos reditus unciarum 18., subsidium impetravit aliarum unciarum viginti quatuor dumtaxat, eademque summa solum indigere modo innuit, postulando prorogationem indulti pro assecutione ejusdem summæ, in supposito, quod possideat annuos reditus unciarum sexdecim; cum hoc pacto implicite fateatur pro sua, suæque Familiæ decenti substentatione sufficere annuas uncias quadraginta: alterutrum concedendum esse inferunt Rectores Confraternitatis, quod vel novo Subsidio non egeat Orator, qui non quadraginta solum, sed ultra quinquaginta annuas uncias retrahit ex suis bonis: vel recipiendo subsidium, sub prætextu exigui sui census annuarum unciarum sexdecim, cedere teneatur pio Operi dotandarum Puellarum, quidquid percipit ex bonis suis ultra sexdecim uncias enunciatas, ut in simili casu censuit *Rota in Salernitana Alimentorum* 23. *Junii* 1760. *coram R. P. D. Olivatio*.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

An, & ad quod tempus sit proroganda diurna subministratio tarenorum duorum, aliàs ex hæreditate bon. mem. Mariani Mansi indulta Vincentio Merlo, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 23. Aprilis 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes, quæ sequuntur, Causæ indecisæ remanserunt in præterita Congregatione habita die 26. præteriti mensis Martii. Rogantur itaque EE. PP. Folium pro dicta Congregatione distributum reassumere, & juxta speciem Facti earumdem Causarum in eo descriptam, illas definire dignabuntur.

BONONIEN.

An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu &c.

Sess.25. cap.11. de Regular., & cap.13. Reform.

In Decisis in omnibus, & amplius.

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS.

An Subsidium Dotale Operis pii Lancellotti collatum Puellæ Gualtieri applicandum sit Fabricæ Ecclesiæ Conventus S. Dominici, seu potius admittenda sit illius cessio favore Puellæ Cicotti, in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

PANORMITANA.

An, & ad quod tempus sit proroganda diurna Subministratio tarenorum duorum, alias ex hæreditate bon. mem. Mariani Mansi indulta Vincentio Merlo, in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo pro Informatione, & Voto, juxta instructionem.

Seſs.24. cap.18. de Reform.

VICEN. ASSIGNATIONIS. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 20. Novembris ſuperioris anni; & Dubio, quod erat = *An aſſignatio, & ceſſio perpetua, & irrevocabilis librarum quatuorcentum facta Collegio Patruum Societatis Jeſu ſubſtineatur, ſeu potius ſit locus earum applicationi favore Seminarii?* = Eminentiſſimi Patres reſcripſerunt= *Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam* = Redit nunc eadem Cauſa ad judicium EE. VV., & Cives Vicenſes, qui partes Seminarii tuentur, præter deducta in antecedenti propoſitione, exhibent depoſitionem cujuſdam Canonici Cathedralis Vicenſis, qui teſtatur, Epiſcopum Munnoz, qui controverſas Libras quadringentas perpetuo aſſignaverat Patribus Societatis Jeſu, poſtea hujus aſſignationis non ſemel pœnituiſſe, ob læſam publicam utilitatem, & ob expertam inutilem docendi methodum eorundem Patrum, itaut ſuos Nepotes ab illorum Scholis remotos miſerit ad Scholas Civitatis Barchinonenſis.

Nituntur præterea ſeptem Teſtibus extrajudicialibus excludere Scholas in Seminario inſtitutas fuiſſe ex Civium livore adverſus Patres Societatis Jeſu, & comprobare, magnam Civium utilitatem productam ab earundem Scholarum aperitione; tum quia in illis Pueri inſtruuntur primis ſcribendi, legendique rudimentis, quæ in Scholis Scietatis Jeſu non docentur; tum quia, ut etiam aſſerunt alii ſex Teſtes, ad Scholas Seminarii confluunt Adoleſcentes quamplurimi pro addiſcendis faciliori methodo, & majori profectu Grammaticæ inſtitutis, Rhetorica, Philoſophia, & Theologia Morali, cum de cætero pauciſſimi accedant ad Scholas Collegii Societatis Jeſu. Atque unus ex dictis Teſtibus, qui copiam Scholarium Collegii pridem teſtatus fuerat, juxta numerum Adoleſcentium deſcriptorum in Albo Congregationis Beatæ Mariæ Virginis ejuſdem Collegii, ſuam declarat antecedentem depoſitionem, quod non bene inferri valeat ad numerum Scholarium a numero eorum, qui Congregationi prædictæ adſcripti ſunt. Et alter teſtatur, quod cum Patres Societatis Jeſu allicerent ad ſuas Scholas tres ipſius Deponentis Nepotes, quorum duo ſcribendi, tertius legendi rudimenta addiſcebant, obſtitit ipſe, ne Puerorum eruditio detrimentum pateretur, & alii duo ex præfatis ſex Teſtibus ſpecificè deponunt, confluentes ad Scholas Seminarii attingere numerum 370., quando Scholares Societatis vix æquant numerum 34.

Alios adducunt Teſtes, ut probent, Domum a Collegio emptam anno 1752. non tantum in ampliationem Scholarum, quæ jam juxta exigentiam aderant, & inſtructæ erant, etiam mediante aliqua pecuniarum ſubminiſtratione ſecuta anno 1741. de mandato Epiſcopi Marimon, ſed potius in uſum Religioſorum fuiſſe comparatam, & aptatam. Imo ſubditur nec Religioſorum familiam fuiſſe auctam correſpective

ad reditus, nam usque ad annum 1741., quo Collegium Vicense potiebatur reditu librarum Barchinonensium 980., in eo retenti fuerunt quatuor Sacerdotes, & duo Coadjutores: post acquisitos vero novos reditus ex annuo legato libr. 125. ipsis relicto pro Missionibus, & ex controversa assignatione libr. 400. pro quatuor Magistris, vix ibidem permanserunt sex Sacerdotes, unus Clericus, & duo vel tres Conversi. Ad suadendam tandem legitimam facultatem standi in judicio, qua destitui actores contendebatur, exhibetur Chirographum exaratum a tresdecim Procuratoribus Artificum, qui Artium nomine tres constituerunt Actores anno 1760., ut curarent novas Scholas institui in Civitate Vicensi.

In novo autem Libello ostendere conantur, quod rescriptum Congregationis Particularis anni 1738. de onere docendi Grammaticam, trahendum sit etiam ad prima legendi, scribendique rudimenta, quia tunc Communitas Vicensis hoc expresse postulabat; inferentes propterea, viribus caruisse assignationem, ob interversum ejus finem.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In Decisis, & amplius.

ANDRIEN. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 11. Septembris superioris anni, sed nulla capta resolutione, prodiit rescriptum = *Dilata, & subscribatur dubium ab Episcopo porrectum, & omnia simul proponantur* =. Fuit itaque subscriptum Dubium Episcopi, super pertinentia Curæ Parochialis, quam ad se spectare contendit Capitulum Cathedralis; illudque nunc proponitur, una cum altero super approbatione divisionis ejusdem Curæ quoad exercitium, de quo controversia est inter Capitulum Cathedralis, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicolai.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

Differit autem Capitulum Cathedralis, distinguendum esse inter Curam Animarum præeminentialem, & jurisditionalem, seu originariam, quæ semper apud Episcopum remanet, & curam præsentialem, sive immediatam habitu, & actu, quæ propriè pertinet ad Parochum, quæque ab Episcopo evellitur, & Parocho acquiritur ex lege, aut ex commissione Canonica, vel ex consuetudine, ad tradita per *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 128., *& seq.*, *& num.* 148. *ad* 152. Et licet ante Parochiarum divisionem, solus Episcopus esset totius Diœcesis Parochus; attamen contendit, divisionem vel præsumendam esse, post Epistolam Dionysii Papæ relatam in *Can.* 1. 13. *quæst.* 1. ut inquit *Rota in decis.* 2. *num.* 21. *& seq. part.* 18. *Recent.*, vel spe-

specialiter eam probari in Diœcesi Andriensi, ubi dudum aderat Suburbana Villa Trimodii, cum Ecclesia, quam Parochialem fuisse testati sunt anno 1746. Ordinarius non minus, quàm Metropolitanus Tranensis in relationibus ad Datariam transmissis; nec contrarium evinci ex rescripto hujus Sacræ Congregationis, quæ die 10. Februarii 1759. declaravit, Ecclesiam Cathedralem Andriensem esse unicam Parochialem totius Civitatis, & Territorii, cum eadem declaratio intelligenda sit juxta statum præsentem, haud commensurandum a statu antiquo, ut respondit *Rota in Sabinen. jurium Parochialium* 8. *Junii* 1736. §. *Neque*, *&* §. *Sed cor. cl. me. Card. Millino*,

Post sequutam itaque Parochiarum divisionem, arbitratur, Curam Parochialem ab Episcopo avulsam translatam fuisse in ipsum Capitulum ex commissione Canonica, sive ex dispositione juris: & translationem hanc fuisse confirmatam longa plurium Seculorum consuetudine. Nam anno 1104. Desidius Episcopus, cum in Civitatem Andriæ excepisset Presbyteros Villæ Trimodii, eis potestatem fecit ædificandi Ecclesiam sub titulo S. Nicolai, & concessit communem animarum Curam cum Episcopali, *de consensu* tamen sui *Presbyterii*: Et anno 1126. Idelricus Episcopus, ad instantiam Archidiaconi, & Archipresbyteri agentium *nomine totius Consessus Presbyterorum*, *&* *Diaconorum* suæ Ecclesiæ, prohibuit Presbyteris S. Nicolai, ne quidquam innovarent in administratione Sacramentorum, & in celebratione funeralium contra formam concessionis Desidii Episcopi. Rursus anno 1328. suum Capitulum Cathedralis consuluit Episcopus super Cura Animarum, *quæ*, inquit, *meis vestrisque tantum humeris imposita reperitur*, & Capitulum, juxta votum Episcopi, in Coadjutores assumpsit Presbyteros S. Nicolai, sub certis conditionibus, & præsertim, quod coadjutricem Operam illi præstare deberent pro tempore, *quo placet*, *& placebit dd. Episcopo*, *ejusque Successoribus*, *& Capitulo Cathedralis*, ac solvere tenerentur Exactori redituum Cathedralis *quolibet anno*, *in signum subjectionis Cathedrali*, *cavallos sexdecim pro quolibet Defuncto*, atque *Episcopo*, *uti primo Parocho*, *ultra quartam de communi amicorum consensu præfigendam*, *solitos tarenos sex ex fundatione*. Et in concordia inita anno 1446. conventum fuit, quod Presbyteri S. Nicolai, antequam levarent Corpora Defunctorum sepeliendorum in sua Ecclesia, tenerentur admonere *Episcopum*, *Primates*, *& Capitulum*, ut possent unum de gremio Cathedralis mittere ad funera *in signum societatis*, *& non Superioritatis*, reservato favore Cathedralis *ad voluntatem ipsorum D. Episcopi*, *Primatum*, *& Capituli*, jure in ea sepeliendi Peregrinos, & non eligentes Sepulturam.

Episcopi præterea, occasione visitationis Sacrorum Liminum annis 1700., & 1712., & in relatione data ad hanc Sa-
cram

eram Congregationem anno 1755., enunciarunt, Curam Animarum, ejusque exercitium residere penes Capitulum Cathedralis. Quinque Sententiæ, & Decreta favore Capituli Cathedralis emanarunt anno 1631., coram Ordinario, & Delegatis Apostolicis, coram A. C., & in Sacra Congregatione Rituum, super jure privative funerandi decedentes sine electione Sepulturæ, & super modo ducendi funus, & incedendi sub unica Cruce Cathedralis in casu interventus illius Capituli ad funus, quod iterum decrevit S.Rituum Congregatio anno 1657.. Alteram Sententiam hoc desuper tulit Ordinarius anno 1636., præsertim ut Regulares Parochum vocarent ad funera, inquiens; *cum Parochi præsentia in Sepeliendis Defunctis omnino requiratur*: Et altera lata est ab A. C. anno 1703. super præeminentia Capituli Cathedralis in funeribus ducendis ad Ecclesias Regularium; aliudque demum prodiit decretum anno 1740. in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Carmelitas cogens ad excipiendum in funeribus Parochum ab Ecclesia Cathedrali. Plures etiam testes addit idem Capitulum, contendens illorum depositionibus emissis coram delegato Apostolico anno 1631., aliisque modo exhibitis probari usum mittendi Presbyterum Cathedralis, loco Parochi, ad funera, quæ ducuntur ad Ecclesias Regularium. Exigit etiam Capitulum Cathedralis quartam partem Emolumentorum, quando intervenit associationi funerum ad Ecclesias Regularium; & omnem percipit Ceram Exequiarum, quæ triduo post humatum Cadaver celebrantur in Ecclesia Cathedrali: juxta aliorum testium depositiones.

Consuevit Capitulum Cathedralis, ut ajunt Testes, ad Ecclesias Filiales pro Sacramentis administrandis mittere aliquos de suo gremio, qui approbantur ab Episcopo; & anno 1730. ab eo impetravit Confraternitas Mortis, pro suo jure Parochiali, facultatem Sacras peragendi Functiones, sub directione alterius Capitularis, post obtentam licentiam ab Episcopo. Eligit similiter Sacristas quolibet anno, qui onus habent Sacramenta Infirmis ministrandi de nocte. Et Archipresbyter deputat Sacerdotes, qui vel Doctrinam Christianam Pueris exponant, vel Sacrum Viaticum Infirmis deferant, illisque assistant in mortis articulo. Emolumenta, sive oblationes occasione Baptismatum, & Matrimoniorum, percipiuntur a Sacristis electis a Capitulo: ipsumque Capitulum certum recipit emolumentum pro usu Pallii, ut inquiunt, occasione Matrimoniorum. Libri Parochiales asservantur in Archivio Capitulari, cum Sigillo, quo signantur tum pagellæ distribuendæ adimplentibus præceptum Paschale, tum fides a dictis Libris extractæ, quarum emolumenta recipiuntur ab Archivii Custode, sine participatione Episcopi, ut inquiunt Testes; & ipsum subit expensas necessarias pro usu Ecclesiæ, & Sacristiæ.

 Mis-

Missam celebrant pro Populo Capitulares Cathedralis diebus Festis: Evangelium explicant: Conciones habent ad Populum, etiam in Plateis, ut referunt aliqui Testes. Lites innumeras idem Capitulum substinuit super juribus Parochialibus, pluresque inivit transactiones. Et decretum obtinuit a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, editum anno 1671., quo declaratur, ad Archipresbyterum spectare *munia Parochialia*: quod pridem etiam dixerant Episcopi in relationibus, occasione visitationis Sacrorum Liminum editis annis 1690., 1694., & 1696.. Ex his autem arbitratur comprobari, Curæ Animarum existentiam penes totum Capitulum, & in ejus repræsentantia penes Archipresbyterum; cùm ad Parochum spectet assumere Coadjutores, illosque removere, *Cap. Ad audientiam de Ecclesiis ædific.*, *cap.*4. *sess.*21. *Sac. Concil. Trident.*: Funeribus interesse, illorumque ordinem disponere, *Fagnan. in cap. Fraternitatem num.*4. *& 6. de Sepultur.*: exigere quartam funeralem, aliaque emolumenta Parochialia: celebrare pro Populo: Libros Parochiales, & Sigillum retinere: & expensas subire pro Curæ administratione necessarias, ut latè tradit *Rota in decis.* 243. *num.* 7. *ad* 10. *coram Crispo*. Sicut etiam habitualem Curam, subdit, innuere in Capitulo Lites ab eo peractas super juribus Parochialibus, *Rota decis.*135. *num.*2. *coram Celso*: & Curæ exercitium expletum ab Archipresbytero, & Sacristis, ad tradita per *Rotam in decis.*101. *num.*33. *coram Ansaldo*. Nec censet ea obstare, quæ in contrarium adducuntur; quia vel omnia suspecta habet, vel reputat irrelevantia.

Verùm Promotor Fiscalis defendit, Curam etiam Parochialem, & immediatam residere penes Episcopum, Presbyteros vero Cathedralis, qui solum anno 1746. insigniti fuerunt titulo Canonicorum, esse illius Operarios, & Ministros in exercitio Curæ, ut in specie de Clero Andriensi advertit *Card. de Luca de Miscellan. Eccles. discurs.* 32. *num.*20. Atque putat, in hoc Episcopum inniti præsumptioni juris, cùm Animarum Cura eis principaliter immineat, quos *posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, *Act. Apost. cap.*20. *vers.*28.: neque avulsam ab eo fuisse hanc Curam, & translatam in Capitulum, sive commissione Canonica, sive consuetudine. Nam ipsi Capitulares conveniunt, ante divisionem Parochiarum unum Episcopum fuisse Parochum totius Diœcesis, ut etiam tradit *Francesc. de Eccles. Cathedr. cap.*21. *num.*17.: & in precibus huic Sacræ Congregationi porrectis anno 1753. fassi sunt, Cathedralem Andriensem fuisse, *sin dalla sua fondazione, l'unica Parochiale, e Padrona di tutto il Territorio di detta Città nella Cura delle Anime*, id ipsum repetentes in Libellis distributis occasione Litis anni 1759., quo pacto declarari obtinuerunt ab hac Sacra Congregatione, Cathedralem etiam nunc esse unicam

Ci-

Civitatis, & totius Territorii Parochialem, strenue defendentes, Ecclesiam Trimordii Parochialem haud enunciari in Instrumento anni 1104., illiusque Presbyteros ad Ecclesiam S. Nicolai translatos, non in Parochos, sed in Coadjutores fuisse assumptos, & coadjutricem operam semper præstitisse in solo exercitio Curæ.

Cùm itaque cesset divisionis probatio, quæ nec ab Epistola Dionysii Papæ repeti valet, uti continente solum divisionem Parochiarum Urbis, juxta notata per *Lotter. de re Benefic. lib. primo quæst.* 8. *num.* 18., *quæst.* 10. *num.* 9., *& quæst.* 20. *num.* 71.; autumat Promotor Fiscalis, Curam ut prius apud Episcopum residere. Maxime quia nec ipsa divisio Parochiarum inducere posset præsumptionem translationis Curæ in Capitulum; quùm potuisset remanere penes Episcopum, ut de Cathedrali Sorana, ubi Episcopus est Parochus, & Curam exercet per alterum ex Canonicis uti suum Vicarium amovibilem ad nutum, non obstante divisione Parochiarum Civitatis, & Diœcesis testatur *Rota in Sorana Beneficii* 8. *Junii* 1750. §. 13. *coram Cortada*. Et quam Capitulum vigore divisionis auferre nequit ab Episcopo Curam Animarum, eam, disputat Procurator Fiscalis, multo minus sibi adscribere posse vigore consuetudinis; quia nec clara est, nec pacifica, quemadmodum requiritur contra eum, qui habet juris assistentiam. Actus enim, qui a Capitulo recensentur, asserit pertinere ad nudum Curæ exercitium, in quo Archipresbyter Cathedralis de jure supplere debet vices Episcopi absentis, vel impediti, itaut in Cura Animarum Vicarius Episcopi potius quàm Capituli dicendus sit, *ad Tex. in cap. Officium de offic. Archipresbyt.*: reliquos autem Presbyteros de reditibus Ecclesiæ participantes, sine ullo Beneficii titulo, quem non habebant ante annum 1746., cooperatores esse, & Ministros Episcopi in servitio Ecclesiæ, & Curæ Animarum, famulativè ad destinationem Episcopi, juxta primævum Ecclesiæ institutum, de quo *wanespen de Jur. Eccles. univers. part.* 1. *tit.* 8. *cap.* 1. *num.* 1., *Gonzal. ad regul* 8. *Cancell. glos.* 6. *num.* 65. *& seq.*, *& Rot. coram Herrer. dec.* 29. *num.* 9., *& coram Crispo decis.* 243. *num.* 9.

Probari hoc etiam inquit ex ipsis antiquis Instrumentis productis a Capitulo; cùm in illo anni 1104. Episcopus ipse concesserit Presbyteris Trimodii communem Curam: nec officere adhibitum consensum Presbyterii, quia de jure requirebatur ad solemnitatem actus ob gravitatem negocii; & in altero anni 1328. (quod cæteroquin falsi insimulatur ob mentionem pecuniæ nondum cusæ, & obsignationem signo Crucis factam a Cantore, & duobus Diaconis uti scribere nescientibus) Episcopus appellatur primus Parochus, eique reservatur quarta Funeralis, quæ debetur soli Parocho. Eandem eruit probationem ex Synodo anni 1588.; quo

quo prohibentur Funera sine licentia Episcopi, & sine assistentia Presbyteri de gremio Cathedralis ab eo deputandi: ex relationibus Episcoporum, quarum mentio facta est in Folio Congregationis diei 11. Septembris præteriti §. *Ex relationibus*, & ex altera antecessoris Episcopi scripta anno 1750., antequam Litem susciperet cum Presbyteris Sancti Nicolai, quorum Ecclesiam supposuit Ecclesiastico interdicto, in qua narrat Curam exerceri *nomine, & pro parte Episcopi, penes quem tota residet Animarum Cura, & ejus exercitium*: Ex actis Visitationum localium, & personalium, quæ peractæ fuerunt annis 1636., 1637., 1644., 1656., in quibus Presbyteri interrogati, responderunt, Curam Animarum spectare ad Episcopum, & exercitium residere penes Capitulum (licet his Visitationibus opponat Capitulum, non exprimi in exhibitis particulis nomina interrogantis, & respondentium).

Plures etiam adducuntur Testes, partitæ librorum, aliaque documenta evincentia prohibitionem administrandi Sacramenta sine licentia Episcopi: illorum administrationem factam de mandato ejusdem: perceptam ab eo quartam emolumentorum Funeralium, quorum particeps dumtaxat fuit Capitulum, quando Funeri intervenit: & assecutionem aliorum emolumentorum parochialium: ac tandem provisiones Archipresbyteratus factas, cum expressa enunciativa, quod illi non imminebat Cura Animarum. Quæ omnia videntur Promotori Fiscali sufficere, nedum ad evertendam consuetudinem a Capitulo Cathedralis allegatam, sed etiam ad firmandam contrariam consuetudinem favore Episcopi.

Ad alterum vero Dubium quod attinet, præter gravamina contra decretum divisionis allegata a Capitulo Cathedralis, quæ relata fuerunt in antecedenti Folio, quod EE.VV. rogantur reassumere, alia quindecim cumulantur a Capitulo Collegiatæ S. Nicolai: nimirùm quod inæqualis sit divisio, relicta nobiliori parte pro Ecclesia Cathedrali: Congrua Æconomorum excessive taxata fuerat in ducatis Regni 60., præter emolumenta parochialia: inopportune decreta fuerit Æconomorum amovibilitas, cùm potiùs expediret, eos esse perpetuos: grave sit onus Suppellectilium injunctum Capitulo, ultra congruam dandam Æconomis: nominatio Æconomorum non indulta Capitulo, ut æquum esset: immmunitas illis injuste concessa ab Officiis Capitularibus: delatio librorum Parochialium inutiliter decreta ad Archivium Cathedralis post sexennium: retentio Libri Confirmatorum soli Archidiacono concessa: Indebitè demandata divisio emolumentorum pro fidibus denunciationum facienda cum Æconomo Cathedralis: incessus sub Cruce Capituli Cathedralis decretus, eo Funeribus interveniente: usus Stolæ vetitus, dum Funeribus intervenit

venit Capitulum Cathedralis: Facultas illi data mittendi Socium ad Funera, cum participatione emolumentorum: decreta solutio denariorum sexdecim pro quolibet funere; favore Cathedralis, ultra quartam dandam Episcopo; jus tumulandi decedentes sine electione Sepulturæ reservatum Cathedrali: & facultas adimplendi præcepto Paschali in Ecclesia Cathedrali concessa Parochianis S. Nicolai.

Ad hæc plura respondet Procurator Fiscalis; præsertim, quod divisio facienda est *utiliori modo, prout loci qualitas exegerit*, juxta censuram Sac. Concilii Tridentini *sess.24. cap.13. de Reform.*, quodque pleræque conditiones in divisionis decreto præscriptæ innixæ sunt antiquis consuetudinibus, conventionibus, & rebus judicatis relatis in præcedenti, & præsenti Folio, quarum nimis prolixa esset repetitio.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An Ecclesiæ Cathedralis unicæ in Civitate, & Territorio Andriæ Parochialis, Parochus sit Episcopus, & ad quos effectus; seu potius Capitulum ejusdem Cathedralis?*

II. *An sit approbanda divisio, in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, negative ad secundam. Ad II. Dilata, & divisionem esse faciendam ab Emo Præfecto.

NOLANA NULLITATIS PROFESSIONIS. Soror Maria Antonia Cappella, quæ Regulare Institutum suscepit anno 1731. in Monasterio Civitatis Summæ Nolanæ Diœcesis, nullitatem suæ Professionis cupiens proponere post lapsum quinquennii, Summo Pontifici supplicavit anno 1752. pro impetranda restitutione in integrum; & remissis precibus huic Sacræ Congregationi, constructoque Processu coram Episcopo Nolano a Sacra Congregatione delegato, die 19. Novembris 1757. descripta fuit in Folio facti series, cujus propterea repetitio hic omittitur, & disputatum fuit consuetum Dubium, *An sit locus restitutioni in integrum?* prodiitque responsum = *Affirmative* =, cui confirmationis robur accessit die 18. Februarii 1758., mediante rescripto = *In decisis, & amplius* = : contradicentibus tum Professionis Defensore, tum Fratribus ejusdem Oratricis.

Sess.25. cap.19. de Regul., & Monial.

Mandata idcircò fuit jurisdictio per Breve Apostolicum Episcopo Nolano, ut ad formam earundem resolutionum, Oratricem in integrum restitueret, ac super nullitate professionis prout de jure procederet, servatis servandis, ad formam Sacri Concilii Tridentini *sess.25. cap.19. de Regul.*. Episcopus mandatam jurisdictionem alteri delegavit, qui citatis, ut par erat, Defensore professionis, Monasterio, & dd. Fratribus Oratricis, eam in integrum restituit: & post ela-

elapsum terminum probatorium, definitivam protulit Sententiam, solis innixus juribus deductis in judicio super restitutione in integrum discusso in hac Sacra Congregatione, illaque declaravit, professionem Oratricis *fuisse simulatam, ac simulate ab ipsa per aliam Monialem emissam, ob timorem scilicet reverentialem erga Parentes cadentem in Mulierem constantem, attentis ipsorum importunis precibus, adjunctis minis, deceptionibus, fallaciis, & asperis tractationibus, proindeque præmissis de causis fuisse, & esse ipso jure nullam, & invalidam, utpote ab ea pravis artibus extortam*, eidemque Oratrici facultatem desuper indulsit, ut posset habitum Regularem dimittere, & ad Sæculum redire.

Cum tamen adversus prædictam Sententiam appellassent Fratres Oratricis, ista nunc supplicat pro illius confirmatione, ut obtentæ victoriæ fructum tandem consequatur. Et differit, rite Judicem delegatum pronunciasse pro nullitate Professionis ex juribus discussis in hac Sacra Congregatione in judicio restitutionis in integrum, quia juxta recentiorem stylum, de quo meminit *Rota in decis.*798. *num.*5., & 6. *coram Molines*, non minus accurate, ac severe examinatur Dubium restitutionis in integrum, quam si Dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate professionis, qua de re san. mem. Benedictus XIV. in sua Constitutione: *Si datam* 47. *tom.*2. *§.Hujus autem*, & *seq.*, duplicem requirit conformem resolutionem pro concessione restitutionis in integrum, quemadmodum sancivit in judicio nullitatis, hac adducta ratione, quia Judices Ordinarii, *viso dumtaxat hujusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate professionis sententiam, ut plurimum, sine dubitatione procedunt*.

Et exceptioni occurrens datæ a Defensore Professionis, circa defectum citationis Appellantium, docet in hac Causa coram Sacra Congregatione citatum esse Procuratorem, qui pro iisdem Appellantibus comparuerat anno 1758. in judicio restitutionis in integrum, quique tunc produxerat Mandatum Procuræ dictorum Fratrum de Cappella expresse *ad agendum contra, & adversus prætensam nullitatem professionis &c., necnon appellationes quascumque prosequendum in quibusvis Apostolicis Tribunalibus, & Congregationibus*.

Verum Defensor Professionis, præter defectum citationis, ut supra, advertit etiam, quod Fratres de Cappella Appellantes protestati sunt coram Judice Delegato = *Di avere Scritture, e Testimonj nella Città di Somma, e di Nola, in Aversa, ed in Napoli, ed altri Luoghi* =, quibus probari contendebant validitatem Professionis: quodque iterum comparentes petierunt competentem terminum ad producendum positiones, & articulos, nonnullaque exhibuerunt documenta, atque bis, & tertio appellarunt a denegata concessione termini, & admissione documentorum, quam tamen appellatio-

tionem Judex rejecit, fretus ratione, quod documenta extrajudicialia non essent admittenda, *eo magis quia* (sunt verba Decreti) *factorum series, qua longo pingitur calamo, non accurate ponitur, ut in rei veritate se habet, evinciturque contrarium ex actis*.

Arbitratur enim, quod Iudex, si alia non afferuntur documenta comprobantia validitatem professionis, possit pro illius nullitate pronunciare ex deductis in præventivo judicio restitutionis in integrum: sed teneatur novas probationes, si exhibentur, admittere, & quatenus ex eis evincatur validitas professionis, pro validitate pronunciare debeat, non obstante concessa in integrum restitutione. Quoniam verò exhibita documenta non sunt in processu, & aliæ hujusmodi probationes jactabantur a Fratribus de Cappella etiam in præventivo judicio restitutionis in integrum, nullis cæteroquin examinatis Testibus ob denegatam a Curia Nolana remissoriam, & perpauca ab eis producta documenta relata in Summario defensoris Professionis, tunc nullius ponderis visa sunt huic Sacræ Congregationi; ideò profitetur, nihil sibi dicendum occurrere pro justa Professionis defensione: solumque ponderandum proponit, num postulantibus Fratribus de Cappella terminum ampliorem ad examinandos testes, quos aiebant habere, rite potuerit Judex subdelegatus, circumscripto termino pridem dato, denegare admissionem novarum probationum, & mandare ut procederetur nullo de novo instituto examine.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An constet de nullitate Professionis, itaut Sententia Ordinarii sit confirmanda, vel infirmanda, in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & Sententiam Ordinarii esse confirmandam, & amplius.

PRÆNESTINA JURIS CONCIONANDI. In Ecclesia Cathedrali Prænestina, pro Concionibus habendis tempore Adventus, & Quadragesimæ, solent Concionatores eligi à Seculari Magistratu Civitatis, illisque Communitas solvit partem eleemosynæ. Verum anno 1761., cum Quatuor-Viri Magistratui præpositi, quos vocant Comestabiles, duos elegissent Religiosos Congregationis Doctrinæ Christianæ in Concionatores proximi tunc Adventus, & futuræ Quadragesimæ, obstiterunt Patres Carmelitæ, qui degunt in ea Civitate, contendentes, ex immemorabili consuetudine ad ipsos spectare jus passivæ electionis tertio quoque anno per turnum cum Minoribus Reformatis, & Cappuccinis ibidem pariter degentibus. Res tamen provisionaliter composita est, data Eminentissimo Episcopo libertate eligendi in Concionatorem, quem maluisset,

Sess. 5. cap. 2. & Sess. 24. cap. 4. de Reform.

donec controversia definiretur ab hac Sacra Congregatione; ad quam Partes recursum habuerunt.

Causa nunc proponitur, post auditum de more Eminentissimum Episcopum, qui suam non aperiens Sententiam, jura transmisit a Partibus exhibita. Et ex illis deprœhenditur, juxta partitas Librorum Communitatis, istam ineunte præterito Sæculo consuevisse aliquas pecunias jussu Baronis subministrare pro alimentis, & utensilibus, ac pro eleemosyna Concionatoris: eidemque anno 1610. solvisse sc. 15. *per elemosina solita*: non tamen apparet, quinam eo tempore esset Concionator, vel a quo fuisset electus.

Sed in Pastorali Visitatione peracta anno 1614. enunciatum fuit, Sacras haberi Conciones in Ecclesia Cathedrali Prænestina *per unum ex Concionatoribus Ordinis Carmelitarum, Fratrum Minorum de Observantia, & Fratrum Cappuccinorum, quibus per gyrum onus concionandi incumbit*: electionem verò Personæ Concionatoris spectare ad Cardinalem Episcopum: & illi nullam persolvi eleemosynam tempore Adventus, in Quadragesima verò subministrari scuta decem ab eodem Cardinali Episcopo, scuta quindecim a Communitate, & scuta quindecim pro rata a Capitulo, & duobus Civitatis Sodalitiis. Hujus Turni inter Concionatores cum generica expressione *Religionum existentium in dicta Civitate*, meminit etiam Visitatio anni 1637. Et in actis Visitationis anni 1669. iterum enunciatur, Concionatoris electionem ab Ordinario fieri, *de Religionibus tamen per gyrum, quæ in hac Civitate degunt, scilicet ex Carmelitis, Reformatis Seraphicæ Religionis, & Cappuccinis*: cum aliqua tamen discrepantia circa contributionem eleemosinæ, quia non amplius ab Episcopo scuta decem, sed a Communitate scuta viginti quinque persolvenda narrantur, una cum utensilibus, & habitatione, & alia scuta quindecim ut supra a Capitulo, & Confraternitatibus pro rata.

Post mutatum ordinem in contributione eleemosynæ, variatio etiam sequuta est in activo jure eligendi. Nam patet ex Regestris Communitatis, Concionatorem pro Quadragesima anni 1684. electum fuisse a Magistratu. Et Visitatio anni 1687. similem narrans contributionis formam, haud amplius enunciat pertinentiam activi juris eligendi ad Ordinarium, solumque recenset jus passivæ electionis, his verbis = *Concionatores eliguntur ex tribus Religionibus in hac Civitate existentibus: scilicet pro una vice Patres Carmelitæ S. Antonii, pro alia Vice Patres Ordinis S. Francisci Reformatorum, & pro tertia vice Patres Cappuccini: prout annuatim hactenus observatum fuit* =. Atque anno 1699. pro futuris Adventu, & Quadragesima Cappuccinum Provinciæ Barensis elegerunt in Concionatorem Quatuor-Viri Magistratus, enunciantes, quod ad ipsos jus *nominandi, & præsentandi ab immemorabili consuetudine spectat*,

Alia

Alia ſequuta eſt variatio circa ſolutionem eleemoſynæ ineunte currenti ſæculo. Nam in Libris Communitatis deſcripta legitur ſolutio facta Patribus Cappuccinis anno 1706., & 1707., nedum conſuetæ eleemoſynæ ſc.25. pro Quadrageſima, ſed aliorum etiam ſc.6. pro Concionibus adventus. Et ad hæc uſque tempora idem ſervatus eſt mos, tum circa quantitatem Eleemoſynæ, tum circa electionem factam a Magiſtratu. Anno ſiquidem 1740. Magiſtratus elegit in Concionatorem futuræ Quadrageſimæ Religioſum Carmelitam Provinciæ Montis Sancti Urbis, hac addita ratione, quod ad ipſum jus nominandi *plene ſpectat*, *& pertinet*. Et in Paſtorali Viſitatione eodem anno peracta enunciatur ſtipendium ſc.6. a Magiſtratu aſſignatum Concionatori Adventus: ac circa jus activæ, & paſſivæ electionis hæc habentur = *Ex inveterata conſuetudine*, *Secularis Magiſtratus utroſque Concionatores, ex tribus antiquioribus Religionibus in eadem Civitate exiſtentibus, alternatim nominat, cum approbatione Eminentiſſimi Epiſcopi* =. Atque concordat altera viſitatio anni 1755. per hæc verba = *Concionator ex antiqua conſuetudine aſſumitur ex tribus antiquioribus Religionibus in Civitate exiſtentibus: nempe Minorum Reformatorum S. Franciſci, Cappuccinorum, & Carmelitarum: & alternatim nominatur a Civitatis Magiſtratu, ab Emo Epiſcopo approbandus*.

Adducuntur etiam ſex Teſtes Cives Præneſtini, qui prope attingunt, vel excedunt octogeſimum ſuæ ætatis annuum, & ad perpetuam examinati anno 1761. depoſuerunt, ſemper vidiſſe ab uſu rationis, quod in Eccleſia Cathedrali Præneſtina Conciones habitæ fuerunt, tempore Adventus, & Quadrageſimæ, a PP. Carmelitis, Minoribus Reformatis, & Cappuccinis, quorum Conventus exiſtunt in ea Civitate, ſervato inter eos annorum turno, *ſenza che mai* (ſunt verba Teſtium) *vi abbia predicato altro ſoggetto di altre Religioni: e lo ſteſſo abbiamo inteſo dire dalli noſtri Antenati ſiaſi pratticato negli anni antecedenti, e nel paſſato Secolo*. Atque tres ex Quatuor-Viris, qui alios Religioſos elegerunt anno 1761., jurejurando poſtmodum declararunt, ſe deceptos fuiſſe in prædicta Electione, & ad eam inductos fuiſſe ſub obtentu quod Viri illi Religioſi eſſent Ordinis Carmelitarum, *alli quali* (inquiunt) *apparteneva eſſere da noi nominati, cadendo il loro anno del Turno, che ab immemorabili ſtà in tutto vigore fra le Religioni Carmelitana calzata, Franceſcana de Minori Oſſervanti Riformati, e de i PP. Minori Cappuccini*.

His probationibus freti Patres Carmelitæ contendunt, legitimam præſcriptam fuiſſe conſuetudinem pro ipſis, ac pro Reformatis, & Cappuccinis, ut ex eorum Ordinibus per turnum eligantur Concionatores in Civitate Præneſtina, quemadmodum ab immemorabili tempore ſervatum aiunt; quia licet præſcriptio nulla dari poſſit, quominus Epiſcopus per ſe ipſum Conciones habeat, vel Concionatores eli- gat,

gat, dum velit illis ſtipendium ſolvere, poteſt tamen in ceteris caſibus præſcribi Jus eligendi Concionatores per eos, qui eleemoſynam ſolvunt, ut tradunt *Gavant. in Manual. Epiſc. verb. Concio Sacra num.*24., *&* 23., *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.*76. *num.*11. *&* 12., *Pignatel. conſult. canon.*206. *num.*32. *tom.*4., *& Monacel. form. legal. part.*1. *tit.*12. *for.*7. *num.*14., parique ratione præſcribi valet jus paſſivæ electionis, etiam per turnum, a Religioſis in loco exiſtentibus, ut ſæpe reſcripſiſſe Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium referunt *Nicol. in Floſcul. verb. Prædicator. num.*7., *Braſch. in promptuar. Synodal. cap.*72. *num.*13., *& Pignatel. d. conſult.*206. *num.*56. *tom.*4., & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Civitatis Caſtellanæ juris concionandi* 19. *Junii* 1751. *lib.*701. *decr. pag.*294.

Verum excipitur Magiſtratus nomine, conſuetudinem legitime non probari enunciativis Viſitationum, ubi potiſſimum eæ non ab Epiſcopo, ſed a delegatis Viſitatoribus proceſſerint, & diſcrepent inter ſe, ut evinci contenditur ex Viſitatione anni 1614. præſeferente, turnum vigere cum Patribus Obſervantibus, qui non degunt in Civitate Præneſti, & ex viſitatione anni 1637. generice enarrante, turnum cum Religionibus exiſtentibus in Civitate, licet ibidem degant Religioſi etiam Redemptionis Captivorum, & Doctrinæ Chriſtianæ, qui minime præſumunt, hoc jure paſſivæ electionis potiri: Minuſque efficacem eſſe aſſertam conſuetudinem, quum in facultativis, uti ſunt electionis actus, numquam oriatur præſcriptio, etiam poſt tempus immemorabile, niſi probetur coactio cum paritione per tempus aptum ad præſcribendum *Rota deciſ.*3. *num.*2. *de elect. cor. Falcon.*, præſertim quia ineunte currenti Sæculo Religioſi Cappuccini electi fuerunt in Concionatores duobus conſequutivis annis, & anno 1740. electus fuit Religioſus Carmelita diverſæ Provinciæ, quam vocant Montis Sancti, cum enunciativa, quod jus nominandi *plene* ſpectabat ad Magiſtratum. Unde infertur, ex conſuetudine vel non probata, vel irrelevanti, & interrupta, nullum jus acquiſitum fuiſſe præfatis Religioſis, ut in Concionatores eligantur per turnum, quemadmodum contra Patres Obſervantes Terræ Valleranì definivit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *in Civitatis Caſtellanæ* 28. *Septembris* 1736. Ponente cl. me. Card. Gotto, reſcribendo *pro libertate electionis*.

Perpendendum tamen, num facultativi dici valeant actus electionis factæ a Magiſtratu, poſtquam tempore etiam, quo Concionatores eligebantur ab Eminentiſſimo Epiſcopo, pluries in Viſitationibus enunciata fuit conſuetudo eligendi per turnum Religioſos Carmelitas, Obſervantes Reformatos, & Cappuccinos: & num interrumpi valuerit conſuetudo per ſolam electionem Cappuccinorum conſequutive factam annis 1706., & 1707., ſive per electionem Reli-

giosi Carmelitæ non diversi instituti, sed diversæ Provinciæ nuncupat. Montis Sancti, sequutam anno 1740.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An Communitas Civitatis Prænestis teneatur eligere Concionatores Adventus, & Quadragesimæ per turnum ex Religiosis Carmelitis, Minoribus Observantibus Reformatis, & Cappuccinis, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

BONONIEN. APERITIONIS ORIS. Raynaldus Duglioli Bononiensis Testamento, quod condidit anno 1734, nonnulla scripsit legata; & mentem inquiens suam esse, ut Bona Deo largiente acquisita *perpetuamente vadino in benefizio dell'anima mia, restituendoli a chi me gli ha dati nella Persona de' Poveri di Gesù Cristo*, Hæredes suos fiduciarios instituit P. Priorem pro tempore Conventus S. Dominici Bononiæ, aliosque dicti Conventus Religiosos Magistrali Laurea decoratos, illosque rogavit, ut suæ mortis die perpetuo fieri curarent Anniversarium, cui voluit interesse eos etiam, qui compendium aliquod ex Testamento accepturi forent, ut una simul omnes incruentum Deo offerrent Sacrificium in expiationem animæ suæ, indicta contra absentes pœna amissionis elargiti compendii, nisi alium in casu necessariæ absentiæ quisque mitteret suo nomine.

Sess.22. cap.6. de Reform.

Atque ipsa Anniversarii die certam præcepit constitui dotem tribus pauperibus Puellis: Et quod reliquum esset ex fructibus suæ Hæreditatis, jussit, ut æquis partibus distribuerentur *a sessanta poveri Cittadini, di vera, e non finta povertà, che come si è detto, dovranno con gli altri da me quì beneficati &c. intervenire al detto Anniversario: con avvertenza al detto Rev. P. Priore di sempre preferire tra detti Poveri gl' invalidi, ed inabili o per l'età, o per abituale infermità a guadagnarsi il vitto, e che trovansi altronde privi di soccorso, riconosciuti tali con attestati de' loro Parochi: e ciò in perpetuo ogni anno*; servato in delectu Pauperum ordine turni inter Parochias Civitatis, ita tamen, ut numerus in una deficiens posset etiam suppleri ex alterius Parochiæ Pauperibus, dummodo præscriptis conditionibus ij semper pollerent.

Post obitum Raynaldi Testatoris, ejus Soror naturalis Ursula Duglioli supplicavit san.mem. Benedicto XIV., ut sibi, & Helenæ filiæ suæ alimenta decernerentur super illius Hæreditate, cum qua commixta erant Bona Alexandri Duglioli hoc onere alimentorum gravata; & per Breve Apostolicum diei 24. Novembris 1741. expeditum assignata fuerunt annua scuta 300. pro alimentis dictarum Mulierum ad quinquennium, cum prorogatione deinde ad vitam

tam indulta per Pontificium rescriptum diei 3. Augusti 1746.; atque interea, incepta distributione eleemosynæ anno 1743., in Pauperes divisi fuerunt solum reditus, qui supererant, post deducta alimenta dictarum Mulierum.

Aliud Breve ab eodem Summo Pontifice Benedicto XIV. impetrarunt die 30. Januarii 1748. Administratores pii Operis Carceratorum Bononiæ, quo eidem Operi pio assignantur in perpetuum annua scuta 300. ex reditibus dictæ Hæreditatis Raynaldi, postquam tamen per obitum dictarum Mulierum cessasset onus alimentorum. Et in hujus Brevis proæmio, quantum attinet ad hodiernam quæstionem, duplex legitur narrativa: Prima, quod experientia compertum erat, Carceratorum *Opus pium hujusmodi paucis ab hinc annis sensim concedere, quippe quod annuæ expensæ, quas in levamen Pauperum prædictorum annuatim facere solet, & ut aliis oneribus, quibus gravatum reperitur, satisfaciat, annuos reditus, quos percipit, ad summam 700. circiter scut. monetæ, comprehensis in illis etiam eleemosynis, quæ à Christifidelibus in causam hujusmodi erogantur, vix attingentes, in majori summa excedunt: & Opus prædictum per septem decursorum annorum spatium 721. scut. similium, anno vero 1746. 200. & ultra scut. parium jacturam fecit, & timendum est, nisi illi consulatur, quod imposterum illa magis, magisque augeatur*. Altera narrativa est, quod Raynaldus Duglioli in suo Testamento disposuerat, *ut adimpletis legatis per ipsum relictis, ac soluto ære alieno, quo ejus Hæreditas scut. supra 30. mil. excedens gravata existebat, quidquid ex hæreditariis reditibus superesset, in Pauperum eleemosynam annuatim erogaretur.*

Cum autem, altera ex dictis Mulieribus defuncta, Administratores Operis pii Carceratorum postulassent a Religiosis Dominicanis annua scuta 150., quorum cessaverat solutio in causam alimentorum defunctæ Mulieris, Preces oblatæ fuerunt san. mem. Benedicto XIV. a Religiosis prædictis, & fere ab omnibus Civitatis Parochis subscriptæ, quibus petebatur, ut super gratia Operi pio Carceratorum indulta caperetur *quel provedimento, per cui gran parte della Patria non resti defraudata del sussidio*; cùm pius Testator non Pauperes in genere, sed illos certis qualitatibus præditos dilexisset; & licet super eisdem precibus san. memor. Benedictus XIV. manu sua rescripsisset = *A Monsignor Datario, che consideri, e ne parli* =; effectu tamen ferunt Patres Dominicani eas remansisse vacuas, quoniam cla. me. Cardinalis Millo aliis negociis distractus rem infectam reliquit.

Verùm post defunctam alteram Mulierem Duglioli, cùm Administratores Operis pii Carceratorum peterent solutionem alterius ratæ scutorum 150., gravius commoti sunt Patres Dominicani, eo magis, quia Alexandri Duglioli

Bona,

Bona, quorum contemplatione alimenta obtinuerant dd. Mulieres, evicta fuerant vigore asserti fideicommissi ab Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ Magdalenæ Bononiæ, cui Patres Dominicani restituerunt eo nomine ingentem summam scutorum 10100. Quare iidem Patres, novis oblatis precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, postularunt revocationem gratiæ, subreptitiè, & obreptitiè, ut ajebant, extortæ ab Opere pio Carceratorum; cumque notio hujus postulationis à R. P. D. Auditore SANCTISSIMI data fuerit Signaturæ Justitiæ loco Signaturæ Gratiæ, prodiit ab ea rescriptum = *De aperitione Oris*, *arbitrio Sacræ Congregationis Concilii* =; & Causa nunc subjicitur judicio EE.PP.

Disputant autem Patres Dominicani, subreptionis vitium oriri ex eo, quod pii Operis Administratores in genere tantùm narraverint Summo Pontifici dispositionem Raynaldi erogandi annuatim residuales reditus *in Pauperum eleemosynas*, reticitis tamen conditionibus in eorundem delectu præscriptis, quarum mentione Summus Pontifex cognovisset, gratiam cessuram fore in detrimentum Pauperum totius Civitatis, certique generis peculiari commiseratione dignorum, & in levamen eorum, quos Testator per earundem conditionum appositionem specialiter exclusisse videtur. Quia criminum Rei in Turroni Carceribus detenti, quibus tantum ex instituto prospicere tenetur Opus pium Carceratorum, non omnes sunt Cives Bononienses: neque in eis servari potest turnus Parochiarum: minusque ad victum sibi quærendum inhabiles facti sunt ætate, vel morbo, sed potiùs sceleribus, & delictis: imò & aliis auxiliis non sunt destituti, cùm ab Opere pio prædicto, vel a Fisco ali debeant: ac demum interesse nequeunt Anniversario, ad effectum orandi pro anima Testatoris, juxta enixum votum ejusdem, qui aliàs indixit pœnam caducitatis. Et ideo earundem conditionum reticentia videtur Oratoribus subreptionem inducere; cùm Summus Pontifex, illis præcognitis, gratiam vel denegasset, vel difficilius concessisset, ad tradita per *Rotam in Romana Fideicommissi de Stephanis* 8. *Junii* 1733. §. 3. *coram clar. mem. Card. Cincio.*

Nec putant, necessariam earundem conditionum scientiam in san. mem. Benedicto XIV. præsumendam esse, ob Testamenti notitiam forsan habitam, dum ante Pontificatum regebat Ecclesiam Bononiensem, vel ob ejusdem Testamenti possibilem exhibitionem factam ab Helena Dugliolí, aut ab ipsis Administratoribus pii Operis Carceratorum, vel demum ob clausulam *Cujus tenorem* Brevi, de quo agitur, adjectam. Contendunt enim, scientiam eorum, quæ facti sunt, probandam esse in Summo Pontifice non præsumptivè, sed explicitè, & concludenter, itaut non sufficiat

ciat probare scientiam de præterito, quia præsumeretur oblivio, propter multiplicitatem negociorum, ut tradit *Rota in Jacen. Portionis* 19. *Januarii* 1752. §. 8. *coram Eminentissimo Elephantutio*, imò nec etiam evitari subreptionem per scientiam extrinsecam aliunde, quàm ex tenore Supplicationis resultantem, dixit *Rota in Firmana Erectionis Collegiatæ* 31. *Junii* 1755. §.12. *coram Eminentissimo Molino*, *& in dicta Jacen. Portionis* 22. *Junii* 1757. §.5. *coram Reverendissimo Paracciano Decano*; & clausula *Cujus tenorem* supplet defectum exhibitionis testamenti quoad ea solùm, quæ fuerunt narrata, non autem inducit scientiam eorum, quæ reticita fuerunt, ut notat *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.*7. *num.*209.

Arbitrantur præterea, subreptionis vitium eo magis auferri non posse ob scientiam præsumptam, quia Summus Pontifex in Brevi concesso Administratoribus pii Operis Carceratorum narrat dispositionem Raynaldi Duglioli, cum clausula = *ut asserunt* =, vel alia = *prout in dicto Testamento dicitur plenius contineri* =, quod innuit, Summo Pontifici exhibitum non fuisse testamentum, nec illi innotuisse singulas dispositionis circumstantias, ad tradità per *Rotam in Bononien. Successionis* 6. *Maii* 1754. §.7. *coram bon. mem. Canilliac*; & quia insuper, reclamantibus Oratoribus adversus Breve prædictum, ob hanc ipsam causam reticentiæ conditionum præscriptarum in delectu Pauperum, preces omnino rejecisset Summus Pontifex, si earundem conditionum notitiam habuisset in concessioneBrevis, nec rescripsisset = *a Monsignor Datario, che consideri, e ne parli* =, ut in similibus terminis respondit *Rota in dicta Firmana Erectionis Collegiatæ* 14. *Junii* 1755. §. 14. *coram Eminentissimo Domino Cardinali Molino*.

Præter subreptionem, obreptionem quoque objiciunt Oratores Brevi Benedictino, ob narratam quantitatem redituum pii Operis in annua summa *septingentorum circiter scutorum monetæ*: & ob expositum excessum expensarum ultra quantitatem dictorum redituum; contendentes, neutrum verum esse, licet alterutrius facti circumstantiæ falsitas sufficeret ad gratiam obreptitiam reddendam, *Rota in Mediolanen. Canonicatus Theologalis* 14. *Januarii* 1757. §.4. *coram bon. mem. Borrull*, Veram porrò non esse inquiunt quantitatem redituum in annuis scutis 700. tantum; quia Sententia Syndicatoria lata anno 1735. a san. mem. Benedicto XIV. tunc Archiepiscopo Bononiensi, & Peritorum relatio eadem occasione edita probant, præcedenti decennio reditus exactos fuisse in summa scutorum 7775. 25. $\frac{1}{1}$, & exigenda adhuc superesse nomina Debitorum pro quantitate scutorum 462. 75. 2., itaut utraque quantitas divisa in annos decem, reddat in singulos annos scut. 824. 77.. Neque contrarium evinci putant ex calculo redituum, & expensarum ul-

ultimi decennii ad totum annum 1761. confecto a Ratiocinatore Ungarelli, qui testatur, reditus in dicto ultimo decennio ascendisse ad annua scuta 764. 22. 11., computatis annuis scutis 172. 50. exactis vigore Brevis Benedictini, & nihilominus expensas superasse dd. reditus in annuis scutis 15. 45., præter alias excedentes expensas præcedentium annorum; exhibent enim alterius Ratiocinatoris relationem, qui asserit, errorem irrepsisse in calculo Ungarelli pro annua quantitate scutorum 98. 95. quoad solos reditus Locorum Montium, & Censuum; idcircò differunt, sequendum esse calculum Sententiæ Syndicatoriæ anni 1735., ad cujus tramites longe major est quantitas redituum, quàm expensarum quantitas calculata a Ratiocinatore Ungarelli, ut demonstrare nititur Oratorum Ratiocinator.

Quamobrem revocandam esse defendunt gratiam sub - & obreptitiæ extortam in maximum præiudicium Pauperum Civitatis, eis adimendo Subsidium a pio Testatore relictum, ut convertatur in levamen scelestorum Hominum, quibus vel Fiscus consulere deberet, vel posset etiam satis prospici ab Opere pio Carceratorum, si diligentius administrarentur illius reditus, nec profunderentur in excessiva Ministrorum stipendia. Potissimum quia de gratiæ viribus disceptatur in hac Sacra Congregatione; cùm in Supremis Tribunalibus procedendum sit cum regulis congruentiæ, & honestatis pro revocandis gratiis, quæ jus Tertii notabiliter lædant, ut monent *Card. de Luca de Pension. discur. 76. num. 13., & Rota in Romana Reintegrationis 12. Martii 1731. §. 5. coram clar. mem. Card. Aldrovando*.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

An intret arbitrium pro aperitione Oris, itaut sit locus revocationi gratiæ, de qua agitur, in casu &c.

SPOLETANA DISSOLUTIONIS MATRIMONII SUPER EXPENSIS. Post absolutum Judicium super nullitate Matrimonii, in quo binæ prodierunt hujus Sacræ Congregationis resolutiones editæ diebus 3., & 24. Julii superioris anni, sumptus peractæ litis reposcit Clara Cesarini contra imbellem Virum Augustinum Sciamanna, non ea ratione, qua expensæ regulariter in Judiciis reficiuntur a temere litigantibus, quarum restitutionem decernere non solet hæc Sacra Congregatio, ut in *Derthonen. 6. Julii 1726. ad IV. Dub. lib. 76. Decret. pag. 342.*, *in Leodien. Residentiæ 12. Junii 1762. ad III. Dub.*, *& in Adjacen. Distributionum 21. Augusti ejusdem anni*: sed jure actionis, quo Uxor litigans cum Viro super nullitate Matrimonii, ab eo con-

Sess. 24. cap. 6. de Reform.

 fe-

sequitur sumptus litis, ut tenet *Abbas in cap. ex parte n. 10. de accusat.*, cum aliis relatis per *Rotam in decis. 16. sub n. 1. coram Caprara*, *& in Posnanien. Matrimonii super alimentis, & sumptibus litis 26. Junii* 1747. §. 2. *coram Eminentissimo Bussio*; & quorum subministrationem Mulieri agenti ad nullitatem Matrimonii etiam hæc Sacra Congregatio decernere consuevit, ut in *Cæsenaten.*, *seu Forolivien. Matrimonii* 20. *Februarii* 1723. *lib. 73, Decret. pag. 62.*

Nec sibi officere putat, quod eosdem sumptus non petierit pendente lite; cùm post litem etiam finitam salva maneat actio illorum repetitionis, juxta mentem hujus Sacræ Congregationis, quæ in *Mediolanen. Matrimonii* 24. *Maii* 1732. rescripsit, consulendum esse SANCTISSIMO pro dispensatione Matrimonii rati, & non consumati, ob Viri impotentiam, cum clausula = *Salvis juribus Comitissæ quoad restitutionem Dotis*, *aliorumque ejus creditorum*, *& expensarum litis*, *prout de jure* =, ut in *lib.* 82. *Decret. pag* 251.. Maximè quia inter expensas, quarum restitutionem postulat Oratrix in summa scutorum 354. 96., eæ numerantur, quæ solutæ fuerunt Defensori Matrimonii, & quarum onus incumbebat Viro certanti pro validitate Matrimonii, ut præscribitur in Constitutione *Dei miseratione* 33. §. 12. *tom. primo* san. mem. Benedicti XIV.; & quia litis expensas ipsa Oratrix ut plurimum persolvit, cum expressa animi sui declaratione consequendi a Viro illarum restitutionem, ut legitur in syngraphis de recepto, similemque protestationem emisit in Judicio exequutoriali peracto coram A.C.

Et petitam expensarum restitutionem suaderi arbitratur etiam ex æquitate; quùm illis causam dederit Vir ipse, qui optime noscens suam impotentiam, ut fassus est coram Peritis, temere Matrimonium contraxit, cum damno infelicis Mulieris, quæ ultra florescentium annorum jacturam, & incommodum passum in triennali fere experimento, nonnihil etiam pudoris substulit, quæque propterea ob Viri culpam subjici non debet alteri jacturæ expensarum magna ex parte absorbentium suam Dotem, cum potius culpa suum tenere debeat Auctorem. Atque compensanda non esse censet cum expensis restituendis scuta quadraginta constante Matrimonio soluta a Viro pro *Spillatico*, quæ juxta suam indolem consumpta fuerunt in Muliebribus ornamentis, vel scuta triginta post solutum Matrimonium restituta ex causa fructuum dotalium, quæ justam habuerunt compensationem cum alimentis a Muliere perceptis fere per annum extra Domum Viri.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An, & quæ expensæ litis, & in qua summa sint restituendæ, seu reficiendæ, in casu &c.

Die Sabbathi 14. *Maji* 1763. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

IN postrema Congregatione habita die 23. præteriti mensis Aprilis definiri nequiverunt, præ angustia temporis, duæ Causæ, quæ sequuntur. Rogantur itaque EE. PP., reassumpto dictæ Congregationis Folio, modò illas expedire.

PRÆNESTINA JURIS CONCIONANDI.

Sess.5. cap.2., & sess.24. cap.4. de Reform.

An Communitas Civitatis Prænestis teneatur eligere Concionatores Adventus, & Quadragesimæ per Turnum ex Religiosis Carmelitis, Minoribus Observantibus Reformatis, & Cappuccinis, in casu &c.

Affirmative.

SPOLETANA DISSOLUTIONIS MATRIMONII.

Sess.24. cap.6. de Reform.

An, & quæ expensæ Litis, & in qua summa sint restituendæ, seu reficiendæ, in casu &c.

Affirmative quoad omnes expensas in Causa factas, pro summa liquidanda coram Domino Secretario, imputatis fructibus exactis a Cæsarino usque ad diem soluti Matrimonii, & amplius.

Sess.22. cap.6. de Reform.

BONONIEN. APERITIONIS ORIS. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 23. præteriti mensis Aprilis, sed non fuit proposita. Interea Administratores Operis pii Carceratorum Bononiæ suum exhibuerunt Libellum, quo defendunt Breve san. mem. Benedicti XIV. assignans eidem Operi pio annua scut.300. ex reditibus hæreditatis Raynaldi Duglioli; & differunt,

subreptionem ejusdem Brevis haud oriri ex narrata præfati Raynaldi dispositione erogandi annuos hæreditatis fructus *in Pauperum eleemosynas*, cum reticentia conditionum a Testatore præscriptarum circa hujus eleemosynæ distributionem. Putant enim, reticitas conditiones aliud indicare nequivisse, nisi prædilectionem Pauperum speciali commiseratione dignorum, tacitam Carceratorum exclusionum, seu verisimilem eorumdem non comprehensionem, & optatum a Testatore suffragium Animæ suæ: sed hujusmodi circumstantias non valuisse difficiliorem reddere Summum Pontificem, ipsumque retrahere a concessione gratiæ, quemadmodum requiritur ad subreptionem adstruendam, juxta censuram *Textus in Cap. Super Literis 20. de Rescript.*

Testator siquidem prædilexit Pauperes *invalidi, ed inabili o per l'età, o per abituale infermità a guadagnarsi il vitto, e che trovansi altronde privi di soccorso*; sed eos nihilominus coegit, ut interessent suis Anniversariis; ex quo percipitur, Testatorem in eis cogitasse habilitatem gradiendi per Civitatem, quo pacto, saltem mendicando, victum etiam sibi quærere potuissent. Licet ergo iidem Pauperes speciali sint commiseratione digni, videntur tamen Administratoribus Operis pii, non esse miserabiliores Carceratis, *cum nulli sint pauperiores istis*, qui carent etiam libertate mendicandi, ut inquit *Glofs. in Leg. Judices 7. verb. Alimoniæ Cod. de Episcop. audient.*; & ideo subdunt, quod notitia specialis commiserationis a Testatore contemplatæ favore aliorum Pauperum difficiliorem reddere nequivisset Summum Pontificem ad gratiam Miserabilioribus concedendam.

Multoque minus arbitrantur, quod difficiliorem reddere potuisset gratiam notitia tacitæ exclusionis Carceratorum, seu verisimilis illorum non comprehensionis; quia ex ipsa voluntatis commutatione ab Administratoribus petita Summus Pontifex intelligere valuit, Carceratos non connumerari inter Pauperes a Testatore contemplatos, cum aliàs opus non fuisset commutatione. Et optatum a Testatore suffragium animæ suæ, sicut evertendum non erat quidquid circa illud præscripserat Testator, ita retrahere nequivisset Summum Pontificem a concessione gratiæ; quia per assignationem partis eleemosynæ pauperibus Carceratis, nec minuebatur eleemosynæ valor in ratione suffragii, nec minus acceptæ reddebantur preces ad formam Testamenti fundendæ ab aliis sexaginta Pauperibus contemplatis a pio Testatore, quibus alii superextantes fructus distribuebantur.

Sufficienter itaque censent, omnia expressa fuisse, per enarrationem dispositionis distribuendi fructus *in Pauperum eleemosynas*. Potissimum quia in altero ejusdem Summi Pontifi-

tificis Brevi, quo anno 1741. indultum fuit super iisdem fructibus annuum subsidium Ursulæ, & Helenæ Duglioli, & edito prævia Informatione post recognitum testamentum, & auditos Patres Dominicanos hodiernos Contradictores a Vicario Generali Bononiensi transmissa, ac prævio voto hujus Sacræ Congregationis, narrata itidem fuit Dispositio Raynaldi Duglioli uti præscribens distributionem fructuum *in Pauperum eleemosynas*, sine ulla præfatarum conditionum mentione, & nihilominus gratia plenum habuit effectum, absque ulla eorundem Dominicanorum querela; unde arguunt Administratores Pii Operis, easdem conditiones ex mente Pontificis, & ex agnitione Contradictorum nihil conferre ad gratiam faciliorem, vel difficiliorem reddendam, juxta firmata per *Episcopum Rocca disput. jur. select. cap.* 189. *num.* 19.

Seposita autem exceptione subreptionis, eo minus opinantur officere præjudicium illatum Pauperibus a Testatore contemplatis; quia sicuti vocati non fuerunt a Testatore Pauperes certarum Familiarum, sed vocantur sexaginta Pauperes cives in genere per turnum Parochiarum Bononiæ, ita nemini, subdunt, dici posse jus quæsitum, cum singulorum electio pendeat a libera voluntate eorum, quibus competit jus nominandi: & ideo præjudicium incertum, & eventuale, quod satis prænovit Summus Pontifex per narratam dispositionem distribuendi reditus *in Pauperum eleemosynas*, infringere non posse gratiam commutationis, quæ natura sua præjudicium irrogare debet illis, quibus relictum est Opus pium commutandum, ut observat *Piton. discept. Eccl.* 69. *num.* 23. *ad* 25. *tom.* 3.

Ac tandem conantur excludere Obreptionem per PP. Dominicanos deductam ab expressa tenuitate redituum Operis pii. Ad hunc enim effectum producunt Ratiocinatoris calculum, ut ostendant, Opus pium majoribus reditibus non potiri, quàm exponitur in Brevi Benedictino, & erroneum esse calculum efformatum a Ratiocinatore Dominicanorum. Exhibent insuper sententiam syndicatoriam latam a san. mem. Benedicto XIV. anno 1735., dum erat Archiepiscopus Bononiensis, ubi tanta enunciatur inopia Operis pii, *ita quod in decennio exitus superavit introitum in scutis* 1094. 4. 7.; Et habetur, *cum teste experientia videatur, pauperum Carceratorum numerum adeo in dies semper crescere, ita quod si omnes pauperes Carcerati indistinctè de victu provideantur, certum, & indubitatum sit, exitum de anno in annum futurum longe majorem supra annuum introitum, non sine periculo totalis deperditionis tractu temporis Operis Pii prædicti*. Et tandem concluditur, *agendum esse cum &c. D. Auditore Turroni ad effectum, ut coërceatur quoad futurum numerus pauperum Carceratorum admittendorum (juxta Vires, & juxta proportionatam redituum quantitatem Operis Pii) ad beneficium eleemosynæ, seu charitatis*:

tis: vel alium parandum esse modum, VEL ALIUNDE REDITUS QUÆRENDOS, quibus omnes Pauperes, sine Operis pii præjudicio, substentari possint, & valeant. Exinde namque colligunt Administratores Operis pii, mirum, & exorbitans non esse, laudatum Summum Pontificem, qui consilium dederat aliunde reditus quærendi, Subsidium Operi pio assignasse ex reditibus juxta voluntatem Testatoris distribuendis in Pauperum eleemosynas.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An intret arbitrium pro aperitione Oris, itaut sit locus revocationi gratiæ, de qua agitur, in casu &c.

Affirmative in omnibus.

Sess.22. cap.8. de Reform.

SPOLETANA ASSIGNATIONIS PATRIMONII. Sacerdos Bonifacius Reali de Monte Leone Spoletanæ Dioecesis, Testamento condito anno 1692., jussit, ut investirentur pecuniæ hæreditariæ, & pretium suorum Mobilium *ad favorem hæreditatis* (sunt verba Testamenti) *vel ad favorem Presbyteri facien., prout infra, ex Domo Reali*: iterumque vulgari sermone præcepit dictum investimentum *a favore della sua Eredità, e Prete, che si possi fare dalla Casa Reale*. Et reservata hæreditatis proprietate *a benefizio del Prete da farsi di Casa Reale, come sopra; e per suo Patrimonio*, usumfructum reliquit quatuor suis Nepotibus, & deinde sex Ecclesiis ejusdem Oppidi, a singulis percipiendum duobus annis per turnum, *sin tantoche si farà un Prete di Casa Reale, cioè di Francesco, e Domenico* suorum Fratrum: hoc addito = *e facendosi detto Prete in qualsivoglia tempo, cessi detto usufrutto a tutti li sunnominati, & il medesimo Prete sia Padrone universale di tutta la sua Eredità &c. con che sempre debba mantenere il Capitale &c, e quello tenere per altro Prete, che si potesse fare, o potesse essere della Stirpe, e Casa; come sopra* =. Declaravit insuper, hanc suam dispositionem perpetuo servandam esse, itaut *facendosi il Prete di Casa Reale*, amplius locum quoad alios non haberet Legatum ususfructus, duraturum dumtaxat *in caso, che non vi sia il Prete come sopra*. Demum, *morendo il Prete, che forsi si farà, o possi farsi, non essendovi altro Prete*, vocavit iterum Nepotes, & in illorum defectum Ecclesias prædictas, cum onere, *che facendosi poi altro Prete vicada il medesimo usufrutto a detto altro Prete, e così sempre in perpetuum*.

Post Testatoris obitum, primus omnium postulavit illius Bonorum assignationem, titulo Patrimonii, Clericus Antonius Reali a contemplatis stipitibus descendens; & cum ei objiceretur ab Usufructuariis defectus qualitatis Sacerdotalis,

talis, idem Clericus supplex adivit hanc Sacram Congregationem, contendens, qualitatem Sacerdotalem haud indicari solo verbo *Prete*, quo improprie, & non taxative usus erat Testator, *atteso che nel medesimo Testamento si ordina, che detti Beni debbano conservarsi per Patrimonio di esso tale di Casa Reali*, ut legitur in illius Precibus; & hæc Sacra Congregatio, post auditam Episcopi Relationem, die 4. Decembris 1728. eidem commisit, *ut veris existentibus narratis, & accedente consensu Usufructuariorum, supradicta Bona pro Oratoris Patrimonio, ad effectum se promovendi ad Sacros Ordines*, pro suo arbitrio constitueret, & assignaret, ut *in lib.*78. *decr. pag.*582.; quemadmodum revera de consensu Usufructuariorum, die 15. Februarii 1729. eadem Bona fuerunt per Episcopum assignata *Oratori prædicto pro ejus Patrimonio Sacro, & ad effectum se promovendi ad Ordines*, juxta verba exhibiti decreti.

Patrimonio prædicto gavisus est Antonius, ad Sacros Ordines postea promotus, usque ad annum 1761., quo vita decessit; & post ejus mortem, Joannes Reali illius Frater preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, postulans, ut idem Patrimonium assignaretur Bonifacio Filio suo, quo posset commodius vacare Literarum studiis, suoque tempore ad Ordines promoveri. Preces a SANCTISSIMO remissæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem; & Episcopus de more auditus retulit, Ecclesias Usufructuarias, illarumve Rectores, una excepta Confraternitate Sanctissimi Sacramenti, acriter sese opponere Oratoris instantiæ: enarratisque Partium rationibus, inclinare videtur favore Oratoris, licet votum suum expresse non aperiat.

Causa nunc proponitur, & nomine Joannis Reali, seu Bonifacii ejus Filii interea initiati prima Tonsura, differitur, purificatam esse ejusdem Bonifacii vocationem, eidemque propterea assignandum esse Patrimonium a Bonifacio Seniore relictum *a benefizio del Prete da farsi di Casa Reale, come sopra, e per suo Patrimonio*; quia Presbyteri nomine venit etiam Clericus prima Tonsura initiatus, quando agitur de piis relictis, in quibus Presbyterorum vocatio magis vim habet excludendi Laicos, quàm vocandi taxative Sacerdotes, ut firmant *Gonzal. ad reg.*8.*Cancell. glos.*5.*num.*86., *Card. de Luca de Benefic. discurs.*96. *num.*12., *Rota decis.*14. *num.*1. *&* 2. *part.*7. *recent.*, præsertim dum vocatio Presbyteri concepta est lingua vernacula, ad tradita per *Card. de Luca d. disc.*96. *num.*13. *de benef.*, *& Rot. decis.*344. *num.*3. *&* 4. *cor. Cerro*, vel quando agitur de vocatione non ad beneficium Ecclesiasticum, sed ad pium legatum, in quo eo minus volita præsumitur actualis qualitas Sacerdotalis, ut innuit *Rota in decis.*101. *num.*45. *cor. Ansaldo*; & hanc esse mentem Sacræ hujus Congregationis, quoties vocationi

Presby-

Presbyterorum sive ad Beneficium, sive ad pium Legatum, adiectum non sit onus celebrandi Missas per se ipsum, testatur *Rota decis.825. num.8. & seq. cor. Merlin.*, *& dec.1311. num.23. cor. Moliz.*

Maxime vero attentis peculiaribus hujus dispositionis circumstantiis. Primo quia vocantur non simpliciter Presbyteri Domus, sed *Presbyteri facien.* : *Prete che si possi fare* : *Prete da farsi* : *che si farà un Prete* : *Prete che si potesse fare o potesse essere*: *Prete*, *che forsi si farà o possi farsi* : ut sparsim legitur in Testamento; quæ verba, cum effectum in futurum conferant, intelligenda esse contenditur de simplici etiam Clerico, qui propositum habeat assumendi statumSacerdotalem, ut de relicto Prælatitio favore ejus; *che si vorrà fare Prelato* : *che si farà Prelato*: definivit *Rota coram Caprara decis. 631. num.2. & 4.*, *& decis.660. num.2. & seq.* Rursus quia Testator Bona sua reliquit Presbytero faciendo de Domo Reali, *e per suo Patrimonio*; quemadmodum autem Patrimonii constitutio præcedere debet ne dum Sacerdotium, sed etiam reliquos Sacros Ordines, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.21. cap.2. de Reform.*, ideò subditur, verba Testamenti eo minus referenda esse ad Sacerdotes actu, qui novo Patrimonio non indigent, sed esse intelligenda de Clericis, quibus opus est Patrimonio, ut ad Sacros Ordines promoveantur.

Et cum vocatio referri possit etiam ad Clericos, defenditur, illum quoque admittendum esse, qui prima Tonsura initiatus est, licet ætatem non habeat ad Sacros Ordines requisitam; quia nullo jure vetita est Patrimonii assignatio pro Minoribus Ordinibus, ut dixit *Rota in Pisauren. Patrimonii Sacri 14. Junii 1751. §.9. cor. bon. mem. Amadeo*. Imò asseritur, id congruere voluntati Testatoris, qui dum Presbyteros tantopere dilexit in sua Familia, verisimile est, voluisse etiam præventivam hujus Patrimonii assignationem favore Clericorum de eadem Familia, ut commodius vacare possent Literarum studiis, & se idoneos reddere Sacris Ordinibus, juxta firmata per *Rotam decis.349. num.2. par.14. Recent.*, *& coram Caprar. d. decis.631. num.7.*, *& deci.660. num.11.* Potissimum cum agatur de paupere Agnato, cui etiam ex gratia deberi contenditur petita assignatio.

Excipiunt tamen Ecclesiæ usufructuariæ, Presbyterorum nomine, quo usus fuit Testator non relative ad celebrationem Missarum, vel aliud Ecclesiasticum Ministerium, sed relative ad Personas, quibus deferenda esset hæreditas, solum Sacerdotes actu comprehendi, non etiam Clericos prima Tonsura, vel Minoribus Ordinibus initiatos, ut distinguit *Rota in Majoricen. Beneficii 25. Novembris 1741. §.6.*, *& 5. Decembris 1742. §.5. coram bon. mem. Canilliac*; etiamsi dispositio concepta sit vulgari Sermone, quo verbum *Prete*

magis

magis naturaliter accipitur pro actuali Sacerdote, ut firmant *Costantin. Vot. decis.* 191. *num.* 36., & *Rota decis.* 496. *num.* 8. *par.* 1. *Recent.*

Nec rem mutare arbitrantur, quod Testator usus sit verbis futuri temporis: *Prete, che si possi fare*: *Prete da farsi &c.*, quia in dispositione progressiva, & perpetua, vocari non poterant Presbyteri per verba præsentis significationis, quæ relata fuissent ad Presbyteros existentes tempore Testamenti, sed necessario vocare oportuit Presbyteros futuros, seu promovendos, ut Descendentes omnes in infinitum admitterentur, post quam effecti essent Presbyteri: & magnam inesse differentiam inter vocationem eorum, qui velint esse Prelati, ut erat Casus *dd. Decisionum coram Caprara* pro eo, *che si vorrà fare Prelato*, ac vocationem eorum, qui erunt Presbyteri, ut disposuit Bonifacius Reale, cum in primo casu vocatio dirigatur ad habentes propositum acquirendæ qualitatis: in secundo autem ad habentes qualitatem ipsam. Quare autumant recedendum non esse a regula, quod Presbyterorum nomine, juxta magis naturalem significationem, veniant solum actu Sacerdotes, ut etiam censuit hæc Sacra Congregatio *in Interamen. Cappellaniæ* 3. *Februarii* 1685., *lib.* 35. *Decr. pag.* 51., & *in Montis Regalis Cappellaniæ* 19. *Novembris* 1740. *lib.* 90. *Decret. pag.* 233.

Nil etiam officere putant, quod Testator reliquerit sua Bona favore Presbyteri de Domo, *per suo Patrimonio*; cum eadem verba, ut inquiunt, ampliare ad summum possent dispositionem favore eorum, qui sunt in ætate idonea Sacris Ordinibus suscipiendis, pro quibus juxta censuram Sacri Concilii necessarius est Titulus Beneficii, vel Patrimonii, ut etiam innuit rescripum hujus Sacræ Congregationis anni 1728., quo assignata fuerunt eadem Bona Antonio Reali pro ejus Patrimonio Sacro, *ad effectum se promovendi ad Sacros Ordines*: nequaquam vero esse extendenda ad hodiernum Oratorem sexdecim annos natum, & vix prima Tonsura initiatum pendente lite. Minusque opinantur locum esse gratiæ, quia Ecclesiis usufructuariis jus certum quæsitum est ex Testamento, nec in præjudicium certi juris alteri quæsiti commutari solent Morientium voluntates.

Placeat itaque EE. VV. definire.

An sit locus assignationi Patrimonii favore Clerici Bonifacii Reali super Bonis hæreditariis quondam Bonifacii Reali Senioris, eorumque fructibus, in casu &c.

Negative, & recurrat tempore susceptionis Ordinis Sacri, & amplius.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ASTEN. Joannes Andreas Mellini, publico ſtipulato Inſtrumento cum Capitulo Cathedralis Aſtenſis anno 1743., donavit eidem Eccleſiæ, ubi erat Beneficiatus, Libras quindecim mille pro fundo perpetuæ Cappellaniæ Eccleſiaſticæ, quamprimùm canonicè erigendæ ſub titulo S. Cæciliæ, cum omnibus oneribus, ad quæ tenentur alii ejuſdem Eccleſiæ Beneficiati, & cum onere pulſandi Organum, quoties opus eſſet; & nominato in primum Cappellanum Clerico Joanne Matthæo Muſſo, illam deinde conferri voluit Sacerdoti perito in Cantu Gregoriano, & in arte pulſandi Organum, eadem authoritate ordinaria, qua a Capitulo conferuntur quatuor Cappellaniæ deſtinatæ pro Muſicis: ac prohibuit, ne Capitulum in electione, & nominatione Cappellani, & in ejuſdem Cappellaniæ collatione, inſtitutione, & proviſione turbaretur ab Epiſcopo jure Ordinario, vel a Summo Pontifice vigore quarumvis affectionum, & reſervationum etiam deſcriptarum in corpore juris, vel impoſterum inducendarum, etiam ſuprema auctoritate: appoſita declaratione, quod alias fundatio habenda eſſet pro non facta, & Dos Cappellaniæ applicanda eſſet Cappellæ Muſicorum, cum onere conducendi Magiſtrum Organi,

Acceptavit Capitulum præfatam diſpoſitionem, cum ſuis conditionibus, illamque promiſit inviolabiliter obſervare. Et Vicarius Generalis Epiſcopi ibidem præſens, ſuo judiciali Decreto, ritè omnia, & legitime acta fuiſſe pronunciavit. Sed poſt defunctum anno 1759. pium Fundatorem, Capitulum ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut commutata illius voluntate, dignaretur Cappellæ Muſicorum applicare præfatam Cappellaniæ Dotem, poſt ceſſatam illius fruitionem favore Cappellani Muſſo nominati a Fundatore: ea ratione, ut adauctis Cappellæ reditibus, onera impleri poſſent a Fundatore præſcripta, & ſtipendium perſolvi alteri Muſico admodum neceſſario in majoribus ſolemnitatibus, ac inſuper congrua retributio aſſignari Muſicis ſenibus, & invalidis, alios in illorum locum ſubrogando.

Preces a SANCTISSIMO delegatæ fuerunt huic Sac. Congregationi. Et Epiſcopus de more auditus putat, Cappellaniæ Fundationem hactenus non admiſſam penitus eſſe rejiciendam, ob illius conditiones a recto juris tramite aberrantes, potiuſque permittendam eſſe petitam Dotis applicationem Cappellæ Muſicorum, uti piæ Fundatoris voluntati conſentaneam, & Eccleſiæ utiliorem: quoniam *ex reditibus*, inquit, *præfatæ Dotis redigi poteſt ſtipendium competens, quo Sacerdos aliquis Manſionarius in arte pulſandi Organum peritus ad nutum Capituli amovibilis mancipetur, ac ſervitio Altaris, & Chori, necnon dicti Officii Muſicorum ſtatis temporibus addicatur, cæteraſque obligationes in relato Inſtrumento præſcriptas*

adim-

adimpleat; dummodo quidquid ex prædictis reditibus supererit, in beneficium prædicti Officii Musicorum impendatur.

Differitur itaque in circumferendo Capituli Libello, locum esse petitæ commutationi, ob justum Episcopi dissensum erectioni Cappellaniæ modo præscripto a Fundatore, cum conditionibus nedum injuriosis suæ, & S. Sedis auctoritati, sed etiam contrariis substantiæ, & perpetuitati Beneficii, cujus eversionem Fundator præcepit in casu provisionis faciendæ ab aliquo Superiore, suprema etiam auctoritate prædito: Et cum necessaria videatur commutatio, subditur, eam faciendam esse pro applicatione Dotis favore Cappellæ Musicorum, quia consentanea est voluntati Fundatoris, Consilio Episcopi, & precibus Capituli, atque tendit in augumentum Divini Cultus, & in Ecclesiæ decorem, ob Musices concentuum meliorem instaurationem, quemadmodum notant *Gabriel. consil.* 183. *lib.* 2., *& Rota in decis.* 1041. *num.* 46. *coram Molin.*, & innuunt rescripta hujus Sacræ Congregationis *in Corduben.* 10. *Maji* 1760. *lib.* 110. *Decret. pag.* 197., *& in Cracovien. Confirmationis Unionis* 27. *Martii superioris anni.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

An sit consulendum SANCTISSIMO pro applicatione Bonorum, & redituum Cappellaniæ Mellini, juxta Capituli preces, in casu &c.

Affirmative, juxta votum Episcopi.

TRANEN. TAXÆ. Insufficientem reputans Archiepiscopus Tranensis Dotem annuorum Ducatorum Regni sexcentum Seminario Puerorum assignatam, cum Regio Placito, a Laica ipsius Civitatis Communitate, contributionem, seu Taxam indixit anno 1760., ad rationem quatuor pro quolibet centenario redituum, non super Bonis suæ mensæ, vel Ecclesiarum, & Beneficiorum Civitatis, quæ uti obnoxia Collectis Laicorum vigore ultimi concordati cum Sancta Sede, contribuunt dictæ assignationi Ducatorum sexcentum factæ a Communitate, sed super omnibus Bonis Ecclesiasticis Diœcesis, sive Oppidorum Baruli, & Corati, ac Villæ Sanctissimæ Trinitatis, quibus constat Diœcesis universa. Reclamarunt tamen Ecclesiastici Diœcesis, immunitatem variis rationibus allegantes; & cum decreta nihilominus fuerit confectio Taxæ, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.* 18. *de Reformat.*, post illam completam, suas querelas iterum exponunt recurrentes.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

Et primo adversus Taxam conqueruntur Fratres Prædicatores, Minores Conventuales, Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ, tamquam de genere Mendicantium, per *Textum in cap. Religionum §. Sane de Religiosis Domibus in 6.*: Nec non Fratres Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, quos verè Mendicantes esse, sicut prædictos, declaravit S. Pius V. in Constitutione *Romanus Pontifex* 44. §.2. Hi enim omnes immunitatem desumunt ex ipso Sacro Concilio Tridentino in citato *cap.*18. *sess.*23. *de Reformat.*, ubi subiiciuntur contributioni favore Seminarii reditus omnium Monasteriorum, *non tamen Mendicantium*, quæ verba exemptionem tribuere omnibus prædictis Mendicantibus, tradunt *Lezan. in summa quæst. Regul. tom.*1. *part.*2. *cap.*1. *num.*1. & 33., *Barbos. de offic.*, & *potest. Episc. part.*3. *alleg.*77. *num.*14., & *seq.*, & *Frances. de Eccl.Cath. cap.*28. *num.*319.

Nec hujusmodi exemptionem, autumant, sublatam fuisse a san. mem. Benedicto XIII. in Constitutione *Creditæ nobis* 27. post Concilium Romanum, ubi §. *Cum itaque* declaratur, ab eadem Taxa *exemptos esse debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes disertè, & expressè, & ex causa verè, & propriè onerosa indulsit, ut ab onere Taxæ pro Seminario exempti sint*: ad cujus tramites in Instructione, cum Epistola Encyclica, jussu ejusdem Summi Pontificis transmissa ad Episcopos Italiæ, Insularumque adjacentium, decernitur *sub* §.4. *num.*13., quod *la tassa pel Seminario deve pagarsi da i Regolari: e da essa, secondo la Costituzione di Nostro Signore, sono esenti i Regolari per quei Benefizi solamente, e frutti, sopra i quali la Sede Apostolica ha ad essi conceduta l'esenzione dalla Tassa del Seminario chiaramente, ed espressamente, e per una causa veramente, e propriamente onerosa*, ut apud *Ferrar. Biblioth. canon. V. Seminarium sub num.*181.

Differunt enim, præfatam Constitutionem, cui adhæret Instructio, nova privilegia abstulisse, non autem ea, quæ concessa sunt a Sacro Concilio Tridentino in dicto *cap.*18. *sess* 23. *de Reform.*; cum expresse Constitutio decernat, faciendam esse Taxam, *juxta normam ibidem expressam*, & *provide constitutam*; proindeque Mendicantes, qui ad normam Concilii exempti erant ab onere Taxæ, nequaquam dicendi sint eodem onere gravati in Constitutione Benedictina, ut censuit hæc Sacra Congregatio *in Asculana in Apulia* 5. *Julii* 1749., in qua proposito Dubio = *An Patres S. Augustini Civitatis Asculi in Apulia*, & *Minores Conventuales Sancti Francisci teneantur ad contributionem favore Seminarii*? = Responsum fuit = *Negative*, & *amplius* = *lib.*99. *Decr. pag.*287.

Minusque arbitrantur, quoad ipsos servandam esse Taxam ratione Beneficiorum unitorum, vel ratione Bonorum, quæ possident in communi, saltem in eo, quod excedit necessa-

riam

riam Religiosorum substentationem, juxta opinionem *Pignatell. consult.*223. *num.*23. *&* 27. *tom* 1., *Card. de Luca ad Concil. Trident. disc.*25. *num.*4., *&* *Panimol. decis.*27. *num.*15, *&* 16. Excipiunt enim, nulla a suis Conventibus possideri Beneficia unita, nullamque insuper debitam esse contributionem pro Beneficiis subiective unitis Mendicantibus, ad tradita per *Monacell. form. legal. tom.*1. *tit.*12. *form.*1. *num.*5., *Card. Petra ad Constit.*2.*Vrban.VI. sub num.*33.*tom.*4.*pag.*347., *&* *Rigant. ad Regul.*13. *Cancell. num.*72.: Possessionem vero Bonorum in communi nequaquam obstare exemptioni Mendicantium, ex mente ipsius Concilii Tridentini, quod dum subiicit Taxæ Bona Monasteriorum, *non tamen Mendicantium*, videtur hoc ipso exemptionem concedere iis Mendicantibus, qui bona in communi possident, quod manifestius ajunt declarari in Præfata Constitutione *Romanus Pontifex* 44. §.3. *S. Pii V.* ibi = *Districtius inhibentes eisdem Locorum Ordinariis &c.*, *ne eosdem Mendicantium Ordinum Fratres præfatos, Bona hujusmodi retinentes, quovis prætextu super Seminarii subsidii, & Decimarum contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant*: Et excessum redituum, ultra necessariam substentationem Religiosorum, vel aptum non esse adimere exemptionem indefinite concessam a Sacro Concilio Tridentino, & a S. Pio V., quorum Sanctiones subvertere nequeunt privatæ auctoritatis Doctores per inopportunas, & arbitrarias interpretationes, quibus cæteroquin non adhæsit hæc Sacra Congregatio in præcitata *Asculana in Apulia*, vel revera non subsistere, quia plures Testes deponunt, eosdem Religiosos eleemosynam ostiatim quærere, ob insufficientiam suorum redituum.

Pari ratione immunes esse contendunt Patres Societatis Jesu, cùm & ipsi inter Mendicantes numerentur a S.Pio V. in Constitutione *Dum indefessæ* 131.§.2., tam in Domibus Professis, quàm in Collegiis. Et duo insuper specialiter addunt; primum, quod injuste Archiepiscopus rationem habuerit redituum Ducatorum mille, quos ipsi percipiunt ex Bonis existentibus extra Diœcesim Tranensem; quæ Societati relicta fuerunt cum onere Sacrarum Missionum, itaut immunia debuissent judicari ratione loci, & ratione qualitatis pii legati onerosi; alterum quod ipsorum Collegium erectum fuit in Civitate Baruli anno 1592, cum onere publice docendi Grammaticam, & Theologiam Moralem, quod exactissime ad hanc diem adimpleverunt, ideoque peculiari ratione immunes censendi sint a contributione Taxæ, cui Sacrum Concilium *in dicta sess.*23. *cap.*18. subiecit Bona *Collegiorum, in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum actu non habentur; hæc enim exempta esse voluit*; & hæc quidem ratio communis esset etiam Patribus Ordinis Prædicatorum, qui stu-

ſtudiorum Collegium, & Scholas habent in Oppido Baruli, ibique gratis docent Philoſophiam, & Theologiam nedum Religioſos, ſed etiam Seculares quoſcumque.

Advertendum tamen eſt, quod in ſupradicta Inſtructione ut ſupra edita juſſu ſan. mem. Benedicti XIII. declaratur *ſub* §.*3. num.*11., *che il pagamento ſi faccia al Seminario di quel luogo, in cui è la Chieſa, o il titolo del Benefizio, ancorche i Beni appartenenti al medeſimo ſiano in altra Dioceſi* =, & ita hæc Sacra Congregatio reſcripſit, *in Surrentina Taxæ* 5. *Decembris* 1750. *lib.*100. *decret. pag.*459.; quodque in eadem Inſtructione *ſub* §.2. *num.*9. ſola legata pia cum onere Miſſarum exempta videntur ibi = *Che per regolare la Taſſa, non ſi dovranno calcolare i Legati pii delle Meſſe*, nec ſub exemptione comprehendi quæcumque Collegia, cum *in* §.4. *num.*13. habeatur ibi = *La Sagra Congregatione del Concilio ha dichiarato, che la predetta eſenzione ha luogo ne Collegi de Secolari, e non de Regolari; e quando ſi è trattato de Roligioſi, che hanno preteſo di eſſerne eſenti per il motivo d'Inſegnare la Grammatica, ed i Caſi di Coſcienza tanto a i ſuoi Religioſi, quanto ad altre Perſone, che andavano alle loro Scuole, la Sagra Congregazione ha dichiarato, doverſi detrarre la ſpeſa, che fanno per i Salari de Lettori, e che fatta la detta detrazione, paghino ſopra il reſto la Taſſa al Seminario.*

De genere Mendicantium ſe eſſe autumant etiam Patres Congregationis S. Joannis de Deo, vigore communicationis privilegiorum eis indultæ a ſan. mem. Urbano VIII. in Conſtitutione *Sacroſanctum* 18. §.2.; & ideò pari exemptione cum Mendicantibus potiri opinantur, cum participent de illorum privilegiis, ut tenet *Ventrigl. in prax. for. Eccl. tom.*2. *annot.*29. §. *unic. num.*34.; eo magis quia ex inſtituto curam habent Infirmorum in Hoſpitali Conventus, in cujus ſumptus conſumuntur omnes eorum reditus, præter contributionem, quam exigunt a Regio Ærario pro Militibus infirmis, itaut exemptione gaudeant etiam a collectis, juxta quorundam Teſtium depoſitionem. Verum quoad Hoſpitalia in ſæpedicta Inſtructione cavetur *ſub* §.5. *num.*16. quod *quegli Oſpedali, che ſi danno in titolo, o amminiſtrazione devono pagar la Taſſa, o ſia contribuzione al Semenario, dal che deriva, che ſono eſenti da queſto pagamento gli Oſpedali puramente Laicali*. Et Archiepiſcopus in relatione ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſſa declarat, taxatos fuiſſe non reditus Hoſpitalis, qui ſolvuntur a Regio Ærario, & a Communitate Locali, ſed reditus Conventus, & Religioſorum, qui percipiuntur ex certis Fundis ad Conventum ſpectantibus; & de inefficacia communicationis privilegiorum Mendicantium agit *Pignatell. conſult. canon.* 9. *num.*11. *ad* 14. *tom.*7.

Præter Mendicantes, de exemptione quoque contendunt Patres Cæleſtini, vigore privilegii ipſis, aliiſque undecim Con-

Congregationibus Monachorum Italiæ concessi a S. Pio V. anno 1570. in Constitutione *Decet, & expedit.* 193. *in Bullar. Cassinen. tom.*1. , & confirmati a Clemente VIII., Paulo V., & Alexandro VII. ; quod privilegium , differunt , ne dum clarum & expressum esse pro exemptione a Taxa Seminarii, cùm Bona presentia , & futura dd. Congregationum eximat *ab omni contributione , collatione , & Taxa pro Collegiis Seminariorum Ecclesiasticorum , tam Ordinaria , quàm Apostolica auctoritate , in quocumque loco facta , & imposita huc usque , & deinceps quandocumque facienda , & imponenda* , sed etiam fuisse concessum ex titulo verè , & propriè oneroso, ut exigit Benedictina Constitutio *Creditæ nobis* , cum fuerit concessum occasione subsidii *quadringentorum millium scutorum auri in auro* ab eodem S. Pio V. impositi super Bonis dd. duodecim Congregationum , ad effectum instruendi Classem in defensionem Venetorum contra Turcas , & respective deductum fuerit in contractum in successivo Instrumento promissionis dicti subsidii ,

Quemadmodum itaque ante Constitutionem Benedictinam *Creditæ nobis* , gavisi sunt Cœlestini præfata exemptione a Taxa Seminarii , ut in specie censuit hæc Sacra Congregatio *in Oppiden. Contributionis 16. Novembris* 1715. , in qua proposito Dubio = *An Patres Cœlestini teneantur solvere contributionem Seminario ?* = Responsum fuit = *Negativè* = ; ut in *lib.*65. *Decret. pag.*446. ; ita contendunt, eandem exemptionem sibi præservandam esse post dictam Constitutionem , cùm fuerit acquisita ex titulo vere oneroso : non obstantibus contrariis Resolutionibus enunciatis *a Pignatell. in alleg.*223. *num.*24. & 25. *tom.*1. , quia vel præcesserunt Pianum privilegium , vel loquuntur de Monachis extra Italiam degentibus . Verum advertendum , quod in simili quæstione discussa cum Monachis Fossæ novæ Cisterciensibus in una *Terracinen. , seu Setina Taxæ* proposita die 9 Septembris 1752. Sacra hæc Congregatio nulla capta resolutione , rescripsit = *Quoad Monachos videatur particulariter* = , ut in *lib.*102. *Decret. pag.*346.

Moniales Regularibus procliviores non sunt ad solutionem Taxæ . Verùm licet eas exemptas putaverit *Card. de Luca ad Concil. Trident. disc.*25. *num.* 3. : nihilominus in superius enunciata Instructione edita jussu san. mem. Benedicti XIII. *sub §.*4. *num.*15. , Moniales quoque subjiciuntur Taxæ Seminarii, contemplatione educationis, & instructionis illorum, qui assumendi sunt in earum Directores , & Confessarios, & propterea regula generalis statuitur , *che i Beni posseduti dalle Monache , per li quali pagano gli altri pesi Ecclesiastici , non siano immuni dalla contribuzione del Seminario , se non hanno un titolo specialissimo di esenzione dal detto pagamento ; ed avvegna che più volte succeda , che dalle Monache si allega il titolo della povertà , per esentarsi dal pagamento , sembre necessario l'avvertire* ,

tire, che il titolo della povertà suffraga a quelle Monache, che non hanno entrate, e che vivono di pure elemosine: o pure a quelle Monache, che benche possiedino alcuni Beni descritti, e tassati nel libro delle Decime, ed altri pesi Ecclesiastici, sono però state esentate dal pagamento delle predette Decime, e pesi per titolo della loro povertà, come altre volte ha risoluto la Sagra Congregazione del Concilio.

Et revera Seminario contribuere detrectant Moniales, innixæ motivo paupertatis, quam adeo gravem plurimi Testes narrant, ut illæ communem vitam servare non possint, & tenuem victum recipiant a Monasteriis, nihil autem pro vestibus, quas sibi parant ex Propinquorum subventionibus, vel ex labore manum suarum; quapropter inhumanum ipsis videtur, *nimis in collatione affligere, cui debuerat ex collectis, si esset necessitas, misereri*, juxta sententiam *Textus in cap. Licet 4. de censib.*. Et eo magis contendunt, sibi onus taxæ pro Seminario injungendum non esse; quia in tanta paupertate nec tenerentur ad Decimas Papales, quæ imponuntur pro utilitate universalis Ecclesiæ, juxta *Textum in Extravag.unic.de Decimis*. Ast hic non inopportune adverti potest, quod ex quatuor Monasteriis recurrentibus, nonnisi de uno Monasterio Sanctissimæ Annuntiatæ Corati Testes deponunt, non invenisse illud taxatum pro Decimis Papalibus.

Aliorum morem sequuntur Clerici Sæculares, contendentes, contribuendum ab ipsis non esse Seminario. Una est omnibus communis ratio, quod ex providentia Synodi Provincialis dudum consultum fuit Puerorum instructioni. Siquidem cum cogitasset de Seminario erigendo Synodus Provincialis anno 1588.; *respiciens* (sunt verba Synodi) *quod propter tenuitatem redituum Ecclesiarum, ac paucitatem Beneficiorum totius Provinciæ, id opus aggredi non potest, mandat, & præcipit, ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali Magistri conducantur Grammaticæ, Ecclesiæ, vel Universitatum stipendio, qui gratis Clericos, & alios pauperes doceant, aut provideatur eis de aliquo competenti Beneficio*. Et cum juxta mentem Provincialis Synodi, quæ die 15. Maii 1590. specialiter fuit approbata ab hac Sacra Congregatione, in Oppido Baruli anno 1590. erectum fuerit Collegium Societatis Jesu, annua stipe ducatorum quingentorum Regni illi constituta per Communitatem, ut pietate non minus, quàm literis Juvenes in illius Scholis erudirentur; idcircò disputat Clerus Barulitanus, quod cum ipse contribuat Collectis, ex quibus solvitur prædictum stipendium Collegio pro eruditione Juventutis, non debeat alia contributione gravari favore Seminarii, ea ipsa ratione, qua Archiepiscopus, ut in principio notatum est, suam non taxavit Mensam, nec Ecclesiasticos Trani, ob contributionem Collectis, ex quibus Communitas solvit Seminario annuos ducatos sexcentum.

Lo-

Locum insuper non fuisse erectioni Seminarii, contendunt Clerici Baruli, & Corati; tum quia summa Dioecesis, & Provinciæ inopia probata est ex prædicta Synodo Provinciali, & ex facto Archiepiscopi Alvarez, qui anno 1627. cupiens Seminarium erigere, plura illi univit Beneficia, illiusque consilio plausit hæc Sacra Congregatio, quæ die 26. Junii 1627. censuit, *concedendam esse confirmationem erectionis Seminarii, & unionis Beneficii S. Samuelis Sedi Apostolicæ affecti*, ut in *lib.* 13. *Decret. pag.* 284.: absque eo quod inceptum opus perficere valuerit; tum etiam quia, ex mente Concilii Provincialis plene suppletur finis Sacri Concilii Tridentini, *Card. de Luca ad Concil. disc.* 25. *num.* 6., *Carol. Anton. de Luca observat. ad Ventrigl. part.* 2. *post annotat.* 29. *num.* 4., *& Ursaya disceptat. Eccles.* 27. *num.* 29. *ad* 31. *tom.* 6. *part.* 2.; cùm in Oppido Corati plures adsint Scholæ Philosophiæ, Theologiæ, & Utriusque Juris, aliarumque scientiarum penes Religiosos Observantes S. Francisci, & penes Laicos, vel Clericos Sæculares: & in Oppido Baruli, præter Scholas Grammaticæ, & Theologiæ Moralis in Collegio Societatis Jesu, aliæ non desunt publicæ Scholæ Philosophiæ, & Theologiæ apud Patres Prædicatores, & apud Religiosos Observantes Sancti Francisci, itaut plures Ecclesiastici, & Seculares Docti prodierint ex eodem Oppido, quorum alii honores meruerunt in Regiis Tribunalibus, alii Episcopali Infula fuerunt decorati.

Præterea defendunt Capitula duarum Collegiatarum Baruli, & alterius Collegiatæ Corati, nullam ab ipsis deberi contributionem Seminario, quia nullas habent Præbendas, & fructus omnes consistunt in distributionibus quotidianis; quæ procedunt ex piis legatis relictis cum onere Missarum, vel Anniversariorum, & acquiruntur solum per rigorosas punctaturas ab interessentibus, nihilque percipiunt absentes, licet pro commodiori distributione dividantur in fine anni pro modo Servitii præstiti Ecclesiæ in celebratione Divinorum Officiorum; in quibus terminis, duplici ratione suam adstruunt immunitatem Capitulares: tum quia scilicet, reditus procedunt a Legatis piis cum onere Missarum, vel Anniversariorum, pro quibus Taxa pro Seminario non debetur *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.* 28. *num.* 376.: tum etiam quia percipiuntur titulo distributionum, per rigorosas punctaturas, ex quibus pariter non deberi Taxam Seminario tradunt *Fagnan. in cap. olim n.* 45. *&* 46. *de verb. signif.*, *Pignatetl. consult.* 81. *num.* 15. *& seq. tom.* 7., *Card. de Luca ad Concilium disc.* 15. *num.* 8. *&* 14., *& Rigant. ad Regul.* 13. *Cancellar. numeris* 64. *&* 65., *Pignatell. consil.* 81. *n.* 15. *tom.* 9.

In sæpedicta autem Instructione circa distributiones cavetur *sub* §. 2. *num.* 7., quod = *se tutta l'entrata consiste nelle distribuzioni, non si devono questi Canonici astringere al pagamento a*

proporzione di tutta l'entrata, ma di due delle tre parti della medesima, facendo in questo caso le dette due parti la figura di Prebenda, e la terza parte delle Distribuzioni; & circa Legata Capitulis relicta, hæc habentur *sub num.9.* ibi = *Per regolare la Tassa non si dovranno calcolare i Legati pii delle Messe, che ad essi siano stati lasciati, siccome ne meno l'elemosine, che si fanno alle loro Sagrestie, ma solamente le rendite fisse, e stabili di esse, ancorche le medesime provengano da Legati pii.*

Demum exemptionem allegant Possessores plurium Beneficiorum, tum attenta paucitate illorum redituum, cum vigintitria Beneficia simul reddant, deductis oneribus, annuos ducatos 169. 77. „ & propterea exempta essent etiam a Decima Papali, quia *Seculares Clerici, quorum Ecclesiastici reditus, & proventus an ui summam septem Florenorum auri non excedunt, eandem Decimam non præstabunt*, ut inquit *Textus in extravag. unic. de Decimis*; tum insuper quia omnia dicta Beneficia, paucis exceptis, Jurispatronatus Laicorum sunt. Quoad tenuitatem autem redituum Beneficiorum, quorum novem possidentur ab Episcopo Squillacensi, notandum est, quod in prædicta *Extravag. unic. de Decimis* decernitur, respectum habendum esse ad Personam Possessoris, non ad Beneficia ipsa, ibi = *Si vero una Persona plura habeat Beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam septem Florenorum auri annuatim attingat, simul tamen collecta in minimis proventibus summam memoratam excedant, quotquot, vel quantumcumque modica fuerit, de omnibus, & singulis Decima persolvetur*: & quoad Juspatronatus, decernitur in Sacro Concilio Tridentino, deberi contributionem ex fructibus *Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiamsi Jurispatronatus cujuscumque fuerint*: & in Instructione post Constitutionem Benedictinam legitur *sub §.3. num.11.* ibi = *Ancorche siino di Juspatronato, come si legge nel Sagro Concilio di Trento, ed ancorche la nomina loro appartenesse a qualunque Persona, benche degna di specialissima menzione.*

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

I. *An Patres Ordinum Prædicatorum S. Dominici, Minorum Conventualium S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, S. Joannis de Deo, Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Societatis Jesu, & Cælestinorum Civitatis Baruli, & respectivè Corati, teneantur ad Taxam pro Seminario?*

II. *An Capitula Ecclesiarum S. Mariæ Majoris, & S. Jacobi d. Civitatis Baruli teneantur ad eandem Taxam?*

III. *An Monasteria Monialium S. Stephani, S. Luciæ, & Sanctæ Claræ ejusdem Civitatis Baruli teneantur ad prædictam Taxam?*

IV. *An Possessores Beneficiorum, seu Legatorum Piorum de Domo, & Familia Trisono, Valentini, Mangione, Barbirosso, dell' Aglio, Raimondi, Taddei, Queralt, Bonelli, Veneri, Scioti, Avelli, Caldi, Pacis, Gerardini, & Molini, nec*

non

non Sanctæ Mariæ Constantinopolis, Sanctissimæ Assumptionis, SS. Blasii, & Nicolai de Tolentino, S. Michaelis Archangeli, Purificationis, & S. Ægidii dictæ Civitatis Baruli teneantur etiam ad illam?

V. *An Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Civitatis Corati teneatur ad prædictam Taxam?*

VI. *An Monasterium Monialium Sanctissimæ Annunciationis dictæ Civitatis Corati teneatur pariter ad eandem Taxam, in casu &c.*

Ad I. Quoad Patres S. Joannis de Deo Affirmative: Quoad Patres Cœlestinos videatur particulariter: Quoad reliquos Negative. Ad II. & V. Affirmative ad formam instructionis san.mem. Benedicti XIII., & amplius. Ad III. IV. & VI, Affirmative, & amplius. Et ad Emum Præfectum ad mentem: suspensa interim exequutione Taxæ.

ROMANA, SEU SABINEN. ALIMENTORUM. Lucretia, & Prudentia Valentini supplicarunt huic Sacræ Congregationi die 25. Aprilis 1761.; ut Dos ipsis constitueretur ex piis Subsidiis Dotalibus relictis a Cæsare Seniore Valentini ipsarum Agnato, ac distribuendis a Ven. Archiconfraternitate Sanctissimæ Annuntiatæ Urbis; & disputato Dubio = *An, & in qua summa debeantur Subsidia Dotalia, in casu &c.* = Responderunt Eminentissimi Patres = *Affirmative pro summa scutorum quingentorum pro qualibet* =

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Cum tamen adhuc maneant innuptæ, & summa se premi contendant rei familiaris angustia, ob passa sequestra super pensionibus Domus in Urbe possessæ, & ob tenuitatem redituum, quos retrahunt ex stabilibus sitis in Territorio Oppidi Arcis Antiquæ, juxta exhibitas Testium depositiones, ipsæ non minus, quàm earum quatuor Fratres minores natu literarum studiis incumbentes, alias porrigunt preces A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO delegatas huic Sacræ Congregationi, quibus postulant, sibi alimenta saltem in scutis tribus quolibet mense, singulis masculis ad quinquennium, fœminis autem usque ad nuptias assignari ex iisdem piis Subsidiis, ea ipsa ratione, qua Dotes dictis Puellis constitutæ fuerunt; cùm eadem sit ratio Dotium, ac alimentorum, etiam quoad subsidiariam eorum assecutionem super piis Cognatorum relictis, ut censuit hæc Sacra Congregatio *in Panormitana* relata inter summaria precum *die prima Septembris* 1742. *lib.92. Decret. pag.* 554., *& in Romana Subsidiorum Dotalium* 30. *Martii* 1748. *lib.98. De-*

 cret.

*cret. pag.*141., & confert etiam rescriptum editum *in Bononien. Assignamenti* 21. *Junii* 1760. *lib.* 110. *Decret. pag.* 276.

Verum Eminentissimus Protector de more auditus censet, postulationem Oratorum absonam esse, atque alienam a voluntate Testatoris, & ab æquitate: foliumque transmisit exhibitum pro parte Archiconfraternitatis, ubi excipitur, non eam habendam esse rationem hoc casu de Dote, ac de alimentis, quia pro Dote expressa concurrit voluntas Testatoris, qui fructus suæ Hæreditatis erogari voluit in dotationem Puellarum, & ideò potuit æquitas suadere prælationem Consanguinearum, at alimentorum assignatio vergeret in eversionem piæ illius voluntatis; quocirca contenditur, non esse Puellis contemplatis auferenda Subsidia, ut alimenta præstentur remotissimis Consanguineis omni actione de jure carentibus, adversùs bona hæreditaria Consanguinei collateralis, & fortunæ bonis non omnino destitutis. Præsertim cùm hujusmodi alimentorum assignatio ab Oratoribus petita facile trahi posset in exemplum ab aliis Testatoris Cognatis; quo casu nec Cognatorum indigentiæ, ob magnam illorum copiam consuleretur, nec spes amplius dotationis effulgeret ipsis Puellis Cognatis, quæ sæpe quærere solent Subsidia ab hoc pio relicto, ut præterito anno factum est a Sororibus Stoppini, quæ dotem scutorum tercentum pro qualibet sibi decerni obtinuerunt ab hac Sac. Congregatione in *Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

An, & quorum favore sit locus assignationi alimentorum, & in qua summa, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

VERULANA. A Confraternitate S. Mariæ Jacobi Civitatis Veruli, uti hærede Scipionis Filonardi, distribuuntur Pauperibus Civitatis Puellis sorte extrahendis annua tria Subsidia dotalia scutorum 25., præter alia scuta 5. pro Veste. Anno autem 1757. Joseph Philonardi supplicavit huic Sacræ Congregationi, ut eadem Subsidia a d. Scipione suo Auctore relicta assignarentur Filiæ suæ usque ad summam scut. 500. pro Dote Monastica. Et Episcopus a Sacra Congregatione requisitus, transmisso Scipionis Testamento, retulit Oratorem esse de illius Familia, sed pauperem, pluribusque Filiis gravatum, ejusque Sororem similiter obtinuisse occasione ingressus in Monasterium applicationem fructuum hæreditatis prædictæ pro quantitate consuetæ Dotis Monasterio solutæ, ut etiam constat ex Rege-

gestris Secretariæ sub die 1. Decembris 1725. *lib.75.Decret.* *pag.668.*; ideo censebat Oratoris precibus annui posse, cùm præsertim Confratres Societatis nihil in contrarium opponerent. Voti compos itaque effectus Orator per rescriptum diei 12. Februarii 1757., ut in *lib.*107.*Decret.pag.66.*, gratiam confirmari curavit Brevi Apostolico san.mem.Benedicti XIV., munito clausula, ut solet, *salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratorum Cardinalium*.

Cùm verò idem Joseph novas obtulisset preces anno 1760., quibus postulabat, ut facultas indulgeretur Filiæ suæ assequendi præfatum Subsidium in casu etiam Matrimonii, & precibus assentirentur tum Episcopus de more auditus, tum Confraternitas Patrona, pro rata tamen scutorum 400. solvenda infra sexennium; commotæ sunt Puellæ Civitatis, votis Oratoris obsistentes. Et licet ille novæ petitioni renunciaverit, optans solum exequutionem Brevis Apostolici; nihilominus hujus etiam Brevis revocationem postulantes Puellæ Civitatis, nè illarum sexdecim Subsidiis fraudentur, Causam ex decreto R.P.D. Auditoris Sanctissimi committi obtinuerunt huic Sacræ Congregationi, prævia aperitione Oris. Et nunc disputant Obreptitium fuisse Breve, cùm Orator ad illud impetrandum narraverit, Scipionem pium Testatorem fuisse *Authorem* suum, licet ipse illius hæres non fuerit, nec constet ab illo descendere. Obreptionem præterea ex eo deducunt, quod Orator narraverit, se pauperem esse, quæ paupertas insubsistens videtur Puellis, cùm ille, cæteris licet bonis destitutus, avitam adhuc possideat Domum magnam in Civitate Veruli, & ejus Filius de opulento Beneficio Ecclesiastico sit provisus.

Demum objiciunt subreptionem, quia Orator reticuit enixam Testatoris voluntatem consulendi pauperibus Puellis, cum expressa prohibitione illius derogationis. Num verò hæc objecta relevent ad infringendam gratiam de voto hujus Sacræ Congregationis indultam, post visum Testamentum, & auditam relationem Episcopi testantis, Oratorem esse de Familia Testatoris, & post similem gratiam ejusdem Oratoris Sorori concessam anno 1725., ut in principio enunciavi, prudenti EE. VV. judicio definiendum erit, respondendo infrascripto dubio.

An sit locus exequutioni Brevis, in casu &c.

ROSSANEN. Joannes Andreas, & Franciscus Antonius Fratres Masci Græco ritu baptizati in Italo-Græcorum Oppido S. Georgei Diœcesis Rossanensis, vigore Literarum dimissorialium sui Ordinarii fuerunt ritu Latino ad primam Clericalem Tonsuram, & successive ad quatuor Minores Ordines promoti a Latino Episcopo Bisinianensi, sine ulla

Sess.7.cap.13. de Sacr., & sess.23. cap.16.de Reform.

ulla tamen Sedis Apostolicæ licentia: pluriesque in susceptis Ordinibus ministrarunt. Suspensionem propterea, & irregularitatem ab eis incursam fuisse reputans quidam Basilius Chinigò, ea præsertim ratione, quod Antecessoris Archiepiscopi Rossanensis licentiam transeundi de Græco ad Latinum ritum obtinuerint præfati Clerici solum post susceptos Ordines, illos detulit hodierno Archiepiscopo: atque ostendere nisus est Archipresbyteri Loci testimonio, nullam utilitatem, quin imò perturbationes, & lites illius Oppidi Ecclesiæ Græcum ritum profitenti omnino fore allaturos latine promotos. Quare moniti ab Archiepiscopo iidem Clerici obligationem emiserunt, se gerendi pro suspensis, & irregularibus, donec absolutionem, & respective dispensationem impetrassent a S. Sede.

Preces itaque illi obtulerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, absolutionem, ut supra, & dispensationem postulantes, ut idonei fierent Sacris Ordinibus suscipiendis eodem ritu Latino. Et cum postulationis ejusdem notionem SANCTISSIMUS delegasset huic Sacræ Congregationi, auditus fuit de more Archiepiscopus, qui censet absolutionis, & dispensationis beneficio dignos videri Oratores, cùm nihil dolo egisse profiteantur: sed circa optatum ab eis ascensum ad majores Ordines ritu Latino, suam non aperit animi sententiam, narrans solum, quod delator Chinigò, nonnullique alii ejusdem Oppidi contendunt, decernendum esse Oratorum regressum ad Græcum ritum, ut illic duorum rituum evitetur confusio. Tria idcircò proponuntur Dubia, in quibus quæritur de Oratorum absolutione, ac dispensatione, deque illorum ascensu ad Majores Ordines, sive Græco, sive Latino ritu.

Ad absolutionem autem, & dispensationem, quod attinet, opportunum videtur inquirere, num revera Oratores in suspensionem incurrerint propter Ordines susceptos a Latino Episcopo: & num exercendo Minores Ordines sub suspensione, irregularitatem contraxerint: ut autumat Archiepiscopus, fretus Constitutione san.mem.Benedicti XIV. edita pro ritibus Italo-Græcorum, quæ incipit *Etsi Pastoralis* 57. *tom. primo*. Sane Oratores, qui baptizati fuerunt Græco ritu, inter Græcos connumerandi sunt; *cum per Baptismum fiat suscepti ritus Græci, vel Latini professio; itaut ad Latinum ritum spectent, qui Latinis cæremoniis baptizati fuerint, qui vero ritu Græco Sacramentum Baptismi susceperint, in Græcorum numero sint habendi*, uti legitur in eadem Constitutione §.2. *num.*11.. Verum transitus de Græco ad Latinum ritum solis Ecclesiasticis interdicitur, absque expressâ Sedis Apostolicæ licentia: Laicis vero, *ut ad ritum Latinum transire possint, Episcopus Diœcesanus pro sua prudentia permittere valet*, juxta censuram præfatæ Constitutionis *dicto* §. 2. *num.* 14., cum qua concordat Epistola Encyclica ejus-

ejusdem Summi Pontificis *Allatæ sunt* 47. *num.* 21. *tom.* 4., ibi = *Quamvis autem æquum videri posset, liberam Italo-Græcis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a Græco ritu ad Latinum, cùm ipsi inter nos versentur, & Latino Episcopo subjiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicæ auctoritas omnino requiratur, si de Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus agatur: si vero Laici, & Sæculares transitum hujusmodì postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob justas, & legitimas causas, certis quibusdam Personis moderatè impertiri quidem potest, numquam verò integræ Universitati*,

Sed hodiernus Archiepiscopus in transmissa relatione differit, solam Ordinarii veniam minime sufficere, ut Laici Italo-Græci ascendere valeant ad Ordines Latino ritu, animo latinè vivendi: putans, suprarelata verba Constitutionis Benedictinæ intelligenda esse de Laicis Italo-Græcis, qui velint ad Latinum ritum transire, ut perseverantes in statu laicali Latinas sequantur cœremonias, non autem de iis, qui statum Ecclesiasticum suscepturi sunt, pro quibus Sedis Apostolicæ licentiam necessariam esse opinatur, juxta verba dictæ Constitutionis *in* §.7. *num.*20., ubi sic legitur = *Ut in Ordinibus conferendis qualibet rituum confusio, & commixtio penitus tollatur, & unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minime valeat; sub perpetuæ suspensionis a Divinis pœna prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suæ jurisdictioni Græcos, neque Græcus quilibet Antistes Latinos quovis prætextu, sine specialis Sedis Apostolicæ licentia, ad primam Tonsuram, vel ullum Ordinem sive Minorem, sive Majorem promovere præsumat: alioquin tam Ordinans, quàm Ordinatus perpetuam, ut præfertur, suspensionem se subituros intelligant*.

Perpendendum tamen est, num potiùs hic loquatur Summus Pontifex de iis Græcis, vel Latinis, qui Ordinos suscipiunt ab alterius ritus Antistite, cum animo retinendi suum pristinum ritum, non autem animo ad novum ritum transeundi. Ratio dubitandi exinde oritur, quod Græci, post transitum ad Latinum ritum eis permissum de licentia Episcopi, non amplius Græci videntur, sed Latini. Præterea in iis, qui Latinum institutum suscepturi sunt, dum Latinè ordinantur, non videtur adesse illa *rituum confusio, & commixtio*, quam valuit Summus Pontifex auferre in hoc *n.*20.. Atque demum nimiam involveret duritiem hujus prohibitionis extensio ad Græcos legitime amplectentes ritum Latinum de licentia Ordinarii; quia hoc pacto perpetuò arcerentur ab Ordinibus, quos nec latinè juxta sensum Archiepiscopi, nec græcè suscipere possent, cum Latinus ritus *à Grecis semel assumptus, absque Apostolica dispensatione deseri nequeat*, ut cavetur in d. Constitutione §.12. *num.*13.

In-

Interpretatio autem hujuſmodi, quod *in dicto num.*20. Summus Pontifex loquatur de Græcis, & Latinis ordinatis ab alterius ritus Antiſtite, cum animo tamen retinendi ſuum priſtinum ritum, ſuaderi etiam videtur a ſequentibus ejuſdem Conſtitutionis numeris. Nam ſub *num.*21.decernitur,prohibitionem antecedentis *num.*20. ad Latinos maxime extendi, qui caſtitatem profiteri nolentes, *juxta ritum Græcum Ordines ſuſpiciunt ſub ſpe retinendi Vxores*; quæ quidem ſpecialis extenſio ad Latinos cupientes Græcum inſtitutum ſuſcipere, innuere videtur in præcedenti numero loquutum fuiſſe non de tranſeuntibus ad novum inſtitutum, ſed de Latinis, & Græcis retinentibus proprium antiquum ritum. Et ſub *num.*22. diſpenſatur cum iis Italo-Græcis,qui uſque ad diem editæ Conſtitutionis, *ab Epiſcopis Latinis bona fide, & abſque diſpenſatione Apoſtolica, ad Clericalem Tonſuram, vel Minores, ſeu Majores Ordines ſunt promoti*, CUM ANIMO TAMEN PROPRIUM GRÆCUM RITUM RETINENDI: ex his enim videtur conjici poſſe, pœnam ſuſpenſionis in antecedenti *num.*20. indictam fuiſſe contra ejus generis Perſonas, cujus ſunt illæ in hoc poſteriori numero, ratione temporis, exceptæ, quæ ſcilicet ordinantur ab alterius ritus Antiſtite, *cum animo tamen proprium Græcum ritum retinendi*.

De hujus etiam generis Perſonis videtur loqui SummusPontifex *ſub num.*23., *&* 24., ubi dirimere voluit quæſtiones non definitas in antecedenti *num.*20.. Ibi enim decreverat, neceſſariam eſſe licentiam Sanctæ Sedis, ut Latinus Epiſcopus aliquem Ordinem conferat Italo-Græcis, indicta tranſgreſſoribus pæna perpetuæ ſuſpenſionis, ſed nihil præſcripſit de ritu retinendo ab hujuſmodi promotis, deque ratione illorum aſcenſus ad Majores Ordines. Hic autem declarat, quod ſi Latinus Epiſcopus Ordines contulerit Italo-Græcis, cum diſpenſatione Apoſtolica, *itaut Ordinati ab illo in ſuo Græco ritu miniſtrare debeant*, poſſit illis permittere aſcenſum ad reliquos Ordines ritu Græco, abſque alia diſpenſatione Apoſtolica; Sin verò in prima Ordinatione non præceſſerit diſpenſatio Apoſtolica, illicita judicatur ordinatio, tamquam contraria huic Conſtitutioni, *& Græci Clerici hujuſmodi ſic Latino ritui alligantur, ut ab eo ad Græcum redire amplius non liceat, ſine Apoſtolica diſpenſatione*: ſolumque poterit Epiſcopus, illum a ſe Ordinatum, ſi eum idoneum judicaverit, *poſt obtentam abſolutionem a ſuſpenſione, vel ipſe ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino Præſule ordinari facere*. Cùm autem hic loquatur de Italo-Græcis, qui ordinantur a Latino Epiſcopo, *itaut in ſuo Græco ritu miniſtrare debeant*, & quoad eos declaretur neceſſaria abſolutio a ſuſpenſione, quando ordinantur a Latino Epiſcopo, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; aliud hinc oritur argumentum, quod in ſupradicto *num.*20., ubi eadem pena

ſuſpen-

ſuſpenſionis indicitur, loquutum fuerit de iis, qui ritum Græcum velint retinere.

Denique ſub *num.25.*, ubi agitur de Italo-Græcis promotis ritu Latino, & Latinè viventes, iſtorum reſpectu magis neceſſaria declaratur Apoſtolica diſpenſatio pro reditu ad ritum Græcum, non autem pro aſcenſu ad Majores Ordines ritu Latino ibi = *Ut vero ad Majores Ordines ritu Latino aſcendant, diſpenſatione non indigent* = ; imò quoad eoſdem latinè viventes, nec etiam enunciatur neceſſaria abſolutio a ſuſpenſione, requiſita cæteroquin in antecedenti *num.* 24. quoad Græcos latinè ordinatos cum retentione Græci ritus. Id autem non obſcurè innuere videtur, pœnam ſuſpenſionis indictam *num.*20. non afficere Græcos latinè ordinatos animo amplectendi ritum Latinum. Favent etiam huic interpretationi ea, quæ ſancita ſunt *§.9. num.*13. his verbis = *Conſervationi rituum Græcorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut Latini Ordinarii, juxta ritum Latinum, ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-Græcum Diæceſanum, qui Græcorum more Baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut ſcilicet Græcorum Plebi Latino ritu ipſe miniſtrans præſit* = ; cum ſpecialis hæc prohibitio Græcum ordinandi juxta ritum Latinum, ad hoc ut Græcorum Parochus efficiatur, illorumque Curam gerat ritu Latino, oſtendere videatur, haud prohibitam cenſeri in aliis caſibus Greci, ad ritum Latinum admiſſi, ordinationem juxta ritum Latinum.

Sed hac etiam retenta interpretatione, adhuc inquirendum eſſet, num Oratores latinè ſuſceperint Ordines, animo tranſeundi ad ritum Latinum, de quo nihil enunciatur in relatione Archiepiſcopi; & num Literæ dimiſſoriales proprii Ordinarii, quarum vigore fuerunt latinè ordinati, ſecumferant eam Epiſcopi Diœceſani licentiam, quam pro tranſitu Laicorum de ritu Græco ad Latinum requirit Conſtitutio Benedictina. Et ubi etiam Literæ dimiſſoriales prædictæ non ſecumferrent idoneam licentiam, perpendendum inſuper eſſet, num Oratores, ob hujuſmodi licentiæ omiſſionem, incurrerint in ſuſpenſionem, quæ indicta minimè legitur in Benedictina Conſtitutione pro ſimplici tranſitu ad ritum Latinum ſine licentia Ordinarii.

Quod ſi Oratores, his non obſtantibus, videri poterunt in ſuſpenſionem incurriſſe, propter ordines ſuſceptos a Latino Epiſcopo; ulterius diſſerendum erit de contracta ab illis irregularitate, propter exercitium ſuſceptorum Ordinum. Archiepiſcopus in tranſmiſſa relatione repetit Oratorum irregularitatem a Conſtitutione Benedictina *§.7. num.*15.; ſed indicati Textus cenſura ad rem pertinere non videtur, cùm ibi agatur de irregularitate contracta non per exercitium Ordinis poſt incurſam ſuſpenſionem, ſed per ipſam Mi-

Minorum Ordinum collationem obtentam a Schismatico Episcopo. Propiùs ad rem accedit dicta Constitutio in eodem §.7. *num.9. & 10.* decernens quoad Italo-Græcos, quod *si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint, efficiantur irregulares, sicut & Latini: Super hujusmodi autem, & similibus irregularitatibus dispensandi facultas a S. Sede Apostolica obtineri oporteat;* Nam Clerici etiam in Minoribus Ordinibus constituti irregulares efficiuntur, quoties suspensione devincti, exercent solemniter actum proprium, & peculiarem sui Ordinis Minoris, *Navar. in manual. cap. 27. num. 163.*, *& Barbos. de Offic., & potest. Episc. part. 2. alleg. 8. sub num.* 10.

Quatenus verò suspensionis, & irregularitatis obstaculum, vel non subsistere videatur, vel removeri contingat beneficio absolutionis, & dispensationis, expeditus patebit Oratoribus ascensus ad Majores Ordines ritu Latino, absque ope alterius dispensationis; Nam si ordinatio eorundem illicita apparuerit, nihilominus *Græci Clerici hujusmodi sic Latino ritui alligantur, ut ab eo ad Græcum redire amplius non liceat, sine Apostolica dispensatione*, ut sancivit san. mem. Benedictus XIV. in dicta Constitutione §.7. *num.*24., decernens præterea, quod *neque Latino Episcopo, seu Ordinario amplius fas sit, Græcum Clericum a se, ut præmittitur, Latino ritu in Minoribus Ordinibus constitutum, cum Literis dimissorialibus ad Græcum Antistitem remittere, ut ab eo ad Sacros Ordines græcè promoveatur, sine dispensatione Apostolica; sed debeat illum potius, si quidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino Præsule ordinari facere. A ritu enim Latino ad Græcum, ut prædiximus, nec redire, nec transire fas est, absque dispensatione Apostolica.*

Si verò licitè ordinati visi fuerint, eo minus illis patebit reditus ad ritum Græcum. *Nam Latinus ritus semel assumptus, ut præfati sumus; absque speciali Sedis Apostolicæ auctoritate deseri nequit. Ut igitur Italo-Græci hujusmodi ad ritum Græcum redeant, indigent Apostolica dispensatione; ut vero ad Majores Ordines ritu Latino ascendant, dispensatione non indigent*: verba sunt ejusdem Constitutionis §.7. *num.*25.

Perpendant ergo EE.PP., num dispensationem pro reditu ad ritum Græcum, quam Oratores non postulant, & non optare profitentur, indulgere expediat ratione vitandi confusionem rituum in Ecclesia Oppidi S. Georgei, ubi Græcè solum vivitur, juxta relationem Archiepiscopi, qui videtur etiam innuere, quod Oratores aliàs inutiles forent illi Ecclesiæ. Sed ad vitandum hujusmodi absurdum, poterit ipse Archiepiscopus providere auctoritate sua Ordinaria; *cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*, ut præscribit Sacrum Concilium Tridentinum *in sess.23. cap.16. de Reform.*

Cæterum permixtionis rituum prohibitio eo potissimum respicere videtur, quod Græci latinè ordinati, vel non redeant ad Græcum ritum, vel græcè non ministrent, ut declarat san. mem. Benedictus XIV. in superius enunciata Epistola Encyclica *Allatæ sunt* 47. *num.*20., *&* 34. *tom.*4.. Et licet Græci in suis Ecclesiis regulariter habeant unum Altare, in quo unica celebratur Missa quolibet die, itaut alii Sacerdotes vel concelebrent, vel Sacrum agant in Oratoriis Ecclesiæ contiguis, ut narratur in dicta Encyclica *num.*37. & 39., attamen alicubi, & præcipuè in Ecclesiis Italo-Græcorum permissa est plurium Altarium constructio, ut in eis celebrare valeant tum Græci, tum Latini Presbyteri, ut sancitur in Constitutione Benedictina §.6. *num.*8., *&* 9., & concordat Encyclica *num.*40., in qua insuper declaratur *num.*33., vetitam rituum commixtionem non induci ex eo tantum, quod Græci in Ecclesiis Latinorum, vel Latini in Græcorum Ecclesiis Missam celebrent, vel alias cœremonias cum Populo sui ritus exerceant; licet providè, ad occurrendum dissidiis, & consulendum Italo-Grecorum quieti in sæpecitata Constitutione §.9. *num.*15. caveatur = *Cæterum ad tollendam omnem rituum commixtionem, & confusionem, Presbyteri, & Clerici Latini in Ecclesiis Græcorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac Baptismis, & aliis Græcorum actibus publicis, & privatis interesse, aut sese immiscere, nisi ad hæc specialiter per ipsos Græcos vocati fuerint, audeant, vel præsumant* =, atque inde colligi poterit, num utiles esse possint in Oppido S. Georgei Oratores ordinati Latino ritu, quotiès ibi unica adsit Ecclesia ritus Græci; qua de causa noluit Sacra Congregatio transitum ad ritum latinum permittere alteri ejusdem Oppidi Presbytero, in *Rossanen. transitus ad ritum latinum* 14. *Decembris* 1737., *&* 11. *Januarii* 1738.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An Clerici Ioannes Andreas, & Franciscus Antonius Italo-Græci, Baptizati ritu Græco, sed ad primam Tonsuram, necnon quatuor Minores Ordines cum Literis dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione Apostolica, ritu Latino promoti, absolvendi sint ab incursa suspensione, ac dispensandi super irregularitate?* Et quatenus affirmative.

II. *An iidem Clerici licite ad reliquos Majores Ordines eodem ritu Latino promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Græcum?*

III. *An consulendum sit* SANCTISSIMO *pro Apostolica dispensatione, ut uno, vel altero ritu ad eosdem Majores Ordines promoveantur, in casu &c.*

Die Sabbathi 4. Junii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causæ, quæ sequuntur, proponi nequiverunt ob angustiam temporis in postrema Congregatione habita die 14. Maji præteriti. Rogantur itaque EE. PP. Folium dictæ Congregationis reassumere, easdemque Causas prudenti, ut solent, judicio definire.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA, SEU SABINEN. ALIMENTORUM.
An, & quorum favore sit locus assignationi Alimentorum, & in qua summa, in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess.22. cap.6. de Reform.

VERULANA.
An sit locus exequutioni Brevis, in casu &c.

Affirmative, & amplius.

Sess.23. cap.16. de Reform.

ROSSANEN.

I. *An Clerici Joannes Andreas, & Franciscus Antonius Italo-Græci, Baptizati ritu Græco, sed ad primam Tonsuram, necnon quatuor Minores Ordines cum Litteris Dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione Apostolica, ritu Latino promoti, absolvendi sint ab incursa suspensione, ac dispensandi super Irregularitate?* Et quatenus affirmative.

II. *An iidem Clerici licite ad reliquos Majores Ordines eodem ritu Latino promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Græcum?*

III. *An consulendum sit SANCTISSIMO pro Apostolica dispensatione, ut uno, vel altero ritu ad eosdem Majores Ordines promoveantur, in casu &c.*

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta mentem.

THEATINA NULLITATIS MATRIMONII. Nobilis Puella D. Anna Maria Leognani Ferramosca Ducis Alanni Filia, quæ die 2. Julii 1747. nata in Terra Alanni, a pluribus annis degebat Theate sub Parochia Ecclesiæ Cathedralis, die 29. Aprilis 1759., quo ei deerant menses duo, & dies quinque ad complendam ætatem duodecim annorum, Matrimonium contraxit cum D. Ignatio de Dura Duce Collis-Petri, coram Archipresbytero Oppidi Catineani, quod Feudum est suæ Domus, Nullius Abbatiæ Murronensis, ubi infans quinquennio permanserat.

Sess. 24. cap. 1. de Refor. Matr.

Ne tamen illi obstaret defectus legitimæ ætatis, Literæ Apostolicæ impetratæ fuerant, prævia relatione Archiepiscopi Theatini, qui testatus erat, congruè a se interrogatam Puellam de Matrimonii valore, & de libera voluntate illud contrahendi, recte respondisse. His autem Literis, ad quas impetrandas narratum fuerat SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quod in ea malitia ita supplebat ætatem, ut de jure Matrimonium contrahere posset, Summus Pontifex commisit Vicario Generali Theatino, ut non obstante ætatis defectu, pro contrahendo Matrimonio ad formam Sacri Concilii Tridentini veniam impertiretur authoritate Apostolica, prævio tamen adimplemento duplicis conditionis his verbis expresse = *ut de præmissis te diligenter informes, & si per informationem eandem tibi verè, & legitimè constiterit, in huiusmodi impubere malitiam supplere defectum ætatis hujusmodi; explorata priùs d. Annæ Mariæ voluntate, si ipsa sponte, non autem vi, metu, aut blanditiis, vel promissionibus ad hujusmodi Matrimonium contrahendum inducatur.*

Sed ex processu constructo in Curia Archiepiscopali Theatina, ante celebratum Matrimonium, alia non apparet inquisitio eorum, quæ in Literis Apostolicis præcipiebantur, quàm per genericam interrogationem Puellæ factam a Vicario Generali die 20. Martii 1759. super scientia valoris Matrimonii, & super libera voluntate illud contrahendi cum Duce de Dura, ad quæ Puella affirmative respondit. At tres modo, qui afferuntur Testes, quorum alter est professione Medicus, deponunt, fere per annum post initum Matrimonium, nec habitudine Corporis, nec ingenii viribus, prudentia, vel discretione, Annam Mariam visam fuisse Viri potentem, qua de causa ejus Pater declarat, consumatum non fuisse Matrimonium: & binæ Obstetrices, quæ illius corpus inspexerunt die 27. Aprilis 1761., testatæ sunt, eam intactam esse, & nondum muliebria fuisse expertam.

Contra enunciatam quoque in eodem processu liberam Puellæ voluntatem plures adducuntur Testes enarrantes Patris imperium, quo illa fuit coacta, ut Matrimonio assentiretur, licet expressam ostendidisset suam animi repugnantiam. Unus enim refert Puellæ dissensum sibi panditum, dum

dum a Patre de conscribendis Capitulis nuptialibus agebatur. Et duo contestes asserunt, quadam die mensis Martii 1759., qua Vicarius Generalis cum Cancellario exploravit Puellæ voluntatem, auditos fuisse strepitus Ducis Alanni, ex quo Filia respondisset Vicario, nolle matrimonium contrahere cum Duce de Dura: & ipsis audientibus rogatum a Ducissa D. Olympia Valignani matre fuisse Vicarium, ad sedandum animum Patris ira accensi, ut Filiam iterum interrogaret, licet Vicarius instantiæ adhærere noluerit, cum scriptus jam fuisset a Cancellario illius dissensus: ideoque Patrem ea die, & aliis sequentibus omnem adhibuisse operam, ut Filiam vel invitam flecteret ad prædictum Matrimonium, increpationibus, & minis, ipsosque præsentes fuisse, dum Filiæ exhæredationem minatus est, & perpetuam reclusionem in Monasterium, ut ibi miseriis oppressa moreretur, nisi Matrimonio cum Duce de Dura consentiret: imò ad actum proximum exhæredationis processisse, injuncta Notario ad hunc effectum extensione scripturæ coram Filia, quæ lugens e Cubiculo recessit, ut idem testatur Notarius: nec cessatum fuisse a minis, suasionibus, & adhortationibus, donec Puella invita consentiit, & tunc iterum vocatum fuisse Vicarium Generalem, qui cum suo Cancellario Puellam, præsente Patre, interrogavit, acceptoque affirmativo responso, licentiam dedit contrahendi Matrimonium, quod, ut alii Testes narrant, celebratum fuit præsente Patre in Oppido Catineani, in Domo privata, non sine successivo mærore Puellæ. Et quæ supra a Testibus relata sunt, ea jurejurando confirmat Pater ipse conscientiæ stimulis agitatus, cum quo concordant alii septem Testes, licet non omnes in omnibus circumstantiis conveniant.

Quoad facultates demum Archipresbyteri Catineani, coram quo celebratum fuit Matrimonium, resultat ex processu supradicto, quod receptis consuetis probationibus status liberi utriusque Conjugis, præmissaque una pro tribus denunciationibus, Vicarius Generalis Theatinus, de consensu Parochi Ecclesiæ Cathedralis, in cujus Parochia degebat Puella, delegavit eundem Archipresbyterum Catineani, ut Sponsos prædictos in Matrimonium conjungeret. Sed in prædicta declaratione Ducis Alanni legitur, eum usum non fuisse hujusmodi delegatione: Et in fide Matrimonii anno 1761. alligata in superius enunciato processu Archipresbyter ipse declarat, se Matrimonio adstitisse de licentia suæ Curiæ Ordinariæ Murronensis, cujus Cancellarius cæteroquin testatur, non constare de hujusmodi licentia in actis Cancellariæ: Verum in alia attestatione subscripta mense Octobris proxime præteriti, & exhibita in Summario Ducis de Dura, idem Archipresbyter deponit, Matrimonio adfuisse vigore delegationis Curiæ Archiepisco-

ſcopalis Theatinæ, quam accepit a Duce Alanni, & in ſuis Libris Parochialibus adhuc conſervat.

Poſt elapſum autem biennium a die contracti Matrimonii, eadem Anna Maria Leognani Ferramoſca menſe Majo 1761. preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat, Matrimonium prædictum vel nullum declarari, tamquam vi, metuque contractum, vel Apoſtolica diſpenſatione diſſolvi, uti ratum, & non conſumatum. Et precibus ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, auditus fuit de more Archiepiſcopus Theatinus, qui retulit, nullam metus cauſam habuiſſe Oratricem pro Matrimonio ineundo, & illius non modo libera voluntate per ipſum explorata, ſed etiam Cognatorum omnium anteriori, & poſteriori aſſenſu, & plauſu Matrimonium fuiſſe debita forma in faciem Eccleſiæ celebratum, Sponſorumque ſpontanea cohabitatione poſteriori approbatum. Quare ſub die 24. Julii 1762. prodiit reſcriptum = *Oſtendatur relatio* =

Cauſæ propoſitionem nihilominus urgent tam Oratrix, quàm illius Vir Dux Ignatius de Dura, cujus libello ſubſcripſit etiam Defenſor Matrimonii. Et ne objiceretur defectus legitimi proceſſus, & formalis examinis Teſtium faciendi cum aſſiſtentia Defenſoris Matrimonii, juxta ſancita a ſan.mem. Benedicto XIV. in Conſtitutione *Dei Miſeratione* 33. *§.6. tom.*1., Viri Procurator in actis declaravit, vigore ſpecialis Mandati Procuræ, velle Teſtes habere pro formiter examinatis, ſalvis exceptionibus contra eorum dicta, & Perſonas; quo pacto ſuppletum autumant Benedictinæ Conſtitutioni, a cujus rigore non ſemel receſſum eſt circa formam examinis Teſtium, tum in Cauſa *Baren. nullitatis Matrimonii diebus* 16. *Martii*, *&* 4. *Maii* 1754. *lib.*104. *Decr. pag.* 97. 145., tum in Cauſa *Theatina Matrimonii diebus* 18. *Julii*, *&* 19. *Septembris* 1761. *lib.*111. *Decr. pag.*281. *&* 390.

Et relicta diſpenſationis inſtantia, ſolam Matrimonii nullitatem defendit Oratrix triplici ratione: ob defectum ſcilicet legitimæ ætatis, liberi conſenſus, & aſſiſtentiæ proprii Parochi. Cum enim ad complendam legitimam duodecim annorum ætatem ei deeſſent duo menſes, & quinque dies, nullum diſputat fuiſſe Matrimonium in impubertate contractum, ſine probatione requiſita in Literis Apoſtolicæ diſpenſationis, quod malitia ſuppleret ætatem, quemadmodum cavetur *in cap. tuæ nobis* 14. *de deſponſ. impuberum*: nec probationem eandem ſuppleri ex generica interrogatione Puellæ facta a Vicario Generali de ſcientia valoris Matrimonii, cum requireretur judicialis perſcrutatio tùm potentiæ ad copulam, per atteſtationes Medicorum, & Obſtetricum, tum prudentiæ, & diſcretionis ad intelligendum conſenſus conjugalis vim, per ſpeciales, &

diver-

diversas interrogationes, ut tenent *Fagnan. in cap. de illis n. 37. de desponſ. impuber.*, *Rota post Zacch. quæst. Medic.legal. decis.32.num.18. ad 24.*, *& coram Merlin. decis.400. num.5.*

Defecisse pariter differit liberam voluntatem, ob graves minas Patris, quibus territa Matrimonio assentita est, juxta depositiones Testium superius enarratas, ideoque Matrimonium fuisse nullum ex defectu liberi consensus requisiti de jure, & ex literis dispensationis Apostolicæ: nec metum purgatum fuisse per successivam cohabitationem, quia nec etiam superventus consensus sine præsentia Parochi convalidare potuisset Matrimonium nullum, ad firmata per *Rotam in decis.405. num.9. & seq. part.18. Recent.* Et demum minus certam non esse contendit nullitatem ex defectu præsentiæ proprii Parochi; quia delegatio Curiæ Archiepiscopalis Theatinæ, cum non fuerit exhibita Archipresbytero Catineani, qui Matrimonio interfuit, juxta declarationem Ducis Alanni, tribuere illi nequivit facultatem assistendi Matrimonio, ad quem effectum requiritur in Delegato scientia suæ delegationis, *Pontius de Matrim. lib.5. cap.29. num.8.*, *& Barbos. ad Concil. sess.24. cap.1.num.117.*: nec obstare posteriorem declarationem ejusdem Archipresbyteri, cum potiùs attendenda sit fides Matrimonii ex libris Parochialibus desumpta, in qua nulla sit mentio hujus delegationis, solumque enunciatur licentia Curiæ Ordinariæ Murronensis.

Pro parte vero Ducis de Dura defenditur, impubertatem Mulieris nihil officere validitati Matrimonii, cum ex testimonio Archiepiscopi, & Vicarii Generalis, qui eam interrogarunt, constet, in ipsa malitiam supplevisse defectum ætatis, juxta firmata per *Rot. in Posnanien. Matrimonii 2. Martii 1759. §.Frustra coram Eminentissimo Bussio*, cujus votum sequuta est Sacra hæc Congregatio *die 21. Junii 1760. lib.110. Decret. pag.278.*: Testes autem de minis deponentes nullam mereri fidem, cum sint omnes Familiares Ducis Alanni, & adversentur relationibus Archiepiscopi, & Vicarii Generalis testantium de libero consensu, imo nihil relevare, quia non deponunt de metu gravi cadente in constantem Virum, & continuato usque ad celebrationem Matrimonii, juxta firmata per *Rotam in decis.128. num.20.*, *& 149. num.6. coram Ratto*: Et proprii Parochi defectum suppleri ex delegatione Curiæ Archiepiscopalis Theatinæ, quam Archipresbyter Catineani testatur, sibi fuisse exhibitam a Duce Alanni, in postrema depositione.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Dilata, & fiat Processus per Archiepiscopum servatis servandis, & juxta instructionem.

REATINA AUGUMENTI CONGRUÆ. Sacerdos Petrus Megliorini præsentatus a R. P. D. Philippo Lancellotti Abbate SS. Quirici, & Judittæ, anno 1760. ad Parochialem Ecclesiam Castri Miciliani Diœcesis Reatinæ in partibus Regni institutionem obtinuit ab Episcopo Reatino, in cujus Diœcesi est Castrum temporali ejusdem Abbatis Dominio subiectum. Sed prætextu tenuitatis redituum, nuper supplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut Abbas præfatus, qui percipit Decimas, & retinet Curam habitualem, cogeretur præstare supplementum Congruæ, & expensas necessarias pro Sacris Suppellectilibus, & Cera, quæ consumitur infra annum in Sacris peragendis, quæque die Purificationis Populo distribuitur. Et post auditum Episcopum, & Nuntium Apostolicum Neapolis, atque Abbatem ipsum, preces SANCTISSIMUS remisit ad hanc Sacram Congregationem.

Sess. 7. cap. 7., & sess. 25. cap. 16. de Reform.

Circa quantitatem redituum retulit Episcopus, Gubernatorem Localem prohibuisse, quominus Testes examinarentur a suo Vicario Foraneo in illius comprobationem non exhibitis litteris Regio assensu vallatis: Sed in Actis Pastoralis Visitationis anni 1712. descriptos esse reditus Curæ, nullis deductis oneribus, in quantitate septuaginta septem ducatorum Regni, computatis ducatis vigintiquatuor, qui solvebantur a Philippo Bonaccorsi tunc Abbate, & aliis ducatis vigintiduobus provenientibus ex oblationibus, & eleemosynis Officiorum, & Missarum. Et Nuncius Apostolicus testatus est, anno 1760. eandem Curam tunc vacantem reddidisse, juxta relationem Subcollectoris Spoliorum, quadraginta duas mensuras, quas appellant *Tommola*, Frumenti, & unam Farris, & carolenos undecim monetæ, præter alios ducatos decem pro emolumentis Stolæ: illius onera verò ascendisse ad carolenos quindecim pro Cathedratico, & Canone, & ad alios ducatos quinque pro Cera distributa in festo Purificationis, non comprehensa Cera necessaria pro Sacris peragendis.

Orator autem testimonio Officialium Communitatis, aliorumque Testium probare nititur, reditus omnes constare ex quindecim Sarcinis, seu quadraginta quinque Tumulis Frumenti, quod venditur pretio carolenorum vigintiquatuor pro qualibet Sarcina, ex aliis carolenis octodecim monetæ, & ex ducatis undecim cum dimidio provenientibus ab eleemosynis per Ecclesiam, vel Castrum quæsitis a Procuratoribus Animarum Purgantium, ut ex eis celebretur correspondens numerus Missarum; itaut annui reditus in totum ascendant ad quadraginta quinque ducatos, & carolenos tres. Quocirca contendit, locum esse petito augumento Congruæ, quæ minor scut. 50. esse non debet, juxta Constitutionem *Ad Exequendum* 47. §. 2. S. Pii V.; præsertim quia in Congrua statuenda, ut inquit, ratio haben-

da est de oneribus Curæ imminentibus, quorum ut supra meminit Nuncius Apostolicus in sua relatione, & de Missa, vigore Constitutionis 103. §. 10. *tom.* 1. san. mem. Benedicti XIV., applicanda pro Populo diebus Festis, ad firmata per *Rotam in Cæsenaten. Augumenti Congruæ* 11. *Junii* 1762. §. *fin. coram R. P. D. Corvelio*: & quia in Congruam imputari non debent emolumenta incerta, & oblationes, quæ fiunt pro Missis celebrandis, ut ponderat *Rota in Asculana augumenti Congruæ* 28. *Aprilis* 1755. §. 7. *&* 18. *coram Eminentissimo Domino Cardinali Elephantutio*. Nihilque censet officere acquiescentiam Antecessorum, cum evidenter constet de Congruæ insufficientia, ut firmavit *Rota in dicta Asculana augumenti Congruæ* §. 20. . Disputat etiam, cogendum esse Abbatem ad subministrandum expensas necessarias pro Cera, & pro Sacris Suppellectilibus, quibus Ecclesiam indigere deponunt duo Testes.

Abbas contra, cum sua relatione, plures Testium depositiones transmisit, ut probaret, omnia Curati emolumenta ascendere ad annuos ducatos centum circiter; differens præterea, relationes tum Episcopi, tum Nuncii Apostolici ostendere valorem redituum ultra quantitatem ducatorum Regni quinquaginta, ideoque locum non esse augumento, cum pro Congrua sufficiant scuta quinquaginta monetæ Regionis, *computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis*, ut cavetur in præcitata Constitutione Piana, & censuit hæc Sacra Congregatio *in Monopolitana Congruæ* 7., *&* 28. *Septembris* 1737. *ad III. Dub. lib.* 87. *Decr. pag.* 352., *&* 381., *in Policastren.* 13. *Septembris* 1738. *ad II. Dub. lib.* 88. *Decr. pag.* 397., *& in Baren. Congruæ, & expensarum* 9. *Februarii* 1760. *ad I. Dub. lib.* 110. *Dec. pag.* 57. . Et quoad expensas Ceræ, & Suppellectilium, differit, eas subeundas esse a Vicario Curato, ad quem spectant omnia onera incumbentia Ecclesiæ Parochiali, in qua fuit erecta Vicaria perpetua, ut ex mente hujus Sacræ Congregationis notat *Gallemart. ad Concil. sess.* 7. *cap.* 7. *sub num.* 7., dummodo tamen habeat reditus ultra Congruam alimentariam, *Bertach. vot. decis.* 100. *num.*

Unum tamen ponderandum superest, quod annua scut. 18., seu ducati Regni vigintiquatuor, qui Curato solvebantur a Philippo Bonaccursio, ut enunciatur in Actis Visitationis anni 1712., ab hodierno Abbate referuntur ad causam pensionis Domus, quia Testes ab eo exhibiti deponunt, eandem summam amplius solutam non fuisse post restauratam a d. Bonaccursio Domum Parochialem: Migliorinus autem opinatur, illorum solutionem fieri consuevisse in augumentum Congruæ, non autem in causam pensionis Domus, pro qua Curatus, dum restaurabatur Domus Parochialis, solvebat solum annuos carolenos sex, ut proba-

tur

tur ex libris Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, cujus erat Domus a Curato conducta.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An sit locus augumento Congruæ, & in qua summa?*

II. *An Abbas teneatur subministrare Suppellectilia Sacra, necnon Ceram in Sacris peragendis erogandam, & respective Populo distribuendam, in casu &c.*

Dilata ad sequentem omnino, etiam unica.

PALENTINA JURIS VISITANDI. Monasterio S. Zoili Ordinis S. Benedicti, quod est in Oppido de Carrion Palentinæ Diœcesis, univit san. men. Sixtus IV. Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, cum facultate, ut in ea exerceretur animarum cura per Monachum ad nutum Abbatis amovibilem, *Diœcesani Loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita*. Hujus unionis prætextu non minus, quàm vigore privilegiorum Ordinis Cluniacensis, hodiernus Abbas renuit anno 1761., ad visitationem dictæ Ecclesiæ admittere Episcopum Palentinum, cujus Ordinariæ jurisdictioni subjacent Clerus, & Populus Parochiæ; quare Episcopus Abbatem monuit, ut assertæ exemptionis jura deduceret: quemadmodum decernitur *in cap. Cum personæ 7. de privil. in 6.*

Sess. 7. cap. 7. de Refor., & sess. 25. cap. 11. de Regul.

Et interim, præfixo illi termino ad præsentandum Sacerdotem idoneum, ut ab Episcopo approbaretur ad curam animarum, sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ inhibuit quibuscumque Sacerdotibus Secularibus, aut Regularibus, ne ad deputationem Abbatis præfatam Curam exercerent, sine approbatione Episcopi, etiamsi ab eo obtinuissent facultatem audiendi Confessiones: præcepitque Parochianis, ut donec Sacerdos aliquis specialiter approbaretur ad Curam Animarum, alteram adirent ejusdem Oppidi Ecclesiam Parochialem S. Andreæ pro Sacramentis suscipiendis, constituto in viciniis Sacerdote, qui Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis ministraret de nocte, & in casibus repentinæ necessitatis. Et hujusmodi Episcopi Decretum confirmatum fuit in gradu appellationis a Nuncio Apostolico Hispaniarum, qui novam insuper appellationem a Monachis interpositam admisit in devolutivo tantum.

Pro dirimenda itaque controversia exemptionis, Episcopus preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, a quo data fuit rei cognitio huic Sacræ Congregationi, fuitque ab ejus R. P. D. Auditore rejecta instantia Abbatis petentis remissionem Causæ ad Partes. Et nunc differit

Episcopus, Ecclesiam Parochialem, de qua agitur, fuisse subesse Ordinariæ jurisdictioni, ex dispositione juris, ut *in Cap.16. de Offic.Ordin.*: Nec officere illius unionem a sa.me. Sixto IV. factam exempto Monasterio S. Zoili, quia Sacrum Concilium Tridentinum Episcopis restituit jurisdictionem, nedum in Ecclesias Parochiales Monasteriis unitas, quas voluit annis singulis ab eis visitari, ut *in cap.7. sess.7. de Reform.*, sed etiam in ipsas Ecclesias Monasteriorum, quatenus eis immineat Cura Animarum, itaut *Personæ tam Regulares, quam Seculares hujusmodi Curam exercentes, subsint immediate in iis, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita*, ut *in cap.11. sess.25. de Regul.*

Minusque autumat prodesse Monasterio S. Zoili privilegia Ordinis Cluniacensis, quæ illi fuerunt communicata a san. mem. Eugenio IV.; quia *in citato cap.11. sess.25. de Regul.*, exemptio præservatur, non omnibus Monasteriis Ordinis Cluniacensis, sed ipsi solum *Monasterio Cluniacensi, cum suis limitibus*. Et nullius ponderis reputat privilegia a san. mem. Clemente VIII. concessa Congregationi Vallisoletanæ, cui unitum est Monasterium S. Zoili; tum quia privilegia Clementina concessa fuerunt sub expressa Clausula *Quatenus Decretis Concilii Tridentini non adversentur* =, quod innuit potius denegatam fuisse exemptionem in Ecclesiis Parochialibus, quæ a Sacro Concilio Tridentino subjiciuntur potestati Episcopi, ut dixit *Rota in decis.507. num.12. par.19. Recent.*; tum insuper quia Clementinis privilegiis, aliisque omnibus, si quæ essent præjudicialia Episcopo, derogatum fuit a san. mem. Benedicto XIV. in Constitutione *Firmandis 109.tom.1.*, qua præcipitur circa præmissa observantia Sacri Concilii Tridentini, non obstantibus quibuscumque *consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis*; qua ratione censet, nec etiam suffragari posse Monasterio quamcumque possessionem, vel consuetudinem ab eadem Benedictina Constitutione sublatam.

Advertendum tamen est, quod san. mem. Gregorius XV. in Constitutione *Inscrutabili* 18. §.4. sancivit, ut Personæ quæcumque Seculares, aut Regulares exemptæ, Curam Animarum exercentes, vel administrantes Sacramenta in quibusvis Ecclesiis Regularibus, sive Secularibus, *in his, quæ hujusmodi Curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi*, TAMQUAM SEDIS APOSTOLICÆ DELEGATI, *plene in omnibus subjiciantur*; verum *Rota in decis. 771. num.8. & 9. tom. 3. part. 1. coram Molin.* censuit, Episcopum posse has Ecclesias Parochiales Monasteriis unitas visitare jure ordinario, vigore Concilii Tridentini *sess. 7. cap. 7. de Reformat.*

Præ-

Præterea defendit, nemini licere in eadem Ecclesia curam Animarum exercere, sine Ordinarii licentia, approbatione, & examine, ut cavetur *in can. sane quia 16. quæst. 2.*: Nec obstare indultum Sixti IV. de licentia Ordinarii non requirenda; quia resistit posterior censura Sacri Concilii Tridentini in *d. cap. 11. sess. 25. de Regular.*, ne in his Parochialibus *aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem* (Episcopi) *consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo*; & quia expresse quibuscumque contrariis derogatur tum a S. Pio V. in Constitutione *Ad exequendum* 47., ubi §. 5. idem statuitur, tum a san. mem. Benedicto XIV. in prædicta Constitutione *Firmandis* 109. *to.* 1., ubi §. 11. decernitur, ut *hujusmodi Parochis, sine Episcopi approbatione, ad Curam Animarum accedere nequaquam liceat, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles*: Et in circumstantiis similis privilegii ita censuit hæc Sacra Congregatio in altera *Palentina* 9. *Februar.* 1760. *lib.* 110. *Decretor. pag.* 57.; imò subeundum esse a Regularibus novum examen pro approbatione ad Curam Animarum, etiamsi prius approbati essent ad Confessiones audiendas, & ad Curam secundariam, seu ad Parochum coadjuvandum in exercitio Curæ, definitum fuit in *Colonien.* 10. *Maii ejusdem anni* 1760. *lib.* 110. *Decret. pag.* 168.: idque potiori jure locum obtinere videtur in Hispaniis, vigore Constitutionis *Apostolici ministerii* pro reformanda in illis Partibus disciplina editæ a san. mem. Innocentio XIII., & confirmatæ a san. mem. Benedicto XIII. in altera Constitutione *In supremo* 16. *post Concilium Romanum*, ubi sub §. 11. expresse decernitur, specialem requiri approbationem Episcopi ad Curam Animarum, nec sufficere approbationem ad audiendas Confessiones, etiamsi agatur non de Parocho, sed de Cappellano Coadjutore.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An Parochialis Ecclesia Sanctæ Mariæ Magdalenæ unita Regio Monasterio Benedictinorum, sive Regulari illo um Ecclesiæ sub titulo S. Zoili in Villa de Carrion Ordinis Cluniacensis Ordinariæ Jurisdictioni sit subjecta, & Pastoralis illius Visitatio, Visitationem omnesque actus ipsam respicientes ad Ordinarium Palentinum pertineant?* & quatenus negative.

II. *An liceat Abbati dicti Regii Monasterii exerceri facere Animarum Curam supradictæ Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ per Presbyterum sive Sæcularem, sive Regularem ad ejus nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in casu &c.*

Dilata, & ad Eminentissimum Præfectum, juxta mentem.

FIR-

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

FIRMANA PAROCHIALIS. Dedimus speciem hujus Causæ in Folio Congregationis habitæ die 24. Julii superioris anni: & ob concessam Dominico Passarini dilationem, denuo illam descripsimus in Folio Congregationis habitæ die 21. Augusti, propositoque Dubio = *An constet de irrationabili Judicio Archiepiscopi, itaut Parochia S. Hieronymi Orticini sit adjudicanda Dominico Passarini?* = Eminentissimi Patres responderunt = *Affirmative in casu, de quo agitur* =; rursus tamen proposita Causa die 22. præteriti mensis Januarii, rescriptum fuit = *Recedendum a decisis* =. Quæstionem ergo instaurat Dominicus Passarinus, contendens standum esse in primo loco decisis. Differit porro, gravem Archiepiscopi apoplexiam, non exclusam ab attestatione primi Medici Civitatis ob errores, in quos irrepsit, relative ad Concursum habitum pro Plebania Castri Cerreti ab ipso enunciatum, & a novis Testibus comprobatam, infirmum adeo reddidisse illius judicium, ut nulla oriri valeat præsumptio idonioritatis Cajetani Moretti ab eo prælecti: nec præsumptionem vires accipere ex judicio Pro-Vicarii Generalis, qui Concursui, & prælectioni interfuit, atque institutionem, & possessionem Parochialis tradidit Moretto, quia Pro-Vicarius vel facultate conferendi Beneficia carebat, non constito de speciali delegatione, vel humana affectione motus videtur, ob commendationes acceptas pro Moretto, ut inquiunt Testes modo exhibiti; quibus commendationibus insuper censet Passarinus tribuendam esse omissionem Cancellarii, qui in notula compendiaria meritorum ejusdem Passarini non descripsit studia Theologica ab eo peracta, aliaque munera expleta, juxta documenta in illius primo Summario exhibita sub *num. 31. & 34.*

Et sublata idonioritatis præsumptione, quæ cæteroquin oriretur ex judicio Ordinarii, disputat Causam definiendam esse, juxta cujusque merita a productis documentis resultantia, sibique adjudicandam esse Parochialem, cum polleat majoribus prærogativis, quia licet junior sit ætate, Sacerdotio, & munere Confessarii, attamen præcellit scientia, tamquam majori suffragiorum numero approbatus, & præstat etiam idoneitate ad Curam Animarum, quam actu exercet, uti alter ex Portionariis Curatis Terræ Porculæ Diœcesis Montis Alti; imò autumat, prudentia quoque anteire suum Oppositorem, qui tanta concitavit jurgia in Terra Montis Floris Firmanæ Diœcesis, dum in ea fungebatur munere Confessarii Monialium, ut meruerit ab officio removeri.

Morettus vero captam defendit Resolutionem, nedum ex judicio Archiepiscopi, quod firmum fuisse docet alterius Medici testimonio, sed etiam ex judicio Pro-Vicarii Generalis, juxta hujus exhibitam Epistolam, disputans, eum

non

non indiguisse speciali delegatione pro eligendo digniore in Concursu, cùm ea facultas veniat sub generali mandato, ut notat *Fagnan. in cap. ex frequentibus num. 7. de instit.*, ideoque ex illius judicio non minus, quàm Archiepiscopi eam oriri dignioritatis præsumptionem, quæ minime subvertitur extrinsecis prærogativis Oppositoris, ad firmata per *Rotam in Firmana Parochialis 26. Junii* 1752. §.8. *coram Eminentissimo Molino*.

Præsertim quia, præter Concursum, de quo agitur, celebratum die 4. Martii 1761., duo alii Concursus ad Parochiales habiti fuerunt coram Archiepiscopo Firmano diebus 2. & 14. ejusdem mensis, & Passarinus, qui illis adfuit, licet in utroque posthabitus, numquam reclamavit, quare agnovisse videtur sanum Archiepiscopi judicium, ejusve Pro-Vicarii in præeligendo digniore. Nec rem mutare, putat Morettus, assertam Pro-Vicarii affectionem in hoc intermedio Concursu; cum Testes modo exhibiti a Passarino deponentes de urbanis, cæteroquin inconcludentibus, commendationibus, nullam mereantur fidem, post Encyclicam *Cum illud* 68. *tom.* 1. san. mem. Benedicti XIV., qua sub §.16. *num.*6. cavetur, *ne attestationes, & fides tam judiciales, quàm extrajudiciales, & documenta quæcumque studiose conquisita, & post Concursum, ut ajunt, expiscata, ullo modo recipiantur*; attento potissimum, quod documenta, quorum mentio commendationum gratia dicitur omissa a Cancellario in compendiaria notula requisitorum Passarini, exarata leguntur de mense Decembris 1761., novem scilicet mensibus post expletum Concursum, itaut injustè videatur tributa culpæ Cancellarii omissio descriptionis documentorum, quæ nec a Passarino producta fuerant, nec aderant in rerum natura.

Sua etiam merita differit minora non esse illis Passarini, inspectis probationibus ab actis Concursus elicitis, ut sancitum est in præfata Encyclica Benedictina, quia ipse senior est ætate, Sacerdotio, & munere Confessarii, & laudabiliter sexennio exercuit munus Ludimagistri in Civitate Firmi, in Seminario Montis Alti, & in Civitate Tolentini, instruendo Pueros literis, & pietate, & ideo minor in munerum exercitio videri non debet Passarino, qui uti Portionarius Curatus Terræ Porculæ, inibi curam exercet. Nec sibi censet obesse remotionem a munere Confessarii Monialium Terræ Montis Floris, cùm id evenerit ob simultates Malorum ex zelo magis, quam imprudentia concitatas, ut eruitur ex Epistolis Vicarii Generalis, & ex facto Pro-Vicarii, cujus tempore sequuta est remotio, quia idem Pro-Vicarius post paucos dies judicio suo approbavit præelectionem Moretti in Concursu, de quo agitur.

Erit

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

An sit standum in primo, vel secundo loco Decisis, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess.22. cap.8. de Reform.

MINDONIEN., SEU OVETEN. ORDINATIONIS. Emanuel Cajetanus Perez Luarez, sine Dimissoriis, vel Testimonialibus sui Episcopi Mindoniensis, in cujus Dioecesi natus erat, & morabatur, anno 1760. initiatus fuit prima Tonsura, Minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu ad titulum Cappellaniæ noviter erectæ in Dioecesi Ovetensi, cum hujus Antistitis Dimissoriis, simulans se oriundum esse ex ejus Dioecesi. Quare denunciatus in Curia Episcopali Mindoniensi, nomine tàm hujus furtivæ Ordinationis, quàm alterationis, & mutationis quarundam clausularum, & foliorum in Instrumento fundationis dictæ Cappellaniæ, post aliquot carcerationis menses fuit per sententiam definitivam Vicarii Capitularis, Sede Vacante, declaratus suspensus ab exercitio susceptorum Ordinum, & inhabilis ad reliquos assequendos, nonnullisque poenis mulctatus, quibus tandem expletis, absolutus fuit ab eodem Vicario Capitulari ad cautelam a quacumque censura, suspensione, irregularitate, vel alia poena incursa ratione delicti, cujus nomine fuerat accusatus, & quod in prædicta sententia definitiva continebatur.

Vigore hujus absolutionis ministravit Emanuel in susceptis Ordinibus, sed renuit hodiernus Episcopus Mindoniensis illum ad reliquos Ordines promovere sine absolutione, & dispensatione Sedis Apostolicæ, quam idcircò adivit Emanuel. Et cum ejus preces a Dataria fuerint delegatæ huic Sacræ Congregationi, relationem Episcopi Mindoniensis exhibuit Orator in præmissorum confirmationem, cum qua circa furtivam Ordinationem prædictam concordat etiam altera Episcopi Ovetensis de more auditi.

Verum nunc disputat Orator, ipsum fuisse legitimè absolutum a Vicario Capitulari; quùm absolutio suspensionis indictæ contra Ordinatos sine Dimissoriis proprii Episcopi reservata non sit Sedi Apostolicæ *in can. Lugdunensis 9. qu. 2.*, minusque a Sacro Concilio Tridentino *in sess. 23. cap. 8. de Reformat.*, neque a san. mem. Innocentio XII. in Constitutione *Speculatores* 44. §. 15. *in suo Bullario*, ubi eadem suspensionis poena indicitur duratura, *quandiù proprio Ordinario videbitur expedire*, quibus verbis indicari Ordinarii facultatem absolvendi, tradit *Rigant. ad Regul. 24. Cancellar. §. 4. num. 48. & seq.*; & propterea eandem facultatem, Sede Vacante, competere Vicario Capitulari, defendit idem

Ri-

Rigant. in citato §.4. *num.*61. *ad* 111., ubi allegat resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Neapolitana Ordinationis* 15. *Decembris* 1685., 27. *Aprilis*, *&* 7. *Decembris* 1686., quæ concordant cum Regestris Secretariæ *lib.*35. *Decr.pag.*527., *& lib.*36. *pag.*150. *&* 559.

Et licet Vicarius Capitularis absolutionem indulserit, nedum a suspensione, sed etiam ab irregularitate, cujus dispensatio reservata est Sedi Apostolicæ, ut notat *Rigant. in citato* §.4. *num.*47.; attamen contenditur, exercitium Ordinum, quo irregularitas contrahitur, haud enunciari in exhibitis utriusque Episcopi relationibus, minusque sufficienter induci ex receptione Subdiaconatus post Ordines Minores, quùm ascensus ad majores Ordines sub censura suspensionis non includat exercitium Minorum Ordinum necessarium pro contrahenda irregularitate, ut ex mente hujus Sacræ Congregationis tradit san. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœces. lib.*12. *cap.*3. *num.*7.; & quatenus revera Orator ministrasset in susceptis ordinibus, differitur nihilominus, potuisse Vicarium Capitularem cum eo dispensare super irregularitate occulte contracta, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.*24. *cap.*6. *de Reform.*

Ponderandum tamen, num ab Oratore allegari possit defectus probationum circa exercitium Ordinum, non transportatis actis, quibus innititur Sententia Vicarii Capitularis, ejusque absolutio etiam irregularitatem complectens; præsertim quia exercitium ordinum susceptorum necessario præmittendum est ante ascensum ad reliquos Ordines, ut cavetur *in cap.*11. *& cap.*13. *sess.* 23. *de Reform.*: & num in casu exercitii prædicti, Vicarius Capitularis potuerit, post judicialem processum, & Sententiam, uti facultate Episcopis tributa a Sacro Concilio Tridentino in dicto *cap.*6. *sess.*24. *de Reform.*, ubi excipiuntur crimina deducta *ad forum contentiosum*, pro quibus nequit Episcopus dispensare super irregularitate, ut notat *Barbos. de offic., & potestat. Episc. part.*2. *alleg.*39. *num.*28.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

I. *An absolutio suspensionis ab exercitio Ordinum per Vicarium Capitularem Mindoniensem impertita Subdiacono Emanueli Cajetano Perez sustineatur?* & quatenus negative.

II. *An concedenda sit absolutio, seu dispensatio, in casu &c.*

RECINATEN. SUBSIDII DOTALIS. Testamentum, sub quo decessit anno 1741. Canonicus Augustinus Galamini, hæc habet = *Alle due Figlie Femine, che si trova il Signor Cap. Girolamo Biscia mio Nipote ex Sorore, volendosi solo far Monache, ed assumere lo stato Religioso, esorto il mio Erede dare a ciascheduna di loro in tal caso qualche ajuto, secondo che* gia-

*Sess.*22. *cap.*8. *de Reform.*

giudicherà espediente, come per altro farò io, se si darà questo caso in vita mia, lasciando, che nel rimanenente pensino i loro Fratelli, mettendo da parte ogni anno qualche cosa, per essere ben proveduti colle mie rinunzie fattegli =

Vigore hujus Testamenti, Rosa Biscia ejusdem Capitanei Hieronymi Filia, quæ ab anno 1755. moratur educationis causa in Monasterio Sanctissimæ Annunciationis Civitatis Æsinæ, precibus oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quæ ad hanc Sacram Congregationem remissæ sunt, postulavit, ut cogeretur Hæres dicti Canonici Galamini ad præstandum subsidium scutorum quingentorum, quo ipsa possit in eodem Monasterio professionem emittere. Et Episcopus de more auditus, suam non aperiens animi sententiam, folium oppositionum Hæredis transmisit, ac præsupponens obitum duarum Filiarum Cap. Hieronymi Biscia in Testamento Canonici Galamini enunciatarum, addit, quod Oratricis Frater coram ipso contendebat, ad Oratricem devolutum esse jus consequendi dotale subsidium, *quamvis prædictæ duæ Sorores in statu nubili sint prædefunctæ*.

In libello autem ejusdem Rosæ Oratricis supponitur, ipsam esse alteram ex duabus Sororibus contemplatis in Testamento, & jus habere consequendi dotale subsidium scutorum quingentorum, pro modo consuetæ Dotis Monasterii, cùm verbum *esorto* in recensita dispositione verum legatum inducat ex voluntate Testatoris, præsertim favore piæ Causæ Dotationis pauperis Puellæ ad religiosum statum aspirantis, quæ attento obitu Canonici Dominici Fratris destituta remansit subsidiis a Testatore Galamini in supra relata dispositione insinuatis. Hæres contra in Folio, quod Episcopo exhibuit, excipit, quod verba hortatoria, quæ resolvuntur in merum consilium, nullam inducunt obligationem, quodque Causa pia contemplata non præsumitur in legato Consanguineis relicto.

Erit itaque definiendum ab EE.VV.

An, & in qua summa debeatur Subsidium Dotale, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 25. Junii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN postrema Congregatione habita die 4. hujus mensis indecisæ remanserunt tres Causæ, quæ sequuntur. Eas itaque denuo in præsenti Folio describimus, ut ab EE. VV. definiri valeant.

FIRMANA PAROCHIALIS.

Sess.24. cap.18. de Reform.

An sit standum in primo, vel secundo loco Decisis, in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

MINDONIEN., SEU OVETEN. ORDINATIONIS.

Sess.22. cap.8. de Reform.

I. *An absolutio suspensionis ab exercitio Ordinum per Vicarium Capitularem Mindoniensem impertita Subdiacono Emanueli Cajetano Perez substineatur?* Et quatenus negative.

II. *An concedenda sit absolutio, seu dispensatio, in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Concedendam esse dispensationem ad cautelam.

RECINATEN. SUBSIDII DOTALIS.

Sess.22. cap.8. de Reform.

An, & in qua summa debeatur Subsidium Dotale, in casu &c.

Negative.

Sess.7.cap.7., & sess. 25. cap.16. de Reform.

REATINA AUGUMENTI CONGRUÆ. Hujus etiam Causæ definitio dilata fuit ad hodiernam Congregationem. Et præter deducta in antecedentis Congregationis Folio, alia exhibentur documenta nomine Abbatis ad probandum, quod expensæ Suppellectilium, aliæque necessariæ pro Ecclesiæ ornatu fieri solent a Confraternitate Sanctissimi Sacramenti erecta in Ecclesia Parochiali Miciliani. Erit itaque definiendum ab EE. VV.

I. *An sit locus augumento Congruæ, & in qua summa?*

II. *An Abbas teneatur subministrare Supellectilia Sacra, necnon Ceram in Sacris peragendis erogandam, & respective Populo distribuendam, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Dilata, & reproponatur citata etiam Confraternitate.

Sess.7.cap.8., & sess. 24. cap. 3. de Reform.

AUXIMANA, SEU CINGULANA CATHEDRATICI. Causa hæc, cujus species habetur in Folio Congregationis habitæ die 10. Martii 1759., definita fuit in Congregatione diei 31. ejusdem mensis: & Dubio, quod erat: *An, quomodo, in qua summa solvi debeat Cathedraticum, & respective sit locus restitutioni?* responsum fuit, *Affirmative in pecunia numerata, & in summa duorum solidorum tantum, nimirum viginti juliorum: & in reliquis negative;* captamque resolutionem Eminentissimi Patres confirmarunt die 28. Aprilis, & 21. Julii ejusdem anni, semel iterumque rescribendo = *In decisis, & amplius* =. Novam audientiam nihilominus obtinuit Episcopus Auximanus ex Decreto Emi Præfecti, meique Secretarii, juxta facultates indultas a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ea lege tamen, ut sumptus litis Parti collitiganti subministraret. Quarto igitur definienda proponitur Causa, strenueque defendit Episcopus, recedendum esse a decisis.

Res est de annua præstatione quatuor cupparum Frumenti, totidemque Hordei, & duorum solidorum, seu quadrantium sex monetæ, quam exigere consueverat Mensa Episcopalis Auximi a Possessore Prioratus S. Antonii Abbatis Terræ Staphili, & cujus nomine Marchio Franciscus Dominicus Balestrieri, de Prioratu provisus anno 1754., solverat quot annis in pecunia scut.3. 61. 1. Hujus exactionis possessionem immemorabilem asserit Episcopus, cùm uniformem comprobent illius solutionem titulo Cathedratici ab anno 1670., quot quot supersunt Codices redituum aut Mensæ Episcopalis, aut Prioratus, Testium etiam depositionibus roborati; & vetustior ejusdem exactionis memoria eruitur ex antiquissimis Libris existentibus in secretiori

Archi-

Archivio Episcopali: in quorum uno, cui titulus = *Entrata, ed Esito del Vescovato* 1477. =, sub descriptione Censuum anni 1478. hæc leguntur verba = *Da Doño Pietro Pavolo Fiorini uno di moneta, per lo Grono, e per la Spelta, e riserbato se monta più* =, & sub anno 1480. hæc alia = *Da Doño Pietro Pavolo dello Staffolo per lo Benefizio S. Antonio, e S. Agata, e S. Giovanni de Filello R. $\frac{1}{1}$ di Grano, R. $\frac{1}{1}$ di Spelta, e B. 4. per Sinodatico* =, in altero verò, qui ex antiquiori Codice Censuario desumptus asseritur, de Terra Staphili hæc habentur = *SS. Antonius, & Agatha solvit annuatim, Tritici salmam mediam, Avenæ salmam mediam, Synodatico solidos duos* =, & subsequitur enunciativa solutionis anni 1552., aliarumque factarum ab anno 1563. ad annum 1582., & annis 1513. 1614. & 1615.: & licet in prædicto antiquiori Libro anni 1480. enuncietur solutio Cathedratici pro duobus Beneficiis SS. Antonii, & Agathæ, & S. Joannis, ut excipitur a Marchione Balestrieri ad suadendam immodicam exactionem adversus Possessorem solius Beneficii SS. Antonii, & Agathæ, attamen advertendum est, tum quod quantitas in eo enunciata duplo major est ea, quæ pro solo Beneficio SS. Antonii, & Agathæ enunciatur in altero Libro posterioris Seculi, & quæ uniformiter soluta apparet etiam successive post annum 1670., tum quod solutio floreni unius anno 1478. a Beneficiato expleta non est referenda ad præstationis substantiam, & quantitatem, sed ad mensuram valoris speciei, & ad pretium tunc currens.

Eandem itaque præstationem immemorabili consuetudine firmatam, contendit Episcopus, non esse immutandam, sive ad Cathedraticum, sive ad Censum illa referatur. Differit enim, Cathedratici naturæ non adversari modum præstationis in speciebus mixtim cum pecunia, cum eum usum veteri Ecclesiæ disciplinæ conformem ostendat *Thomasin. de vet., & nov. Eccles. disciplin. part. 3. lib. 2. cap. 32. num. 10.*, illumque probaverit, *Rota in Tuden. Cathedratici* 12. *Martii* 1742, *coram clar. mem. Card. Tanar.*, & 17. *Junii* 1743. *coram clar. mem. Card. Millino*, & hæc Sacra Congregatio *in Feretrana Cathedratici* 4., & 18. *Maji* 1743. *lib. 93. Decr. pag.* 185., & 229.

Minusque putat, immodicam esse quantitatem scut. 3. 61. 1., juxta valorem specierum solutum ab hodierno Priore, & quandoque ab ejus Antecessoribus; quia Solidi valor Justiniani temporibus sextam unciæ partem æquabat, itaut auri libra in septuaginta duos solidos divideretur, *Leg. Quotiescumque* 5. *C. de Suscept., & Arcar. lib.* 10., & duo solidi, quos pro Cathedratico exigendos esse decreverunt illa ætate Pelagius I. Romanus Pontifex, & Concilium Bracharense II., ut *in Can. Placuit*, & *Can. Illud* 10. *quæst.* 3., cum de Solidis Romanis tunc currentibus intelligendi essent, juxta firmata per *Covarruv. de veter. collat. numis. cap. 3. §. 2. num. 9.*

num.9., pluris æstimabantur, quam duo aurei vulgo Zecchini, nostræ ætatis, quorum *96.* pridem requirebantur ad libram constituendam, ut tradunt *Abbas in Cap. Conquerente num.6.*, *& Fagnan. ibidem num.*47. *de Officio Ordinarii*, & modo requiruntur *99.*, juxta exhibita Documenta.

Proindeque subdit, reprehendendam non esse post immemorabile tempus exactionem specierum valoris sc.*3. 61.* 1., qui minor est antiquo valore duorum solidorum; cum in hac solidorum æstimatione servanda sit consuetudo cujusque Diœcesis, nedum si non excedit antiquum illorum valorem, ut tenent *Fagnan.in cap.conquerente n.*46.,*&* 47.*de offic.Ordin.*, *Pignatel. consult.*8. *num.*13. *tom.6.*, *san. mem. Benedictus XIV. de Synod. Diœc. lib.5. cap.7. §.*1. *in fin.*, *& Rota in d. Tuden. Cathedratici coram Tanario decis.*228. *num.*43., sed etiam si præfatum antiquum valorem excederet, quia præfinitio duorum solidorum jure Ecclesiastico inducta, potest immemorabili præscriptione variari, ut tenent *Abbas in cap. olim* 20. *num.*1. *in fin. de Censib.*, *Pyring. in jus Canon. lib.*3. *tit.39.* §.2. *num.*4., *Anaclet. ibid. num.*14., *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. alleg.86. num.*43. *&* 44.. Nec censet obstare novissimum Concilium Romanum *tit.*8. *cap.*4., definiens valorem duorum solidorum in viginti Iuliis, & minorem etiam quantitatem pro Cathedratico solvendam, juxta reditùs Beneficiorum; cùm hæc definita fuerint in Concilio Romano, *salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis*, *& Episcopis magis favorabilibus*: qua stante consuetudinis præservatione, non debet abrogata videri æquissima consuetudo ab immemorabili tempore vigens, exigendi Cathedraticum infra valorem antiquorum solidorum de jure permissum, quæ proinde illiberali abusus, & corruptelæ nota indebite accusari non meretur, nec est intervertenda sine speciali derogatione, quæ non legitur in Concilio Romano.

Validùm quoque titulum hujus exactionis, disputat, oriri ex immemorabili, si referatur ad censum, juxta inscriptionem antiquorum Librorum, in quibus sola pecunia refertur ad Cathedraticum in solidis duobus, seu quadrantibus sex, ut dictum est. Nam opinatur, censuram *Textus in cap. pervenit* 5. *de censib.*, qua improbantur census ignorantiæ, seù ignotæ originis, pertinere ad census de novo impositos, & in vita unius Beneficiati solutos, ut innuunt *Textus in cap. prohibemus* 7. *& cap. præterea* 8. *de censib.*, non autem ad census antiquos, quorum legitima reservatio fieri potuit, vel in fundatione Ecclesiæ, *ut in cap. cum Venerabilis* 21. *de censib.*, vel in illius consecratione, in qua licitum est Episcopo sibi reservare tertiam partem oblationum, præter Cathedraticum, dummodo non sit Ecclesia Parochialis, *ut in can. nec numerus* 10. *quæst.3.*, *& in Can. Eleutherius* 18, *quæst.*2.: vel etiam, ut inquit, occasione unionis Beneficiorum, per speciem compensationis Cathedratici, quod

am-

amplius non percipitur ex Beneficio unito, quemadmodum constat accidisse anno 1391., quo Episcopus Auximanus univit duas Ecclesias reservato sibi censu in Frumento, Hordeo, & Cera; cum hujusmodi reservationis titulos, aliosque magis idoneos, etiam Apostolica auctoritate roboratos, præsumi post immemorabilem firment *Abb. in cap. significavit num. 5. de censib.*, *Gonzal. in cap. pervenit sub num. 4.*, *& in cap. prohibemus num. 6.*, *& 7. eod. tit.*, *Card. Petra ad Const. 3. Pauli II. num. 38. tom. 5. pag. 391.*, *& Rot. in d. dec. 228. n. 21. ad 27. cor. Tanar.*, & hæc Sacra Congregatio censuit, non esse immutandum vetustum morem solvendi Cathedraticum, & censum, *in Perusina Cathedratici 19. Novembris 1735. ad III. Dub. lib. 85. decr. pag. 417.*, *& in Feretrana Cathedratici 18. Maii 1743. lib. 93. decr. pag. 229.*

Verum excipitur a Marchione Balestrieri, antiquioris possessionis probationem concludenter non erui ex documentis a privato archivio desumptis, & extractis sine Partis colligantis citatione: recentiorem vero possessionem ab anno 1670. nec probatam esse per annos singulos, nec prærogativa immemorabilis pollere; cum effluxi nondum essent nonaginta anni usque ad diem motæ litis: ideoque judicium ter prolatum ab Eminentissimis PP. minime concuti hujusmodi documentis, quæ in antecedentibus etiam propositionibus producta, & rejecta fuerunt. Super quo tamen advertendum est, quod supposita veterum documentorum legalitate, haud ambigi posset de continuata medio tempore possessione Mensæ, & de consectaria immemorabili observantia, cum illa rite præsumi valeat ex probatione extremorum veteris, & recentioris exactionis. Additur præterea a Marchione Balestrieri, eisdem documentis inhærendum non esse, attenta illorum irrelevantia; quia de valore solidorum quæstiones omnes sublatæ fuerunt novissima lege Concilii Romani, quo definitum est pro duobus solidis viginti julios esse computandos.

Nec obstare differitur fuisse in eodem Concilio præservatam utiliorem consuetudinem, cum præservatio pertineat non ad præfinitum valorem solidi, sed ad quantitatem, pro modo redituum cujusque Beneficii, decretam a Concilio infra valorem duorum solidorum, quorum metam excedi non posse per consuetudinem firmat *Rota in decis. 228. num. 43. cor. Tanario*, quæ cæteroquin loquitur ad excludendum excessum duorum solidorum præscriptorum in Concilio Bracharensi, citra quorum valorem sistere exactiones a Mensa Episcopali hactenus factas contendit Promothor Fiscalis, ut innui in superiori *§. Minusque*, *& §. Proindeque*. Opponitur præterea, quod vetitum omnino est Episcopis quidquam exigere pro Cathedratico, ultra duos solidos, *Can. placuit, & can. illud 10. quæst. 3.*, *& cap. conquerente de offic. Ordin.*, *san. mem. Bened. XIV. de Synod. Diæc. lib. 5. cap. 6. num. 4.*; nec legitima

ma videri poteſt exactio titulo cenſus, ex quo non conſtat de valida illius reſervatione, juxta cenſuram *Textus in Cap. pervenit 5. de cenſibus.*

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

An, & quomodo ſit ſtandum vel recedendum à deciſis, in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Seſs.25. cap.11. de Reformat.

ÆSINA. Hæc Cauſa, cujus ſpecies deſcripta eſt in Folio Congregationis habitæ die 4. Decembris ſuperioris anni, propoſita fuit in Congregatione diei 18. ejuſdem Menſis. Tria erant ejus capita: *I. An conſtet de validitate venditionis Prædii, & Domus, de quibus agitur? II. An conſtet de ſufficienti redditione rationis pretii dd. Prædii, & Domus, nec non Tabularum pictarum in eadem Domo a Teſtatore relictarum? III. An, & pro qua ſumma, & a quibus ſit facienda reintegratio favore Cappellaniæ a d. Teſtatore ordinatæ, in caſu &c.*: Quibus Eminentiſſimi PP. reſponderunt= *Ad I. Affirmative: In reliquis omnia ad Ordinarium pro redditione rationis* =: Captam reſolutionem impugnat Sacerdos Thomas Angelini, qui ad Cappellam Muſices,ad quam pertinebant bona controverſa,vocatus eſt poſt obitum hodierni Magiſtri Organi. Et diſputat, Presbyteros Coadiutores Eccleſiæ Parochialis Montis Carotti, uti Exequutores Teſtamentarios Benedicti Antonii Fioretti ejuſdem Cappellæ Fundatoris, nequiviſſe Domum alienare vigore facultatis in Teſtamento ipſis tributæ, *di venderla liberamente, ed alienarla con rinveſtire ſubito in Capitale fruttifero il prezzo, che ſe ne ritraerà;* quia poſt quæſitum jus Eccleſiæ, & poſtquam Cappellæ, ejuſque bonorum poſſeſſionem nactus fuerat Magiſter Organi, ceſſaverant Exequutorum facultates, vel ſaltem exerceri nequibant ſine licentia Epiſcopi, & abſque affixione ædictorum cum relatione Mandatarii Curiæ, & non per teſtes comprobanda,ne Eccleſia læderetur in pretio, quemadmodum revera fuiſſe læſam per venditionem Domus valoris ſc. mille pro pretio ſc, tercentum, ſpretis utilioribus oblationibus ſc.350., & 500.,probare nititur teſtium depoſitionibus: Eo magis, quia Domus locata erat ſc.14., & prompta non erat occaſio inveſtimenti a Teſtatore voliti. Prædium vero æque nulliter venditum fuiſſe contendit, quia facultas illud vendendi haud legitur a Teſtatore indulta Executoribus teſtamentariis, nec poſitum erat ſub haſta ab aſſerto creditore: & quia æs alienum, pro cujus dimiſſione aſſeritur facta venditio,vel non ſubſiſtit,ut opponitur credito Pharmacopolæ, vel facile potuiſſet dimitti ex pecuniis hæreditariis: quod cçteroquin pendet a judicio redditionis ra-

rationis. Et consensum alienationibus præstitum tum a se, tum a Magistro Organi, censet Ecclesiæ præjudicium inferre non valuisse.

Cæterum cum agatur de bonis Cappellæ, seu Præbendæ laicalis non erectæ auctoritate Ordinarii, definiendum itaque erit ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

VENUSINA. In Folio Congregationis habitæ die 4. Decembris superioris anni descripta fuit species facti respiciens septem hujus Causæ dubia, quæ tamen proposita non fuerunt; & in sequenti Congregatione habita die 18. ejusdem Mensis annuerunt Eminentissimi Patres petitæ ab Episcopo dilationi. Induciæ locum dedere novis Capituli querelis, de neglecta forma concursus in collatione Parochialium; quo circà, post iterum auditum Episcopum, oportuit duo addere nova dubia, quæ sunt in ordine V., & VIII.. Omnia nunc proponuntur; & de quatuor prioribus, quæ ad Canonicos pertinent, vel Mansionarios Episcopo inservientes, momenta rationum utrinque deducta referuntur in prædicto Folio Congregationis habitæ die 4. Decembris, quod rogantur Eminentissimi Patres reassumere.

Sess. 7. cap. 7. sess. 21. cap. 5. & sess. 24. cap. 12. 13. & 18. de Reformat.

Unum tamen addendum superest, quod Capitulum contendit, nulla consuetudine induci posse, ut Canonici, etiam suæ Ecclesiæ utilitatem prosequentes, valeant in absentia distributiones percipere, ad *Textum in cap. cum non deceat 30. de elect. in 6.*, etiamsi munere fungantur Vicarii Episcopi, juxta responsum hujus Sac. Congregationis relatum *a Garz. part. 3. cap. 2. num. 348.*, *& Barbos. de Canon. cap. 24. num. 16.*. Sed Episcopus inhærens altero Bonifacii VIII. decreto *in cap. unic. de cler. non resid in 6.*, quod in usum revocavit Sacrum Concilium Tridentinum *in sess. 24. cap. 12. de Reform.*, disserit, absentes ex justa causa evidentis utilitatis Ecclesiæ distributiones jure percipere: Et ideò, cum inservientes Episcopo Ecclesiæ inservire censeantur, ut per *Textum in cap. ad audientiam 15. de Cler. non resid.* tradit *Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 27. n. 191.*, improbatam non esse consuetudinem, quam Testes ab eo producti appellant immemorabilem, ut inservientes Episcopo, exceptis emolumentis associationis Cadaverum, distributiones consequantur, ut tenent *Garz. de benef. part. 3. cap. 2. d. num. 348. in princ.*, *Barbos. de Canon. cap. 25. num. 5.*, *& de offic.*, *& potest. Episc. alleg. 53. sub num. 142.*, & contrariam Sententiam firmantem, quod consuetudo non prosit Canonico exercenti munus Vi-

carii Episcopi, intelligendam esse quoad Canonicum decoratum prærogativa Vicarii, quatenus assumatur ultra duos de jure permissos, ut opinatur *Garz. de benef. d. part.3.cap.2. num.274.*

Quæritur in posterioribus quatuor dubiis de juribus Ecclesiarum, in quibus Animarum cura exercetur in Civitate Venusina, quas Cappellas Episcopus, veras autem Parochiales vocat Capitulum. In Diœcesana Synodo Episcopi Corsignani enunciantur *sex vetustæ Civitatis hujusce Parochiæ* in Matrem agnoscentes Ecclesiam Cathedralem: eademque Parochialium, & Parochorum mentio habetur in altera Synodo anni 1589., qua decernitur Parochorum interventus aliquibus Horis Canonicis in Ecclesia Cathedrali Dominicis, festisque diebus, & translatio Fontium Baptismalium ab Ecclesiis Parochialibus ad Cathedralem pro majori decentia. Fertur vero, illarum alteram sub titulo S. Marci præteritis annis fuisse ab Episcopo unitam duabus aliis S. Nicolai, & S. Petri, ob illarum inopiam. Duas alias S. Martini, & S. Blasii, asserit Capitulum, unitas esse Mensæ Capitulari, attenta illius redituum tenuitate, & Curam habitualem earundem sibi imminere, & a se Vice-Parochos deputarì singulis annis: licet, præter Testes, solum exhibeat Literas unionis Ecclesiæ S. Martini favore Mensæ distributionum, factæ ab Episcopo anno 1530., & confirmatæ a san. mem. Clemente VII., & Paulo III., in quibus Episcopus concedit *omnibus, singulisque Canonicis, Beneficiatis, & Cappellanis in dicta Cathedrali Ecclesia pro tempore existentibus omnimodam potestatem, & facultatem eligendi, ponendi, & gubernandi unum Rectorem, aut Cappellanum, qui eidem Ecclesiæ S. Martini deserviat, cum facultate movendi, & removendi ad vestrum libitum, & ad nutum.*

Præterea Testes exhibet Capitulum affirmantes, quatuor prædictas Ecclesias, & alteram SS. Cosmæ, & Damiani, suos habere distinctos limites, certumque Populum, & proprium Rectorem in tribus ab Episcopo, plerumque canonica collatione, in duabus ab ipso Capitulo constitutum; aliisque documentis probat, illarum alteram S. Nicolai vacantem, juxta decretum provisionis Possessoris de Canonicatu Cathedralis, anno 1721. collatam fuisse a Dataria Apostolica: & alterius itidem vacationem decrevisse Episcopum anno 1730., per collationem Canonicatus factam illius Possessori: ipsumque hodiernum Episcopum, nedum Æconomum deputasse anno 1745. in vacanti Ecclesia Parochiali S. Marci nunc suppressa, sed etiam in secunda relatione fateri concursum semel a se indictum ad alteram ex dd. Parochialibus, illiusque collationem factam in titulum. Ex quibus omnibus infert veram qualitatem Parochialem probari, ad tradita per *Rotam in decis.32. num.2. & seq. part.18. Recent.*

Con-

Contendit propterea, in duabus Ecclesiis S. Martini, & S. Blasii, Mensæ Capitulari unitis, posse Curam Animarum exerceri a duobus Capitularibus, attenta forma unionis superius recensita quoad Ecclesiam Sancti Martini, ac attenta consuetudine Testibus probata, præsertim cum de jure valeant Capitulares exercere Curam habitualiter, & actualiter imminentem Capitulo, juxta firmata per *Piton. discept. Eccles.* 104. *num.* 29., *&* 35., *& seq.* in tribus vero liberæ collationis Episcopi non posse Capitulares deputari, cum illæ sint conferendæ in titulum, prævio concursu, juxta formam præscriptam a Sacro Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*, & a S. Pio V. in Constitutione *In conferendis* 33., & ideo incompatibiles esse cum Beneficiis residentialibus Cathedralis, *cap. nonnulli* 3. *de cler. non resid.*, *& cap. de multa* 28. *de prebend.*

Nec censet obstare tenuitatem redituum eorundem Parochialium; tum quia non subsistit, juxta partitas publici Catastri, aliosque Testes comprobantes, singularum Parochialium reditus, una cum incertis, excedere annuos ducatos Regni sexaginta, quos sufficere pro congrua Rectoris, inspecto potissimum Regionis more, ad tramites Constitutionis *Ad exequendum* 47. S. Pii V., firmant *Scarfanton. ad Cecoper. vot. decis.* 57. *num.* 34., *&* 35. *tom.* 2., *& Rota in decis.* 595. *num.* 6. *par.* 4. *tom.* 1. *Recentior.*; tum etiam quia asserta Parochiarum inopia nequiret illas compatibiles reddere cum Beneficio residentiali in Cathedrali, juxta Censuram Sacri Concilii Tridentini *in sess.* 24. *cap.* 17. *de Reformat.*; Minusque, subdit, pro tempore exercitii Curæ posse Capitulares lucrari distributiones in absentia, cum eas percipere nequeant etiam illi, qui Parochialem obtinent ex dispensatione Apostolica, ut Decrevit S. Pius V. in Constitutione *Cupientes* 65. §. 1., & notat san. mem. Benedictus XIV. *Instit. Eccles.* 107. *§.* 9. *num.* 56.; sed debere Episcopum Parochiarum inopiæ consulere modis præscriptis a Sacro Concilio Tridentino *in sess.* 21. *cap.* 5., *&* *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.*

Episcopus autem defendit, ea, quæ a Capitulo deducuntur, veram non concludere Parochialitatem Ecclesiarum, de quibus agitur, cum respiciant curæ exercitium, ex quo Ecclesiæ prædictæ assequuntur tantum prærogativam Capellarum Coadjutricum Cathedralis, ut dixit *Rota in decis.* 7. *num.* 9. *par.* 18. *Recent.*, & censuit hæc Sacra Congregatio *in Andrien.* 10. *Februarii* 1759. *lib.* 109. *Decret. pag.* 55.

Et plura cumulat argumenta, ut ostendat, solam Cathedralem esse unicam Parochialem totius Civitatis; cum eam in Matrem agnoscant reliquæ Parochiæ, & in ea convenire debeant Parochi Dominicis, festisque diebus tempore Divinorum Officiorum, atque ad eam fuerint translati Fontes Baptismales, juxta antiquas Synodos superius

enunciatas, quæ omnia probant earundem Ecclesiarum dependentiam a Cathedrali: Præterea in sola Cathedrali asservatur Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, & ab ea desumitur a Parochis de licentia Archipresbyteri pro Viatico Infirmis deferendo, & in ea adimpletur ab universo Civitatis Populo præceptum Paschale, & pagellæ in hujus adimplementi testimonium distribuuntur signatæ ab Archipresbytero: atque Libri omnium Baptizatorum in Sacrario Cathedralis, Defunctorum vero ab illius Archipresbytero custodiuntur, juxta plurium Testium depositionem.

Rectores insuper dictarum Ecclesiarum Vice-Parochi appellantur ab ipsis Testibus Capituli, qui longam illorum seriem recensent plerumque ex Presbyteris Participantibus Cathedralis: & in ipsa Cathedrali Exequias peragunt suorum Parochianorum, quod minime liceret veris Parochis. Et ex his putans Episcopus, Parochialitatem excludi, juxta firmata per *Rotam in decis.* 1887. *coram Coccin.*, non obstante una, aut altera provisione earundem in titulum, cùm provisiones non immutent naturam Beneficiorum, ut firmat *Rot. in decis.* 461. *num.* 13. & 14. *coram Molin.*, & *decis.* 101. *n.* 16. *cor. Ratto*, censet licitam esse deputationem Capitularium pro Cura Animarum in illis exercenda, cùm non habeant Curam in titulum, sed unice sint Cooperatores, & Coadjutores in exercitio Curæ Animarum pro Episcopo, vel Archipresbytero unico Civitatis Parocho, juxta ea, quæ firmant *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 6. *num.* 65. & *seq.*, & *Rota cor. Herrer. decis.* 29. *num.* 19., & *coram Crispo dec.* 243. *num.* 9., cum aliàs nec etiam in Ecclesiis Capitulo unitis exerceri posset Cura Animarum per Capitulares, sed deputandi essent Vicarii etiam perpetui, juxta censuram Sacri Concilii Tridentini *sess.* 7. *cap.* 7. *de Reformat.*, & Constitutionis S. Pii V. *Ad exequendum* 47.: Multoque minus, subditur, dictas Ecclesias, quas vix precibus contigit Episcopo committere selectis, & probis Capitularibus, ab illarum retentione cæteroquin alienis, providendas esse prævio concursu, ob tenuitatem illarum redituum, qui deductis oneribus longe impares sunt ad congruam Rectoris substentationem, ut suaderi contenditur ex Vice-Parochorum attestationibus, cum etiam veræ Parochiales, quæ sint inopes, concursus formam non requirant, ex præscripto Sac. Concil. Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. *in fin. de Reformat.*

Demum quæritur in IX. Dubio de participatione absentium pro servitio Monialium, quorum respectu censet Episcopus, tolerari posse moram earum Cappellani, si eodem munere fungendo in Ecclesia Monialium occupatus tardius accedat ad Cathedralem, inceptis jam Horis Canonicis, quemadmodum indulsit Summus Pontifex de voto hujus Sacræ Congregationis ob paupertatem Monialium non valen-

lentium Cappellano stipendium persolvere, in *Recanaten.* 20. *Novembris* 1600. *lib.9. Decret. pag.* 110.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

I. *An duo Canonici, qui Episcopo inserviunt, quique Choro non interveniunt, neque aliis functionibus Ecclesiasticis assistunt, possint, ac debeant non solum participare de Præbendis, verum etiam de quotidianis distributionibus eo modo, quo participant alii Canonici præsentes, & inservientes?*

II. *An si in Ecclesia Cathedrali non adsint Præbendæ, sed tota Massa Capitularis consistat in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars stat loco Præbendæ, & datur Canonicis præsentibus, ultra alias duas partes, quas habent cum Mansionariis communes, liceat in hoc casu duobus Canonicis servitio Episcopi addictis, participare de alia portione consistente in distributionibus quotidianis, non obstante, quod Choro, aliisque functionibus Ecclesiasticis non intersint?*

III. *An Episcopus ejus arbitrio possit assumere in sua servitio Canonicos, vel etiam Presbyteros Mansionarios?* & quatenus affirmative ad utramque partem.

IV. *An isti Presbyteri Mansionarii Episcopo servientes participare possint de Massa, deque quotidianis distributionibus, etiamsi Choro non interveniant, uti participant præsentes, & interessentes?*

V. *An quinque Ecclesiæ Civitatis Venusinæ, in quibus exercetur Cura Animarum, sint veræ Parochiales, seu potius Coadjutrices Cathedralis?*

VI. *An liceat Canonico Curam Parochialem exercere extra Ecclesiam Cathedralem, quæ neque actualiter, neque habitualiter ad Capitulum spectet?* & quatenus affirmative.

VII. *An talis Canonicus Curam præfatam exercendo frui possit Massa Capitulari, ac distributionibus quotidianis, sicut præsentes, & interessentes, non obstante, quod Choro non interveniant?*

VIII. *An supradictæ quinque Ecclesiæ sint omnes conferendæ in titulum prævio Concursu, vel tantum earum tres, videlicet SS. Cosmæ, & Damiani, S. Nicolai la Capuana, ac S. Petri, seu potius aliter quomodo sit providendum?*

IX. *An Canonicus, qui vel Procurator, vel Cappellanus, vel tandem Confessarius est Monialium stipendiatus, possit esse particeps Massæ Capitularis, ac quotidianarum distributionum tempore, quo præfatis officiis vacat, ac Choro, aliisque functionibus Ecclesiasticis non intervenit, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

POR-

Sess.24. cap.18. de Reform.

PORTUEN. PAROCHIALIS. In Concursu habito superiori mense Octobris ad Parochialem Ecclesiam Terræ Cerveteris Diœcesis Portuensis, cui præfuit Vicarius Generalis defuncti Eminentissimi Episcopi, suum nomen dedit Carolus Salvucci de Terra Bassani Sutrinæ Diœcesis, triginta quatuor annos natus, Sacerdos ab undecim annis, olim Cappellanus amovibilis S. Annæ in Ecclesia S. Philippi Terræ Bassani, simulque Coadjutor supranumerarius Ecclesiæ Parochialis ejusdem Loci a Barone nominatus, & ad hanc ipsam Cerveteris Parochialem commendatus a suo Ordinario, cujus testimonialibus Literis docuit suam morum probitatem, & christianæ pietatis exemplaritatem, obtentam anno 1752. approbationem in Concursu ad Rectoriam cum Animarum Cura in Collegiata Tulpharum Sutrinæ Diœcesis, & perfuncta laudabiliter munera Confessarii a novem annis, Ludimagistri octo mensibus in Seminario Sutrino, ac Theologi in resolutione Casuum moralium per id temporis in illa Cathedrali, Coadjutoris Curæ Animarum quinque annis in Terra Bassani Patria sua, atque Theologi ibidem quatuordecim annis, actuque exercitum officium Ludimagistri in Terra Treboniani ejusdem Sutrinæ Diœcesis.

Comparuit etiam Dominicus Calabresi, exhibens & ipse documenta suæ originis ex eadem Terra Cerveteris: completæ ætatis vigintiseptem annorum: inculpatæ probitatis commendatæ a Diœcesano, ab Eminentissimo Vicario, & a Parocho Domicilii in Urbe: desiderii, & acclamationis Populi, cum precibus defuncto Eminentissimo Episcopo porrectis, ut de vacanti Parochiali provideretur: & studii Linguæ Græcæ, & Latinæ, Philosophiæ, atque Theologiæ Moralis assiduo, ac vigili labore, & ingenii laude peracti pluribus annis in Seminario Vaticano, acceptarumque institutionum utriusque Juris. Instituto autem examine quoad scientiam, editisque per Concurrentes solutionibus Casuum Moralium, conciuncula super textu Evangelii, & expositione Concilii Tridentini, deventum fuit *ad secretum Scrutinium* (sunt illius verba) *super resolutionibus, concione, & explanatione respective prædictis, nec non super vita, moribus, prudentia, aliisque regendæ Ecclesiæ, ut supra, vacantis necessariis dotibus supradictorum Concurrentium, ac omnibus bene, accurateque perpensis per eosdem Dominos Examinatores Synodales &c., in primo loco approbatus fuit R.D. Dominicus Calabrese a Cerveteri: in secundo loco approbatus fuit R. D. Carolus Salvucci de Bassano Sutrinæ Diœcesis.*

Cum tamen præelectus fuerit Carolus Salvucci, secundo loco ut supra approbatus, qui & Parochialis possessionem nactus est, appellavit Dominicus Calabresi ad hanc Sacram Congregationem; & post auditum olim Eminentissimum Ordinarium, Causa nunc proponitur. Et disputat Dominicus

Calabresi, ratione solius ætatis, & antiquioris Sacerdotii absolute digniorem non esse judicandum Carolum Salvucci, ut firmat *Rota in decis.429.n.20.cor.Ansaldo*: & prærogativas gestorum munerum Ludimagistri, Expositoris Casuum moralium in ordinariis congregationibus, & collationibus, Confessarii, ac Coadjutoris supranumerarii in Parochiali Terræ Bassani, quæ magnis verbis ornantur in testimonialibus Episcopi Sutrini, vel tanti æstimandas non esse, ut æquari non valeant studio, quod ipse interea impendit in Seminario Vaticano, ut Ecclesiastica disciplina, Sacrisque Literis institueretur in utiliorem profectum assumendi deinceps Ecclesiastici ministerii, juxta mentem Sacri Concilii Tridentini *in sess. 23. cap. 18. de Reformat.*, vel solum potuisse Salvuccium dignum comprobare, non etiam digniorem, ut per *Textum in can. illud* 8. *quæst.*1. tradit *Rota in decis.*11. *num.*7. *coram Ludovis.*, quia dignioritas inquirenda est relative ad Ecclesiam, de cujus provisione agitur, & inspectis dotibus *ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis*, ut statuit Sacrum Concilium Tridentinum *in sess.*24.*cap.*18. *vers. Peracto de Reformat.*

Quamobrem arbitratur, præferri nulla ratione potuisse Salvuccium alienæ Diœcesis Presbyterum, quo ipse respectu Ecclesiæ Cerveteris dignior erat, tamquam indigena, acclamatus a Populo, & primo loco approbatus ab Examinatoribus, quoad scientiam, cæterasque animi dotes ad eandem Ecclesiam regendam opportunas; cùm tanta sit prærogativa originis, ut juncta cum simplici etiam idoneitate superet quascumque exterorum fulgentes prærogativas: *primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur*: inquit Cœlestinus Papa *in can. Nullus distinct.*61., & concordat *Textus in can. obitum eadem distinct.*, *& in can. Sacrorum dist.*63., *Pignatell.consult.canon.*118. *num.*3. *& 9. tom.*1., *Piton. discept. Ecclesiast.*109. *num.*18. *ad* 22., *& Rota decis.*269.*num.*5. *cor. Ansaldo*; potissimum concurrente Populi acclamatione, quia in seligendis Pastoribus ii semper præferendi sunt, qui Populi affectione potiuntur, ut innuit *Textus in can. nec emeritis distinct.*61., & firmant *Piton. d. disceptat.*109. *num.*24. *& seq.*, *& Rota in Luncn. Sarzanen. Parochialis* 14. *Januarii* 1707. *§. Et denique coram Omanna*, *& in Firmana Parochialis* 23. *Junii* 1752. *§. fin. cor. Emo Molino*. Nec obstare differit præsumptionem faventem Episcopi judicio, putans illam elidi ex recensitis probationibus suæ majoris idoneitatis, præsertim cum nonnihil detrahat eidem præsumptioni studium, quo Vicarius Generalis, juxta exhibitos Testes, lacerari jussit appellationem, & diù prohibuit actorum communicationem, ad notata per *Piton. d. disceptat.*109. *num.*11.

Salvuccius autem defendens judicium Episcopi, contendit, suam meritorum præponderantiam probari ex actis Concur-

cursus, quibus constat eum esse antiquiorem ætate, & Sacerdotio, & magis peritum pro Cura exercenda, ob alia munera laudabiliter gesta, juxta ea, quæ notant san. mem. Benedict. XIV. *in Instit. Ecclesiast. 7. num. 7.*, & *Rot. in dec. 429. num. 24. coram Ansaldo*. Nihilque autumat prodesse Calabresio aut originem, & Populi acclamationem, aut approbationem obtentam primo loco; quia oriundus extero præferendus est cæteris paribus, non autem si præcellant in extero meritorum prærogativæ, ut tradunt *Rigant. ad regul. 17. Cancell. num. 100.*, & *Rota in Valentina Beneficii 18. Februarii 1729. §. Extremum cor. Card. Aldrovando*: Populi vero dilectio etiam sui favore concurrit, juxta exhibitas post assumptum ibidem Animarum regimen plurium Civium, Vicarii Foranei, & Cappellani Curati declarationes: & judicium Examinatorum, ut inquit, nullius ponderis est, cum spectet ad Episcopum eligere digniorem, ut cavetur in Encyclica *Cum illud 68. §. 11. tom. primo* san. mem. Benedicti XIV.: Et etiamsi res dubia esset, subdit, retractandum non esse judicium Episcopi, cùm non constet de tanta meritorum, & prærogativarum inæqualitate, ut appareat ille manifestus, & inexcusabilis excessus, quem requiri firmat *Rota in dec. 429. num. 19. cor. Ansaldo.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

An constet de irrationabili judicio Episcopi, itaut Ecclesia Parochialis Cerveteris sit adjudicanda Dominico Calabresi, in casu &c.

Sess. 5. cap. 1., & sess. 23. cap. 13. de Reform.

NULLIUS CANUSII PARTICIPATIONIS. Ecclesia Canusii Deo dicata in honorem Sancti Sabini ejusdem Civitatis Episcopi, omnium Civium receptitia, præter numeratum Capitulum quatuor Dignitatibus, decemque Canonicis constans, Cœtum habet innumeratum Presbyterorum Participantium, a quorum consortio nequeunt excludi, quotquot Cives petant ad illud aggregari, & polleant qualitatibus requisitis a Statuto Capitulari, quod conditum fuit anno 1749., & Ordinarii auctoritate approbatum, itaut recursus detur ad Ordinarium, prout de jure in casu injustæ rejectionis.

Tenentur tamen post aggregationem Clerici gratis servire quatuor annis, & unò anno Subdiaconi: Diaconi verò biennium inserviunt, cum participatione unius tertiæ partis primo anno, & duarum secundo: ac Presbyteri primo anno carent eleemosynis Missarum, quæ inter Participantes distribuuntur, ultra manualem. Verum in servitium Clericatus, ad formam Statuti, imputatur tempus, quo Juvenes absentes causa studii commorantur in aliquo Seminario, vel publica Universitate, juxta Concilii Tridentini dispositio-

fitionem; Subdiaconi autem, & Diaconi perfonaliter fervire debent, præterquam in cafu malæ valetudinis, aut legitimi impedimenti, vel abfentiæ ad modicum tempus.

Vigore hujus Statuti renuit præteritis annis Capitulum in Albo Subdiaconorum defcribere Jofephum Senefe, aliofque Juvenes de licentia Ordinarii abfentes caufa ftudii, qui jampridem adfcripti erant confortio Ecclefiæ, illique diù præftiterant fervitium Clericatus; & lato per Ordinarium Decreto favore eorundem Subdiaconorum, Capitulum appellavit ad A.C., nec voluit interea ad fervitium, & participationem Presbyteralem eofdem admittere, poftquam promoti ad Sacerdotium in Patriam redierant. Omnis tamen controverfiæ notio a R. P. D. Auditore SANCTISSIMI data fuit huic Sacræ Congregationi; & Ordinarius de more auditus, putans rejectos Presbyteros omnibus pollere requifitis, ut admittantur ad participationem, excipit de illegalitate Statuti numquam fibi oftenfi, & de illius exorbitantia, cum adverfus illius decreta ipfi Capitulares bis reclamaverint in hac Sacra Congregatione annis 1754., & 1761.: Et nunc Caufæ propofitionem urgent rejecti Presbyteri.

Et primo differunt, Servitium Statutarium non pertinere ad titulum participationis, ad quam jus acquiritur per folam aggregationem, ut notat *Card. de Luca de Canonic. difc.* 22. *num.*5., fed referendum effe ad obfequium ab Ordinandis præftandum, per temporum intervalla, propriæ Ecclefiæ, ex præfcripto Sacri Concilii Tridentini *in feff.*23.*cap.*11.12. *&* 13. *de Reform.*, ideoque fuppleri per ftudium Sacrarum Litterarum, ut pro Clericis degentibus in Seminario, vel publicà Univerfitate, cavetur *in dicta feff.*23. *cap.*6. *&* 11., & pro Diaconis in Seminario, vel Convictu Ecclefiaftico commorantibus, juffu Epifcopi, fancivit fan. mem. Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit.*30. *cap.*2., cui adhæfit hæc Sacra Congregatio *in Setina* 1. *Decembris* 1731. *lib.* 81. *Decret. pag.*504.. Et Statutum ipfum, ut inquiunt Oratores, nedum Clericis exprefsè hoc indulget, fed etiam tacitè Diaconis, & Subdiaconis, eos eximens ab onere perfonalis Servitii in cafu legitimi impedimenti, cùm legitimum impedimentum præftet abfentia caufa ftudii, deficiente in Civitate Canufina Seminario, vel Schola Cantus, & Literarum Ecclefiafticarum, quibus incumbere debent Participantes, ex præfcripto Statuti, ut idonei fiant Curæ Animarum Capitulo imminenti.

Præterea defendunt, eandem ad hunc effectum habendam effe rationem de Ecclefiis receptitiis, ac de Cathedralibus, vel Collegiatis, quarum Canonici pro infervientibus habentur, dum Sacras Literas docent, vel addifcunt, *non obftante aliqua contraria confuetudine, vel Statuto, cùm denario fraudari non debeant in Vinea Domini operantes*, ut inquit

Textus in cap. fin. de Magistr., & innuit Sacrum Concilium Tridentinum *in sess. 5. cap. 1. in fin. de Reformat.* : Idcircò in Ecclesiis etiam receptitiis tempus moræ in Seminario, pro Sacris Literis addiscendis, computandum esse in præstitutis annis Servitii, ut ex mente hujus Sacræ Congregationis tradit *Garz. de Benefic. part. 11. cap. 5. num. 168.*, illarumque Participantes frui posse indulto abessendi causa studii, ut censuit hæc Sacra Congregatio in *Aquinaten. Participationis 14. Junii 1704. lib. 54. Decret. pag. 204.* : Et ad hunc effectum sufficere licentiam Ordinarii, per *Textus in cap. relatum 4. de Cleric. non resident.*, *& in cap. cum ex eo de elect. in 6.*, tradit *Card. Petra ad Constitut. 9. Bonifacii VIII. num. 13.*, *& ad Constitut. 10. num. 7. & 9. tom. 3. pag. 544. & 553.*

Secundo disputant Oratores, quod cùm ipsi fuerint ad Sacerdotium promoti pro necessitate Ecclesiæ Canusinæ, præviis attestationibus illius Capitularium, vel Dignitatum eandem necessitatem deponentium, ad effectum assequendì admissionem ad perceptionem emolumentorum Ecclesiæ teneantur post reditum Servitia solum explere in Ordine Presbyterali, ut satisfaciant necessitati, pro qua ordinati fuerunt; cùm Sacrum Concilium Tridentinum in *sess. 23. cap. 16.* statuat, *ut nullus imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut Piò loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungebatur muneribus.*

Et quatenus etiam supplere deberent vices Subdiaconi, & Diaconi in ministerio Altaris, ut etiam tenentur reliqui Presbyteri participantes; censent nihilominus, fraudandos non esse integra participatione Presbyterali, post annos carentiæ consumptos in Studiis Literarum, ut censuit hæc Sacra Congregatio in *Ostunen. admissionis ad participationem 18. Maii 1743. lib. 93. Decret. pag. 231.* : Eoque magis in casu sine ulla hæsitatione in Servitium Diaconatus, & Subdiaconatus computandum esse tempus effluxum post eorum reditum in Patriam, cum ipsi opportune institerint in Capitulo pro admissione ad Servitium, licet eos illiberaliter Capitulares rejecerint, non obstante Decreto provisionali lato die 22. Novembris superioris anni pro illorum admissione, & propterea a die rejectionis se perinde habendos esse putant, ac si inserviissent, etiam ad effectum lucrandi participationem, ut definivit hæc Sac. Congregatio in *Nuscana admissionis ad Consortium 17. Novembris 1753. ad I. & II. Dub. lib. 103. Decret. pag. 445.*

Disseritur etiam de idoneitatis experimento præmittendo ante admissionem ad Servitium in Divinis. Cùm enim in Statuto caveatur, quod respectu Subdiaconi debeat Capitulum *far seguire la prova del Canto Gregoriano*, illumque ad Servitium sui Ordinis admittere, *concorrendo nell' Oratore &c., che sia perito nel Canto Gregoriana, ed istrutto nella Mo-*

Morale: quodque Diaconi admiſſio fiat, *precedente rigoroſo eſame circa la perizia del Canto Gregoriano, ſe ſi troverà in quello ben verſato, e perfezionato*; Dubium idcircò diſputatum eſt in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium = *An examen pro admittendis ad Servitium Eccleſiæ debeat expleri ab Ordinario, ſive potius a Capitulo?* = Et die ſexta Maii proxime præteriti, Ponente Eminentiſſimo D. Cardinali Lante, reſponſum fuit = *Negativè ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam, ad formam Conſtitutionum* = . Nunc autem quæritur, quæ atteſtationes ſint Capitulo exhibendæ ab iis, qui extra Patriam promoti fuerant ad Sacerdotium; & autumant Oratores, circa peritiam in Cantu Gregoriano exhibendas eſſe ſolas atteſtationes tempore ordinationis approbatas ab Ordinariis Locorum, ubi morantur cauſa ſtudii: circa Theologiam vero, nullas eſſe exhibendas atteſtationes, cùm hujuſmodi Presbyteri Participantes hortandi, non autem cogendi ſint ad illius ſtudium, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio in *Caſſanen.* 13.*Decemb.*1736. *ad I.Dubium lib.*86.*Decret. pag.*457., & 30.*Martii* 1737.*lib.*87. *Decret. pag.*90.: nec hujus facultatis peritiam requiri aſſeritur ob incumbentem Capitularibus Curæ Animarum exercitium, ex quo hæc non ab omnibus, ſed a duobus tantum a Capitulo eligendis, & per Ordinarium approbandis adminiſtratur.

Demum contendunt, Presbyteris Participantibus primo anno ſubtrahendam non eſſe partem eleemoſynæ Miſſarum, ad formam Statuti, quo eis injungitur = *portare il peſo di celebrare le Meſſe, come tutti gli altri Partecipanti, ſecondo l'aſſegnamento ſi farà, e giro dell'Eddomade, e Tabella, ed in fine dell'anno lucrarà la limoſina manuale di un carlino per cadauna Meſſa &c., ed il di più oltre la limoſina manuale importeranno le Meſſe celebrate in detto anno gratis, debba reſtare per uſo della Sagreſtia, e per impiegarſi nelle Sagre Suppellettili più biſognevoli* = Autumant enim præfatam ſubtractionem eleemoſynæ contrariam eſſe Decretis generalibus hujus Sacræ Congregationis *de celebratione Miſſarum* §. 4. relatis in *Conſtitutione* 155. *ſan.mem. Innocentii XII. in Bullar. tom*9., quia Sacrorum Suppellectilium expenſæ ſubeundæ ſunt a Capitulo, in cujus propterea levamen Celebrans parte eleemoſynæ privari non debet, & multo minus onus celebrandi gratis Miſſas cogitur ſubſtinere, ut reſcripſit hæc Sac.Congregatio in *Matheranen. participationis* 24.*Septembris* 1735. *ad I.Dubium lib.*85.*Decret. pag.*387., & 14.*Maii* 1737. *lib.*87.*Decret. pag.*449.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An Eccleſiaſticis ordinandis, & in aliquo Seminario, aut Convictu Eccleſiaſtico, aut in publica aliqua Univerſitate degentibus bonificari debeat Servitium Subdiaconatus, & Diaconatus*

tus perinde ac si essent præsentes, & inservirent Ecclesiæ receptitiæ S. Sabini?

II. *An, & quæ Servitia ad effectum participandi teneantur explere iidem Ecclesiastici post Sacerdotium regressi ad Ecclesiam Canusinam?*

III. *An Josepho Senese, Michaeli Rossi, & Nicolao Morra bonificari debeat Servitium post reditum ad eandem Ecclesiam Canusinam?*

IV. *An, & quas attestationes super peritia in Cantu Gregoriano exhibere debeant Capitulo prædicti admittendi ad Servitium in Divinis in Ecclesia Canusina; & quid quoad attestationes super peritia in Theologia Morali?*

V. *An Presbyteris, qui noviter ad participationem admittuntur, in primo admissionis anno debeatur integrè eleemosyna Missarum perpetuarum, seu potius aliqua illius pars retineri possit a Capitulo, in casu &c.*

Die Sabbathi 30. Julii 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causæ, quæ sequuntur, indecisæ remanserunt in postrema Congregatione habita die 25. præteriti mensis Junii. Rogantur itaque Emi PP. Folium dictæ Congregationis reassùmere, & illas sapienti, ut solent, judicio definire.

VENUSINA.

Sess.7. cap.7. sess.21. cap.5. & sess.24. cap.12. 13. & 18. de Reform.

I. *An duo Canonici, qui Episcopo inserviant, quique Choro non interveniunt, neque aliis Functionibus Ecclesiasticis assistunt, possint, ac debeant non solum participare de Præbendis, verum etiam de quotidianis distributionibus eo modo, quo participant alii Canonici præsentes, & inservientes?*

II. *An si in Ecclesia Cathedrali non adsint Præbendæ, sed tota Massa Capitularis consistat in distributionibus quotidianis, quarum tertia pars stat loco Præbendæ, & datur Canonicis præsentibus, ultra alias duas partes, quas habent cum Mansionariis communes, liceat in hoc casu duobus Canonicis servitio Episcopi addictis, participare de alia portione consistente in distributionibus quotidianis, non obstante, quod Choro, aliisque Functionibus Ecclesiasticis non intersint.*

III. *An Episcopus ejus arbitrio possit assumere in suo servitio Canonicos, vel etiam Presbyteros Mansionarios?* & quatenus affirmative ad utramque partem.

IV. *An isti Presbyteri Mansionarii Episcopo servientes participare possint de Massa, deque quotidianis distributionibus, etiamsi Choro non interveniant, uti participant præsentes, & interessentes.*

V. *An quinque Ecclesiæ Civitatis Venusinæ, in quibus exercetur Cura Animarum, sint veræ Parochiales, seu potius Coadjutrices Cathedralis?*

VI. *An liceat Canonico Curam Parochialem exercere extra Ecclesiam Cathedralem, quæ neque actualiter, neque habitualiter ad Capitulum spectet?* & quatenus affirmative.

VII. *An*

VII. *An talis Canonicus Curam præfatam exercendo frui possit Massa Capitulari, ac distributionibus quotidianis, sicut præsentes, & interessentes, non obstante, quod Choro non interveniant?*

VIII. *An supradictæ quinque Ecclesiæ sint omnes conferendæ in titulum prævio Concursu, vel tantum earum tres, videlicet SS. Cosmæ, & Damiani, S. Nicolai la Capuana, ac S. Petri, seu potius aliter quomodo sit providendum?*

IX. *An Canonicus, qui vel Procurator, vel Cappellanus, vel tandem Confessarius est Monialium stipendiatus, possit esse particeps Massæ Capitularis, ac quotidianarum distributionum tempore, quo præfatis Officiis vacat, ac Choro, aliisque Functionibus Ecclesiasticis non intervenit, in casu &c.*

Ad I. Negative quoad distributiones quotidianas. Ad II. Negative quoad tertiam partem, quæ stare debet loco distributionum. Ad III. Affirmative. Ad IV. Provisum in primo, & secundo. Ad V. Quoad Ecclesias SS. Cosmæ, & Damiani, & S. Nicolai, & S. Petri Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam: in reliquis Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam. Ad VI. Negative, & amplius. Ad VII. Provisum in VI.. Ad VIII. Affirmative quoad tres Ecclesias supradictas. Ad IX. Negative quoad distributiones, & amplius.

Sess.24. cap.18. de Reform.

PORTUEN. PAROCHIALIS.

An constet de irrationabili judicio Episcopi, itaut Ecclesia Parochialis Cerveteris sit adjudicanda Dominico Calabresi, in casu &c.

Negative in omnibus, & amplius, & ad Eminentissimum Præfectum ad Mentem.

Sess.5. cap.1. & sess. 23. cap. 13. de Reform.

NULLIUS CANUSII PARTICIPATIONIS.

I. *An Ecclesiasticis ordinandis, & in aliquo Seminario, aut Convictu Ecclesiastico, aut in publica aliqua Universitate degentibus bonificari debeat Servitium Subdiaconatus, & Diaconatus perinde ac si essent præsentes, & inservirent Ecclesiæ receptitiæ S. Sabini?*

II. *An,*

II. *An, & quæ Servitia ad effectum participandi teneantur explere iidem Ecclesiastici post Sacerdotium regressi ad Ecclesiam Canusinam?*

III. *An Josepho Senese, Michaeli Rossi, & Nicolao Morra bonificari debeat Servitium post reditum ad eandem Ecclesiam Canusinam?*

IV. *An, & quas attestationes super peritia in Cantu Gregoriano exhibere debeant Capitulo prædicti admittendi ad Servitium in Divinis in Ecclesia Canusina: & quid quoad attestationes super peritia in Theologia Morali?*

V. *An Presbyteris, qui noviter ad participationem admittuntur, in primo admissionis anno debeatur integrè eleemosyna Missarum perpetuarum, seu potius aliqua illius pars retineri possit a Capitulo, in casu &c.*

Dilata.

ANDRIEN. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 23. Aprilis proxime præteriti, & duobus illius Dubiis, quæ erant, I. *An Ecclesiæ Cathedralis unicæ in Civitate, & Territorio Andriæ Parochialis, Parochus sit Episcopus, & ad quos effectus, seu potius Capitulum ejusdem Cathedralis?* II. *An sit approbanda divisio?* Eminentissimi Patres responderunt = *Ad* I. *Affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, negative ad secundam*. *Ad* II. *Dilata, & divisionem esse faciendam ab Eminentissimo Præfecto* =. Cum tamen novam audientiam impetraverit Capitulum Cathedralis quoad primum Dubium, urget nunc Promotor Fiscalis, ut ab EE. VV. definiatur.

Sess.24. cap.13. de Reform.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Nihil de compulsoria; in reliquis Dilata.

ASCULANA PAROCHIALIS. Sacerdos Franciscus Alfonsi præsentatus ad vacantem Parochialem Ecclesiam Castri Ripæ-Berardæ Asculanæ Diœcesis, cujus Patronatus ad Loci Communitatem spectat, fuit ad examen admissus die 13. præteriti Mensis Octobris, & ab uno tantum Examinatore approbatus, fuit a duobus reprobatus. Provocavit itaque ad hanc Sacram Congregationem; & Episcopus de more auditus retulit, Oratorem minus idoneum sibi videri quoad scientiam, & quoad mores.

Sess.24. cap.18. de Reform.

Orator autem, quoad scientiam, contendit, vel reprobationem non meruisse suas responsiones propositis quæstionibus

bus Casuum moralium, quas impressas exhibet in Summario circumferendo, correctis tamen nonnullis erroribus grammaticalibus: vel examen renovandum esse coram Examinatoribus designandis ab EE. PP., cum ipse privari non debeat jure quæsito ex præsentatione, nisi de imperitia constet ex repetitis experimentis, quasi per rem judicatam, ut censuit hæc Sacra Congregatio *in Castri maris Parochialis 26. Aprilis* 1749., in qua disputato Dubio = *An Sacerdos Antonius Verdoliva præsentatus ad Parochialem S. Eustachii Castri Maris de Jurepatronatus illius Familiæ, & Firpi, sit admittendus ad novum examen coram Examinatoribus a Sacra Congregatione deputandis?* Responsum fuit = *Affirmative coram Examinatoribus ab Eminentissimo Urbis Vicario deputandis* =, ut *in lib.99. Decret. pag.*158.

Et quoad mores, illorum defendit honestatem testimonio fere totius Populi Ripæ-Berardæ, & OEconomi illius Ecclesiæ Parochialis, atque Parochi Rosariæ, ac testium aliorum Locorum, in quibus moratus est; differens præterea, suspicionem erutam ex conquestionibus defuncti Parochi, & extrajudicialibus notitiis, ab Episcopo in sua relatione enunciatam, haud esse attendendam, imo suam probitatem comprobari ex facto ipsius Episcopi, a quo fuit admissus ad examen, & ex Promotoris Fiscalis contumacia, cum dudum citatus in Causa nullas adduxerit assertorum criminum probationes, juxta notata per *Piton. Discept. Eccles.* 21. *num.*7., *& seq.*

Verum, cum agatur de jurepatronatus laicali, in quo licitum est Patrono variare ante institutionem, *Cap. Quod autem* 5., *Cap. Cum autem* 24., *& Cap. Pastoralis* 29. *de Jurepatron.*, *Fargna eod. tit par.*2. *can.*9. 10., *&* 11. *cas.*1. *num.*1., notandum est, quod Communitas in precibus nuper oblatis narrat, quod attenta reprobatione Oratoris, *da detta Communità fù nuovamente venuto a nuova elezzione, anche di due altri Soggetti, in caso non si trovasse capace il secondo eletto*, & suplicat, *che sia esaminato il secondo eletto, e non essendo approvato si esamini il terzo: o almeno quando volessero far grazia al sudetto già riprovato commandino sia risentito formalmente.*

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An constet de mala relatione Examinatorum, itaut Ecclesia Parochialis S. Ægidii Castri Ripæ-Berardæ sit adjudicanda Sacerdoti Francisco Alfonsi?* & quatenus negative.

II. *An prædictus Alfonsi sit subjiciendus novo examini faciendo in Urbe, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative.

MON-

MONTIS ALTI APPLICATIONIS MISSARUM. Ecclesia Parochialis S. Luciæ, quæ est in Terra Porculæ Montis Alti Diœcesis, ineunte Sæculo XVI. duos habebat Rectores, Cappellanos etiam nuncupatos, quorum nominatio ad Communitatem spectabat, & singuli curam Animarum exercebant *pro medietate*. Anno autem 1564., unitæ illi fuerunt auctoritate Ordinaria Rurales Ecclesiæ S. Joannis, S. Petri, S. Mariæ de Fora, & S. Mariæ Capo de Valle: ac post unionem anno 1572. conferri cœpit, ad nominationem pariter Communitatis, *Clericatus, seu tertii Rectoris locus* in dicta Ecclesia S. Luciæ, *cum assignatione Ruralium, & simplicium Ecclesiarum SS. Petri, Joannis, & Mariæ de Fora fructuum; præfatæ S. Luciæ perpetuo unitarum*: enunciaturque in provisione alterius Portionis Curatæ facta anno 1590., quod dicta Ecclesia S. Luciæ *per duos Rectores, & tertium Clericum regi, & administrari consuevit*.

Sess. 23. cap. 1. de Ref.

Et anno 1608. san. mem. Paulus V. suis Literis Apostolicis confirmavit concordiam initam inter Communitatem Porculæ, & Rectorem Ruralium Ecclesiarum S. Mariæ de Ossibus, & S. Benedicti, qua prædictæ Ecclesiæ declarantur Curatæ, decrevitque, *quod occurrente vacatione dd. Ecclesiarum S. Mariæ, & S. Benedicti, prævio concursu juxta formam Concilii Tridentini, & separatim provideri debeant*, quodque illarum Rectores tenerentur Curam Animarum exercere, *prout antea, una cum aliis dictæ Ecclesiæ S. Luciæ Rectoribus, & Parochis*. Quinque igitur Rectores postea numerati fuerunt in Ecclesia S. Luciæ; Sed Episcopus Montis Alti anno 1643., ad evitandam confusionem promiscui exercitii Curæ, ut cavetur in Sacro Concilio Tridentino *sess.24. cap.13. de Reformat.*, Oppidum, & Territorium divisit in quinque Parochias, singulisque Rectoribus assignavit suos distinctos limites, cum onere administrandi Sacramenta suis tantum Parochianis, & separatos libros Parochiales retinendi, nihil de cætero innovando, quoad reliquas functiones explendas in Ecclesia S. Luciæ. Et in provisionibus tum Apostolicis, tum factis ab Ordinario post annum 1720., Rectores prædicti appellantur Portionarii Curati.

Cum vero Antecessor Episcopus Montis Alti anno 1757. decrevisset, ut singuli Rectores prædicti, qui modo quatuor sunt, ob suppressionem alterius Portionis factam ab Episcopo Savino, Missam pro Populo celebrare, & applicare tenerentur omnibus diebus festis, ad formam notissimæ Encyclicæ san. mem. Benedicti XIV.; onus hujusmodi excutere cupientes Rectores, hanc Sacram Congregationem adiverunt, pluribusque exhibitis documentis, ex quibus præmissam facti seriem collegimus, differebant, ipsos uti Portionarios Curatos unum constituere formalem Ecclesiæ Rectorem, unamque propterea teneri Missam pro Populo

 appli-

applicare per turnum: attenta præsertim tenuitate redituum singularum Portionum.

Auditus fuit præfatus Episcopus, & etiam ille, qui nunc præest Ecclesiæ Montis Alti, qui in transmissis relationibus decretum defendunt triplici ratione. Primò, quia Oratores non Portionarii sint, ut enunciatur in recentissimis provisionibus sequutis post annum 1720., sed veri Rectores aliarum Parochialium, quarum cura translata est ad Ecclesiam S. Luciæ, seu verius pro commoditate Populi in ea exercetur, ut colligitur ex actis visitationis Ecclesiæ S. Mariæ de Ossibus peractæ anno 1645., in quibus enunciatur = *Hæc Ecclesia erat Parochialis, sed translata fuit Cura intus Terram in Ecclesia S. Luciæ cum aliis* =, & innuunt quoad prædictam Ecclesiam, & alteram S. Benedicti Literæ Apostolicæ san. mem. Pauli V. superius enunciatæ: Secundo, quia singuli Rectores distinctas habent Parochias, certumque Populum suæ curæ concreditum, juxta divisionem Parochiarum factam anno 1643., quæ adhuc observatur; & ideò, cum veri Parochi sint, sive originariè, sive ob sequutam divisionem, Missam singuli celebrare teneantur pro Populo sibi commisso, juxta declarationem san. mem. Benedicti XIV., qui in Encyclica *Cum semper* relata inter eius Constitutiones 103. §.4. *tom.* 1. inquit = *Mens Nostra, & Sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & singuli, qui actu Animarum curam exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii Seculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, & singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica, & individua mentione digni, æque teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso* =: Tertio tandem quia onus applicandi Missam pro Populo diebus Dominicis, singuli fassi sunt sibi imminere in inventariis Episcopo exhibitis, tum anno 1712., tum anno 1749., & propterea idem onus evitare nequeant aliis etiam festis diebus, postquam in præfata Encyclica Benedictina declaratum fuit, non solum Dominicis, sed omnibus festis diebus applicandam esse Missam Parochialem pro Populo, non obstante quacumque redituum tenuitate, ut ibidem legitur §.5. & 6.

Oratores autem innixi enunciativis vacationis Ecclesiæ S. Luciæ, & Curæ Animarum eidem inhærentis = *pro medietate* = *pro parte &c.* = quæ leguntur in provisionibus factis annis 1514. 1549. 1573. 1590. 1720. 1722. 1732., ac prætensæ qualitati beneficiorum simplicium eidem Ecclesiæ S. Luciæ unitorum, ac redituum tenuitati, in circumferendo libello contendunt, unam semper fuisse in Terra Porculæ Ecclesiam Parochialem, ut etiam testatur Loci Magistratus, ipsosque Curam Animarum in illa exercentes, Portionarios de jure, non veros Rectores dicendos esse, etiamsi vera

esset

esset unio aliarum Parochialium, & non obstante etiam divisione Parochiarum facta pro commodo exercitii Curæ, cum plures unius Ecclesiæ Rectores simul dari nequeant, ad tradita per *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 110. *&* 144. *& Rot. decis.* 225. *num.* 4. *par.* 19. *Recent.*, ideoque simul omnes teneri unicam Missam pro Populo alternatim applicare, sive per turnum, ut in similibus terminis plurium exercentium Curam Animarum definivit hæc Sacra Congregatio *in Ripana jurium Parochialium die* 4. *Maii* 1726. approbando decreta Cardinalis Petra, in quorum IV. cavebatur = *Missam vero Parochialem teneantur alternatim celebrare, & applicare* =, ut in *lib.* 76. *decr. pag.* 254., quæ rursus fuerunt confirmata *die* 20. *Novembris superioris anni*, & idem censuit etiam in terminis aliarum Parochialium unitarum *in Romana jurium Parochialium* 29. *Augusti* 1744. *ad V. Dub.*, rescribendo = *Eadem alternativa locum habeat in applicatione Missæ pro Populo* = *lib.* 94. *decr. pag.* 444., & in *Nuscana* 17. *Januarii* 1756., in qua proposito Dubio = *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ del Piano Oppidi Montellæ Nuscanæ Diœcesis teneantur unam tantum Missam pro Populo diebus Festis celebrare, seu potiùs tot Missas, quot sunt Parochiales Ecclesiæ illi unitæ?* responsum fuit = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* = *ut in lib.* 106. *Decr. pag.* 4., in qua tamen Causa contendebat Capitulum, uniones fuisse subjectivas, & extinctivas tituli antiquarum Parochialium, nec Parochiæ erant distinctæ.

Erit itaque definiendam ab EE. VV.

An Missa Parochialis in diebus Festis applicanda pro Populo veniat celebranda a singulis Rectoribus Ecclesiæ S. Luciæ Terræ Porculæ, seù potiùs alternatim ab Hebdomadario, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

LEOPOLIEN.. Ut primùm ad Ecclesiam Leopoliensem evectus fuit hodiernus vigilantissimus Archiepiscopus, pro suo, quo pollet, zelo, de quo testimonium perhibent Serenissimus Poloniæ Rex, & Reverendissimus Regni Primas, ac Reverendissimus P. D. Patriarcha Hierosolymitanus illius Ecclesiæ Canonicus, deliberavit formam, & decorem restituere Ecclesiæ Cathedrali, removendo ea, quæ illam deturpabant; obsistente tamen Magistratu Civitatis, controversia delata est ad hanc Sacram Congregationem, in qua modò proponitur Causa sex collecta capitibus.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Refor.*, *& sess.* 25. *Decret. de invoc. & vener. & Sac. Imag.*

Primum, & secundùm pertinent ad Cappellam, quam vocant Domagalicianam, quæ anno 1643. fundata, & erecta fuit auctoritate Ordinaria, a Catharina Vvolfovviczovvna, & Joanne Domagalic ejus Filio, in Cœmeterio Ecclesiæ.

Eadem Cappella celebris redditur copiosis Sacrificiis , & frequenti concursu Populi , ob devotionem erga Imaginem Deiparæ Virginis in ea servatam;sed adeo angusta est, ut vix triginta capiat Personas , & reliquæ Sacris Officiis assistunt sub cœlo aperto, cum nimia irreverentia : Fenestris insuper caret,lumen Celebranti ministrantibus Candelis inAltari ardentibus,& foribus ab utraque parte Cœmeterii patentibus: Et cùm per easdem fores omnibus pateat transitus diù , noctuque , distractionibus obnoxii sunt Celebrantes , & Populus , atque plura eveniunt scandala nocturno tempore . His ergo malis , ut occurrat Archiepiscopus , Cappellam prædictam supprimere meditatur , & Imaginem Deiparæ , cum fundationibus Missarum , totaque Suppellectili transferre ad aliud Altare intus Ecclesiam Cathedralem ; quod censet minime prohibendum esse , òb contradictionem Magistratus Civitatis , sive quia sui favore non probat devolutum fuisse Juspatronatus reservatum Familiæ Domagalic , sive quia sese opponere nequiret , etiamsi Juspatronatus haberet Cappellæ , cùm valeant Episcopi ex justa causa decentioris cultus pias Imagines transferre , invitis etiam Patronis , ut ex mente Sacri Concilii Tridentini *sess.25. Decret. de invocat. & venerat. & Sacr. Imag.* tradunt *Panimoll. decis.11. num.17.* , *& Rota in Romana translationis Imaginis 25 Junii* 1742. *§. 6. coram clar. mem. Card. Calcagnino* .

Agitur in quatuor aliis Dubiis de reliquis Altaribus , & impedimentis,quæ Ecclesiam deformant . Duo præ cæteris erant Altaria in Choro Presbyterii sita , rudioris structuræ , & nullum decorem Ecclesiæ reddentia , quorum unum Sedi Archiepiscopali ita imminebat , ut nec Populus eam intueri posset , nec functiones Pontificales commode fieri valerent : alterum verò ex opposito assurgens functionibus pariter Prælatorum , & Canonicorum impedimento erat ; utrumque autem demoliri jussit Archiepiscopus , ut latiorem sterneret situm Sacris peragendis Functionibus opportunum , & suam Cathedram conspicuam redderet , juxta monitum S. Caroli Borromæi *in Concilio Provinciali 3.cap.quæ pertinent ad ornatum, & cultum Ecclesiasticum* . Tot prætere Altaribus , & Arulis , Scamnis , & Scriniis repleta est Ecclesia Cathedralis , ut nullus fere detur locus collocandis sedibus ad excipiendas Sacramentales Confessiones destinatis , neque locus supersit peragendis Canonicalibus , & Parochialibus functionibus , ducendisque consuetis supplicationibus : & extra eam in Cœmeterio minutissimæ adsunt Cappellæ , seu Oratoria, ita ventorum , pluviarum, & tempestatum injuriis exposita , ut Populus stando sub cœlo aperto ibidem Missas audire cogatur , & Celebrans in continuo versetur periculo , ne tempestates , & ventus præripiant Sacram Hostiam . Contendit itaque Archiepiscopus

ſcopus, nedum ſibi licuiſſe præfata duo Altaria in Choro Presbyterii ſupprimere, præſertim cum eſſent ſuperimpoſita Defunctorum tumulis, contra cenſuram *Textus in can. Præcipiendum* 13. *quæſt.*2., de qua *Pignatell. conſult.canonic.*32. *num.*1. *&* 2. *tom.*4., *& Monacell. formul. legal. tom* 3. *tit.*3. *formul.*6. *num.*10.; ſed etiam poſſe alia decori Eccleſiæ officientia demolire, translatis oneribus ad Altaria ſuperextantia, atque Scamna, & Scrinia removere, cum ipſe uti Sponſus Eccleſiæ Cathedralis, plenam habeat illius adminiſtrationem, & curare debeat illius decorem, ad tradita per *Card. de Luca in annotat. ad Concil. diſcurſ.* 17. *num.primo*: nec obicem oriri cenſet ex Miſſarum fundationibus Juriſpatronatus Laicorum, quæ ſunt in Altaribus demoliendis, quoniam a Jurepatronatus Cappellaniarum inferri non licet ad Juſpatronatus Cappellarum, ut dixit *Rota in deciſ.*115. *num.* 13. *coram Criſpo*; ſed Cappellæ ſemper præſumuntur liberæ, & de dominio illius Eccleſiæ, intra cujus ambitum reperiuntur ædificatæ, ad tradita per *Rotam in deciſ.*1037. *num. primo coram* Molines; & ſubdit, nullam habendam eſſe rationem uſus longævi, & anteceſſorum Epiſcoporum tolerantiæ, quia conſuetudo officiens decori Eccleſiæ debet auctoritate publica corrigi, aut aboleri.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire

I. *An liceat Archiepiſcopo ſupprimere Cappellam Cæmeterii nuncupatam Domagalicianam, & transferre Imaginem Deiparæ Virginis ab eadem Cappella ad unum ex Altaribus Eccleſiæ Cathedralis Leopolien.?* & quatenus affirmative.

II. *Ad quod Altare Cathedralis ſit facienda eadem translatio?*

III. *An, & quomodo ſint reducenda in priſtinum duo Altaria Eccleſiæ Cathedralis ex arbitrio Archiepiſcopi demolita, ac ſuppreſſa?* & quatenus negative.

IV. *An, & ad quæ Altaria ſint transferendæ obligationes, & reſpective fundationes in iiſdem demolitis Altaribus exiſtentes?*

V. *An, & quomodo liceat Archiepiſcopo in Eccleſia Cathedrali, ejuſque ambitu ſupprimere Altaria, & transferre fundationes, Miſſas, aliaſque ſacras functiones iiſdem Altaribus addictas, & reſpective celebrari ſolitas?*

VI. *An liceat Archiepiſcopo moderari Scamna, & removere Arcas, Scrinia, & Aſſervatoria, quæ reperiuntur in Eccleſia Cathedrali?*

RA-

Sess.22. cap.6. de Reform.

RAGUSINA. Hæc Causa, cujus species descripta est in Folio Congregationis habitæ die 11. Septembris superioris anni, proposita fuit in Congregatione habita die 25.ejusdem mensis; & Dubio, quod erat = *An, & quomodo sit annuendum precibus Puellarum de Bonis super petito augumento legati?* Eminentissimi Patres responderunt = *Esse assignandum Oratricibus usumfructum dimidiæ Hæreditatis Joannis, cum reversione cujuslibet portionis post mortem favore Seminarii, computato legato Matthæi, & dummodo acquiescant* = . Impetrata verò nova audientia, Epitropi, seu Exequutores Testamentarii quondam Matthæi Stephani Clasci exhibent folium, quod vocant Testamentum Joannis Clasci, ut ostendant, nihil in eo fuisse expresse relictum Sororibus de Bona; & quoad illius voluntatem oretenus commissam fidei Matthæi Stephani Hæredis, juxta Chirographum ejusdem Matthæi enunciatum in antecedenti Folio, contendunt, illam esse intelligendam de sola quantitate in ipsius Matthæi Testamento relicta dictis Sororibus, nisi contrarium concludenter probetur, ad tradita per *Rotam in decis.692. num.11. part.18. Recent.*; nec autumant indulgendum esse ex gratia, quod de jure non debetur, cum potior debeat esse Causa publicæ utilitatis Seminarii erigendi, quo maxime indiget Dioecesis Ragusina carens idoneis Presbyteris pro Cura Animarum necessariis, quàm privatum commodum Sororum de Bona, quæ aliis subsidiis omnino destitutæ non sunt. Et quatenus EE. VV. placeat magis hærere indultæ gratiæ, supplicant eam circumscribi *ad usumfructum a die lati rescripti consequendum tantum ex dimidia Hæreditate a Joanne tempore ejus obitus relicta, demptis priùs oneribus ab eodem demandatis, juxta sensum editæ Resolutionis*.

Erit itaque definiendum ab EE.VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess.24. cap.18. de Reform.

CAPUTAQUEN. PAROCHIALIS. In Concursu habito die 11.Januarii 1762.ad Parochialem Ecclesiam Sancti Nicolai Latinorum Terræ Pollæ, quæ vacaverat in Curia ob promotionem Possessoris ad Cathedram Policastrensem,ex quatuor Oppositoribus tres approbati fuerunt quoad mores, reprobati autem quoad doctrinam: quartus verò Januarius Auria *inter omnes quoad scientiam prævaluit* (sunt verba relationis Examinatorum) *quo verò ad morum adprobatio-*

tionem, Examinatores Pro-Synodales votum ad ejus favorem non ausi sunt proferre, attenta notula, juxta morem, eisdem tradita, ex qua apparet, de anno 1735. eundem D. Januarium Auria fuisse processatum, & carceratum ab Episcopo Caputaquen. Antecessore immediato, pro abusu Sacramentalis Confessionis, qua mediante Annam Boccolo Uxorem D. Joannis Baptistæ Colombo induxit ad furandum e Domo ejusdem Joannis Baptistæ multa mobilia aurea, & argentea, necnon magnas pecuniarum summas, dum munus exercebat Concionatoris, & Missionarii in Terra Coliani Compsanæ Diœcesis, quo furto sequuto sibi appropriavit res furatas ab eadem Muliere, prout ex actis, quorum reassumptum fuit factum de actis præsentis Concursus, qua de re affatus Don Januarius fuit condemnatus, ut Carcer passus cedat in pœnam, & ad tempus suspensus ab exercitio Concionatoris &c., cum restitutione bonorum, & pecuniarum: Contra quem eodem anno alter Processus fuit constructus de, & super violenta manuum injectione in Personam Clerici Athanasii Curcio, & de violatione immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, nec non de depositione in Causa Criminali coram Judice Laico, sine licentia Superioris, cum condemnatione inde sequuta, prout ex actis; quamobrem, licet postea per longum tempus nihil contra eundem reperiatur deductum, agitur tamen de delicto in primo processu constructo, quod præsefert notam infamiæ.

Nihilominus Episcopus acta ejusdem Concursus transmisit, ut moris est, ad Datariam Apostolicam, nulla pandita animi sui sententia, cum ageretur de reservatione ob vacationem in Curia, non autem ratione mensium, ut declaravit san. mem. Benedictus XIV. in Encyclica *Cum illud* 68. §.20.*tom, primo*. Sed Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius, facta illorum relatione SANCTISSIMO, in mandatis habuit, ut novum Concursum fieri curaret pro majori SANCTITATIS SUÆ animi instructione: Episcopus itaque monitus ab Eminentissimo Pro-Datario, novum Concursum indixit pro die 4. Maji ejusdem anni, in cujus termino solus comparuit Nicolaus Mellusο, Presbyter sexagenario major, Cantor ejusdem vacantis Ecclesiæ S. Nicolai, dudum approbatus ad Sacramentales Confessiones excipiendas, & deputatus Confessarius ordinarius Monialium, Pro-Vicarii Generalis munere decoratus ab Episcopo Cavensi in parte suæ Diœcesis, atque a Clero, & Populo Terræ Pollæ commendatus testimonialibus Literis subscriptis die 1. ejusdem mensis Maji, etiam ab ipso inter cæteros Januario Auria.

Verùm eadem die prima Maji folium exhibitum fuit apud acta Concursus, inscriptum nomine d. Januarii Auria, continens protestationem nullitatis habendi Concursus, & appellationem ad Summum Pontificem, & ad Serenissimum Neapolis Regem, ex quo = *avendo mandato istanza per il suo*

Pro-

Procuratore Signor D. Francesco Rinaldi , per essere ascritto dal M.R. Cancelliere Vescovile al nuovo Concorso affisso ante valvas della Chiesa vacante , non solo il medesimo non ha voluto ascriverlo , nè tampoco ha voluto riceversi l'istanza , con cui allegava la nullità del cennato Concorso , qualora non era ascritto , con riceversi li suoi requisiti in forma , ut est de jure . Hanc protestationem videns Cancellarius , ut impictam sibi culpam dilueret, replicavit in actis , suamque replicationem eadem die coram duobus Testibus personaliter intimavit d. Francisco Rinaldi asserto Januarii Procuratori , his verbis conceptam = *Che mai detto R. D. Gennaro d'Auria , nè altri in suo nome gli ha presentato nè Procura , nè Requisiti , o fatta istanza per essere lo stesso d'Auria ascritto al Concorso , di cui si tratta , al quale , quando voglia veramente ascriversi , e possa de jure sostenersi , per essere stato riprovato quoad mores nel primo Concorso tenuto li 11. Gennaro , puole assai bene farlo , ed è a tempo opportuno , mentre oggi siamo al primo Maggio 1762. , ed il Concorso si farà coll'esame de' Concorrenti alli 4. di questo istesso mese, secondo l'Editto prescrive .*

Tacuit verò Januarius Auria , nec amplius quidquam egit coram Episcopo ; quare completo die 4. Maji solius Nicolai Mellusi examine, eum Examinatores approbarunt quoad scientiam , & quoad mores ; atque Episcopus acta pariter hujus Concursus transmisit ad Datariam Apostolicam . Provisionem tamen impedire tentavit Januarius , apposito in Dataria *nihil transeat* ; & interea sub Datum Idibus Maji 1762. Parochialem impetravit , ob assertam nullitatem Concursus , narrans , quòd *in Concursu super dicta Parochiali Ecclesia habito forma Concilii Tridentini servata non fuit* : quodque ipse ad Curam Animarum exercendam pluries approbatus fuerat . Collata nihilominus deinde per SANCTISSIMUM Parochiali favore Nicolai Mellusi uti approbati in Concursu , Eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius , in contradictorio Partium , die 18. Augusti 1762. mandavit lacerari *nihil transeat* appositum a Januario , & relaxari Supplicationem a SANCTISSIMO signatam favore Nicolai : & instante iterum Nicolao Melluso pro reportatione Bullæ impetrationis, idem Eminentissimus Pro-Datarius remisit Causam ad hanc Sacram Congregationem cum clausula = *Non retardata interim exequutione Literarum Apostolicarum favore Instantis* = ; quo tamen non obstante Januarius Auria obicem posuit in Regiis Neapolis Tribunalibus , quo minus præfatæ Literæ favore Nicolai Mellusi exequerentur .

Causa nunc proponitur . Et Januarius Auria suas extollens meritorum prærogativas , ob Sacras Missiones , & Conciones Quadragesimales , longo tempore peractas in pluribus Diœcesibus , lectiones Theologicas publicè habitas , munus

nus Confessarii, Directoris Spiritualis, & Præpositi copiosæ Congregationis Sanctissimi Sacramenti in Terra Pollæ, pluribus annis exercitum, ac gestum officium Æconomi Curati hujus controversæ Parochialis post ultimam vacationem sibi ab Episcopo commissum, ac tandem scientiam ab Examinatoribus in primo Concursu laudatam, & promeritam Cleri, & Populi acclamationem: contendit, Literas suæ provisionis esse exequendas, non illas Nicolai Mellusi, cùm prior sit suarum Literarum Data, & veritas narratæ nullitatis Concursus comprobetur ex denegata ipsi a Cancellario admissione ad Concursum inter alios Oppositores, juxta superius enunciatam protestationem diei primæ Maji 1752.: eamdemque a Concursu rejectionem, differit, contrariam esse formæ traditæ a Sacro Concilio Tridentino *in sess.24. cap.18. de Reformat.*, ut *per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari*: illamque autumat obtegi non posse, aut contraria Cancellarii responsione, quam suspectam habet,aut delictis enunciatis in primo Concursu, quorum gravitas tanta ipsi non videtur, ut post viginti septem annorum emendationem obesse posset assequutioni Parochialis.

Contra verò Nicolaus Melluso invisi Impetratoris notam objiciens Januario, ob narrativam nullitatis Concursus directam ad tollendum jus quæsitum unico in eodem Concursu approbato, juxta firmata per *Rotam in decis.* 484. *num.*4. *coram Crispo*, disputat illius provisionis Literas haud esse exequendas, tum ob vitium subreptionis, quod oritur ex reticéntia non sequutæ approbationis Januarii quoad mores in primo Concursu, quæ circumstantia, si narrata fuisset Summo Pontifici, eum retraxisset a concessione gratiæ favore Januarii, quemadmodum illi noluit Parochialem conferre post auditam primi Concursus relationem ab Eminentissimo Pro-Datario, juxta notata per *Rotam in decis.* 134. *num.* 14. *coram Ratto*: tum insuper ob vitium obreptionis oriens ex duplici capite, primò quia non docet Januarius, ipsum *ad Curam Animarum exercendam pluries approbatum fuisse*, ut narravit Summo Pontifici, secundò quia non subsistit ejus asserta rejectio a Concursu, ut probat supra relata replicatio Cancellarii, nec si subsisteret, Concursum irritaret, postquam Januarius approbatus fuerat quoad scientiam in primo Concursu, solumque suam idoneitatem quoad mores vindicare debebat coram SANCTISSIMO, ne arceretur ab assequutione Parochialis ratione perpetuæ infamiæ juris, quæ oritur ex delicto Stellionatus, cum abusu Confessionis, pro quo damnatus fuerat anno 1735., ad tradita per *Thesaur. de pœnis Eccles. part.1. cap. 33. de pœna infamiæ juris §. Tertio modo*. Et rejectis Literis provisionis odiosi Impetratoris, illas suæ provisionis exequendas esse contendit, non obstante quod unicus fuerit Oppositor, quia aliis non com-

comparentibus Concursus substinetur etiam unius Oppositoris comparitione, illique adjudicanda est Parochialis, ubi fuerit ab Examinatoribus approbatus, *Garz. de Benefic. part. 9. cap. 2. num. 215.*, *Barbos. de Offic. & potest. Episc. part. 3. allegat. 60. sub num. 51.*, & *Rota coram* Kaunitz *dec. 133. num. 22.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

An Literæ Apostolicę expeditæ favore Nicolai Melluso provisi Apostolici sint exequendæ, seu potiùs exequendæ sint aliæ impetratæ a Januario de Auria, in casu &c.

Die Sabbathi 27. Augusti 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX Causis, quæ in proxime habita *Congregatione* proponendæ erant, *quatuor* ob temporis angustiam ad hanc dilatæ, sapientissimum EE. PP. judicium expectant.

MONTIS ALTI APPLICATIONIS MISSARUM.

Sess.23. cap.1. de Reform.

An Missa Parochialis in diebus Festis applicanda pro Populo veniat celebranda a singulis Rectoribus Ecclesiæ S. Luciæ Terræ Porculæ, seu potius alternatim ab Hebdomadario, in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius.

LEOPOLIEN.

Sess.21.cap.7. de Refor., & sess.25. Decret. de invoc. & vener. & Sac. Imag.

I. *An liceat Archiepiscopo supprimere Cappellam Cœmeterii nuncupatam Domagalicianam, & transferre Imaginem Deiparæ Virginis ab eadem Cappella ad unum ex Altaribus Ecclesiæ Cathedralis Leopolien.?* & quatenus affirmative.

II. *Ad quod Altare Cathedralis sit facienda eadem translatio?*

III. *An, & quomodo sint reducenda in pristinum duo Altaria Ecclesiæ Cathedralis ex arbitrio Archiepiscopi demolita, ac suppressa?* & quatenus negative.

IV. *An, & ad quæ Altaria sint transferendæ obligationes, & respective fundationes in iisdem demolitis Altaribus exi-stentes?*

V. *An, & quomodo liceat Archiepiscopo in Ecclesia Cathedrali, ejusque ambitu supprimere Altaria, & transferre fundationes, Missas, aliasque sacras Functiones iisdem Altaribus addictas, & respective celebrari solitas?*

VI. *An liceat Archiepiscopo moderari Scamna, & removere Arcas, Scrinia, & Asservatoria, quæ reperiuntur in Ecclesia Cathedrali?*

Ad I. Affirmative. Ad II. Arbitrio Archiepiscopi. Ad III. Negative. Ad IV. Arbitrio Archiepiscopi. Ad V. Affirmative in omnibus, arbitrio Archiepiscopi. Ad VI. Affirmative, arbitrio Archiepiscopi.

Sess.22. cap.6. de Riform.

RAGUSINA.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, juxta modum: nempe a die lati Rescripti, & collatis oneribus, & amplius.

Sess.24. cap.18. de Reform.

CAPUTAQUEN. PAROCHIALIS.

An Literæ Apostolicæ expeditæ favore Nicolai Mellusо Provisi Apostolici sint exequendæ, seu potius exequendæ sint aliæ impetratæ a Januario de Auria, in casu &c.

Literas Nicolai esse exequendas, & amplius.

Sess.22. cap.6. de Reform.

BONONIEN. APERITIONIS ORIS. Causa hæc descripta fuerat *in Folio Congregationis habitæ die 25. Aprilis* labentis anni. Dubium erat = *An intret arbitrium pro aperitione oris, ita ut sit locus revocationi Gratiæ, de qua agitur, in casu &c.*, sed cum proposita non fuisset, iterum data est *in Folio Congregationis diei* 14. *posterioris mensis Maii*, exiitque Responsum = *Affirmative in omnibus* = Redit nunc ad novum EE. PP. judicium.

Jura a Partibus alias proposita, alio nunc fortasse colore, sed eadem renarrantur. Administratores autem *Pii Operis*, ut penitus excludant subreptionem, de qua super *gratia* obtenta a san. mem. *Benedicto XIV.* redarguuntur, in medium afferunt ipsum libellum tunc Pontifici oblatum, nuperrime, ut ajunt, repertum, in quo de modo juxta testatoris præscriptum distribuendi eleemosynas, & de eorum conditione, & qualitate, qui testatoris largitione frui debuissent, habentur hæc verba = *Si fanno Beatissimo Padre a Poveretti delle Parochie, che succedono per turno* = In cujus libelli facie extat Rescriptum = *A Monsignor Vicario, che informi*.

Inde inferunt sese non fefellisse conscientiam Principis: Principem vero ipsum, licet civem Bononiensem, & de testamento condito, dum Bononiensem Ecclesiam administrabat, facile instructum, tamen pleniorem facti notitiam quæsivisse, atque eam, quæ, non nisi diligentius inspecta, cognitaque litera testamenti, haberi poterat, antequam postulatam *gratiam* elargiretur, habuisse. Propugnant itaque, quod si de voluntate Pontificis non est amplius ambigendum,

dum, ad ejus potestatem deduceretur disputatio, quæ esset certe absona, & temeritatis plenissima.

De his omnibus, aliisque, quæ hinc inde congeruntur, EE. PP. pro sua doctrina, ac judicii maturitate cognoscent, & inde edicent.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

FAVENTINA REDUCTIONIS MISSARUM, SEU REINTEGRATIONIS. Joannes Baptista Scardavus testamento, cum quo *anno* 1727. decessit, certum ex suis bonis fundum designavit pro perpetua *Capellania in Ecclesia S. Rocci Civitatis Faventiæ* erigenda, adiecto onere quater in hebdomada Sacrum ad certum altare peragendi. Executores testamenti anno post, ob eam causam, *quia hæreditas adeogravata reperiebatur ære alieno, ut venditis bonis summa sufficiens non superesset pro fundo erigendæ Capellaniæ*, reductionem onerum ab hac Sac. *Congregatione* expostularunt. Negocium omne Episcopo Faventino commissum est, *ut veris existentibus narratis, & vocatis, si qui fuerint vocandi, onus Missarum juxta proportionatam redituum quantitatem pro suo arbitrio, & conscientia moderaretur, atque reduceret*.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Elapso sexennio, nimirum *die* 20. *Martii* 1734. delegatus Episcopus onus *Missarum ad Missas septuaginta sex reduxit*. Subinde Capellaniam erexit; eademque die alio decreto declaravit Executores, & *Josephum Carroli* Administratorem, *recte, ac fideliter se gessisse, & mandata per Testatorem adimplevisse*.

Imminuto sic onere *Missarum*, octo post fere menses major fundi pars ab ipso Josepho Carroli Administratore hæreditatis, & *primo Capellano* empta est, qui pretium in dimittendis debitis hæreditariis, ac solvendis legatis impendit, relicta minima ejusdem fundi parte pro dote *Capellaniæ*.

Quoad vixit *Capellanus* emptor usque ad *annum* 1758., & biennio post, res omnis silentium habuit, donec *Sebastianus* Parrus hodiernus *Capellanus* damnum *Capellaniæ* sarcire cupiens, hæredes Carroli ad illud emendandum, & restituendum prædium interpellavit. Proponit itaque nunc Sacrorum reductionem minus legitime, ac minus juste factam, & contra expressam legem a Sacra *Congregatione* Episcopo Faventino datam; nimirum non *vocatis, qui vocandi* essent, ac præcipue iis, qui in jure Patronatus activo *Capellaniæ* substituti erant, quo casu erat procedendum omnino servato ordine juris, *ad ea quæ DD. com-*

DD. communiter tradunt, & censuit Sac. hæc *Congregatio in Vrbinaten. Suppressionis Confraternitatis Septembris* 1759. : neque *clausulam* pro *arbitrio*, & *conscientia* tanti esse, ut regula Judiciorum post haberi posset, *uti est constans opinio DD.*, quam probavit *Rota coram Merlin. decis.*702. *num.*47.

Multo magis, quia in Judicio tunc non adfuit ille, *qui pro tempore esset Parochus S. Jacobi* juxta legem testamenti, sed *Antonius Poggi*, qui cum ad aliam Ecclesiam transiisset, Executor esse desierat. Executor vero alter tantum aderat *Andreas Carroli* frater *Capellani* ipsius, qui prædium emit.

Præterea veritatem causæ expositam super inopia hæreditatis probatam minime fuisse ex inventario non rite confecto, & statu hæreditatis non bene excusso: venditionem vero prædii fraudis, ac nullitatis vitio infectam ex defectu edictorum, & cum auctoritate ejusdem *Poggii*, qui jam munere Executoris ex testamento fungi non poterat; ut ex scriptis, & monumentis *per Capellanum* circumferendis, & ex hodierni Episcopi *Relatione* perspicuum esse contenditur.

Contra hæc plurima reponunt hæredes *Josephi Carroli*: omnia nempe rite facta esse: ex actis Curiæ constare de hæreditatis viribus, & per sententiam judicatum esse de bene reddita ratione: utiliter auditum fuisse *Poggium* de omnibus rebus instructum: cætera, quæ extra ordinem Judicii dicuntur facta, post tot annorum lapsum allegari non posse: inventarium autem rite confectum per Administratorem, vel Executores, quibus tempora ad illud conficiendum non limitentur, *Guerrejo de Inventario tract.*1. *lib.*1. *cap.*2. *num.*18.: propptereaque cum vires hæreditariæ non suppeterent, necessariam fuisse reductionem, ac partis prædii venditionem, tam pro dimittendis debitis, quam pro legatis solvendis in casu, de quo agebatur; ut fuse, & lato calamo hæredes excipiunt.

Advertendum in hac controversia profecto est, num super hæreditatis quantitate, & inopia, ac super reddita ratione obstet Sententia *Ordinarii*: num de ejus viribus, sive de ea revocanda agendum modo sit, & num tantum probationis afferatur, quo ejus injustitia apertissime demonstretur; quæ sententia, quousque viribus constet, num de veritate expositæ causæ in præsentia sit ambigendum.

Sed non leve Causæ momentum in eo versari potest, num pars fundi, de quo est sermo, etiam pro solvendis legatis vendi potuerit; vel saltem ea pars pretii ex venditione retracti, quæ pro dissolvendis legatis impensa est, commodo *Capellaniæ* post factam venditionem cedere debuisset. Quod enim certo fundo alicui oneri assignato, alia testatoris legata, cum vires hæreditariæ suppetant, ex aliis bonis solvenda sint; ac si vires non suppetant, fundus certo operi destinatus non sit distrahendus, vel minuen-

nuendus affirmant non infimæ notæ DD. ad *Text. Juris Civilis in leg. Si Fideicommissorum ff. ut in possess. legat.*

Ob eam nempe rationem, quia si fundi designati pro implendo certo onere reditus decrescerent, reliqua hæreditas ad eos supplendos non teneretur. Ideoque fundus idem neque aliis legatis præsertim *quantitatis*, ut est in casu, de suo censu supplere debeat.

Quæ si pro aliis casibus in dubium venire possunt, nullam fortasse dubitationem viderentur admittere in certo fundo dato pro iniuncto onere *celebrationis Missarum*. In ea etenim facti specie, nisi contraria mens testatoris appareat circa *reductionem piorum onerum*, retinenda omnino esset regula, cuncta reliqua onera reducenda, integre relicto Sacrorum numero *Fagnan. in cap. ex parte de Constit. num.* 34. *Bordon. de Legat. cap.* 15. *num.* 35., uti hæc Sac. *Congregatio* edixit *in Mediolanen., seu Comen. Reductionis onerum* 14. *Januarii* 1721. *in Thesauro fol.* 9. *tom.* 2. *Nepesina Reductionis Onerum die* 3. *Julii* 1734. *Senogallien. Reductionis Missarum* 2. *Decembris* 1741. Perspecta præsertim clara lege testamenti, in quo expresse cavetur, ut pro solvendis debitis, ac legatis alia testatoris bona vendi deberent.

Pertinet itaque ad EE. PP. decernere.

I. *An reductio onerum Capellaniæ ordinatæ per Joannem Baptistam Scardavi substineatur in casu &c. & quatenus negative.*

II. *An, & qua quantitate competat reintegratio ad prædium de quo agitur, ac debeatur fructuum restitutio, & refectio damnorum, & interesse in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Utantur jure suo coram suis Judicibus.

TERULEN. BENEFICII. In Congregatione habita *die* 3. *mensis Julii* transacti anni 1761. proposita Causa inter Dominicum *Serrano*, Petrum *Sodos*, & *Bagoena*, & Jacobum *Escriche* sub dubio *An constet de Idoneitate Clerici Dominici Serrano ad effectum obtinendi Gratiam Apostolicam pro Præsentato, & unice qualificato ad Beneficium, de quo agitur, in casu &c.* EE. PP. rescripserunt = *Dilata, & reformetur Dubium*. Sed *Petrus Sodos*, & *Bagoena* se vertit *ad Datariam* pro consequenda *gratia*, veluti unice *qualificatus*. Verum remissis precibus ad hanc Sacram *Congregationem*, nunc Causa super novis *dubiis*, quæ infra notantur, inter *Petrum Sodos Bagoena* tantum, ac *Dominicum Serrano* proponitur; nam tertius contradictor *Jacobus Escriche* sua sponte judicium deseruit.

Sess. 7. *cap.* 13. *sess.* 24. *cap.* 2. & *cap.* 9. *de Reform.*

Petrus *Sodo* asserens se in pari gradu esse fundatori conjunctum disputat non esse dandam *dispensationem* Dominico *Ser-*

Serrano omnino inhabili, in sui præjudicium, qui habilis est, & unice *qualificatus* juxta legem fundationis, atque ex judicio *Ordinarii* magis idoneus. Ait spernendos esse testes nunc primum, & pendente lite quæsitos, ac se non citato, subjectos examini, ad demonstrandam in *Serrano* vitæ emendationem. Ulterius emendatione hanc suffragari *Serrano* fortasse in posterum posse ad assequenda alia Beneficia, non autem pro controverso, quod juxta fundationis legem debetur magis idoneo, pluribus in æquali gradu existentibus.

Addit præterea *Sodos*, nihil nocere sibi, quod se non opposuerit intra terminum juris, quia non probatur, se prius scientiam habuisse de sententia Curiæ *Terulen.*, juxta regulam, quod re integra, *qualificatus* elapso etiam juris termino utiliter contradicat. His demum adjicit, quod etsi *Serranus dispensationis* beneficio dignus censeretur, non inde tamen illius favore *supplicatio* relaxanda esset, propter regulam aliam, quod duobus idem Beneficium postulantibus, quorum alter sit vere habilis, alter per *dispensationem*, qui est verè habilis, sit præferendus, ut dixit *Rota in Colonien. Abbatissatus* 25. *Aprilis* 1757. *cor. bo.me.Frangipane*.

Adversus hæc omnia *Dominicus Serrano* contendit, vel nulla se indigere *dispensatione*, vel solum ad cauthelam: quamlibet enim præteritorum criminum, si qua contracta esset, maculam detersam esse longa, & constanti emendatione vitæ, nunc magis magisque comprobata ex luculentissimo testimonio nobiliorum, & selectiorum ex clero, & populo, & quidem etiam loci illius, in quo Beneficium erectum est: neque obesse sententiam Curiæ *Terulen.* veluti manifeste injustam, & sine ulla jurisdictione prolatam.

Quemadmodum nec officere sibi autumat, quod *dispensatio* vergat in præjudicium contradictoris, tum quia id secumfert ipsa *dispensationis* indoles, tum quia dum anno 1751. ipse Serranus *dispensationem* petiit, prorsus erat inhabilis Sodos, ideoque ei favere non valet habilitas postmodum acquisita. *Piton. de controv.Patronor.allegat.*100.*n.*335.*& seq.* Eo magis, quia contradictor idem, licet sit vocatus, tamen legitima *præsentatione* est destitutus.

Notat postremo regulam illam de præferendo habili, qui non indiget dispensatione, obtinere tantummodo in paritate, & dum concurrentium requisita æqualia sint. *Vivian.de Jurepatron. part.*12.*cap.*9.*num.*27., *Corrad. in Prax.Benefic. lib.*4. *cap.*6.*num.*54. Duo itaque habentur dubia

I. *An sit locus dispensationi Clerici Dominici Serrano, in casu &c.*

II. *An, & quæ supplicatio sit relaxanda, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

FO-

FOROSEMPRONIEN. BENEDICTIONIS PUBLICI ORATORII. Campeſtris locus *Calamello* in Diœceſi Foroſempronien. mille & ducent. paſs. diſtat ab Oppido *Cartoceti*, & ab Eccleſia Parochiæ *S. Petri*, quæ in Oppido eſt, & intra cujus Parochiæ limites locus continetur. Viam interſecat flumen *Tarugo* aquarum copia haud contemnendum, præſertim hyeme. Fratres *de Fabris* loci incolæ, tempore anteceſſoris Epiſcopi ſacellum, ſeu publicum *Oratorium* ære ſuo ædificarunt. Eo omni opere poſt completo, abſolutoque, ut ſacro ritu benediceretur, primum a Vicario Capitulari, deinde ab hodierno Epiſcopo exorarunt. Moram nexuit Vicarius, Epiſcopus apertiſſime repugnavit. Hinc querelæ Fratrum de Fabris, ac ſuper his preces oblatæ SANCTISSIMO; quarum cognitio ad hanc *Sac. Congregationem* delata eſt.

Excuſat repulſam Epiſcopus, quia ſacellum fundatum ſit contra legem Synodi, ſine antecedenti permiſſu; quod ex uno latere adjungatur domui illorum de *Fabris*, ſubtus quam ſtabulum extat, ſuper tecto columbarium; *loco non patenti, & aliquantulum remoto a publica via*, ut verendum ſit, ne facinoroſis hominibus confugium paretur. Profert querimonias Parochi, qui timet ſuæ Eccleſiæ deſertionem, & jura Parochialia imminui, aitque per pontem ſuo impendio factum ſaluti ruricularum, & tranſeuntium ſatis proſpectum eſſe.

E contra *Fabri*, permiſſu Anteceſſoris Epiſcopi *Oratorium* extructum dicunt, quod ſaltem ex veriſimili probari exiſtimant, ſcilicet conſtructum eo vivente, atque idcirco ſciente, & probante: legibus Synodalibus non adverſari annexionem domui: ſitum eſſe aptum: de ſtabulo verum non eſſe: poſſe provideri expreſſe ne jura Parochialia detrimenti aliquid patiantur: poſſe apponi lapidem indicem, quod *immunitate* non gaudeat. De cætero neceſſariam conſtructionem fuiſſe, ut propriæ, & accolarum non minus pietati, quam ſaluti conſulerent; cum præſertim hyberno tempore permulti ex longo itinere, aſperitatis, & periculi pleniſſimo, ab audiendo ipſis diebus feſtis Sacro arceantur; in quibus facti circumſtantiis nedum admitti ſoleat extructio novarum Eccleſiarum, ſed novæ Parochiæ erectio *Barboſ. in Collectan. ad Concil. Trid. ſeſs.21. de Reformat. cap.*4.

Addunt præterea flumen ipſum ita & non perraro excreviſſe, ut non paucos homines vi aquæ raptos abſorbuerit; quæ omnia plurium teſtimonio ſatis probari ajunt: neque pontem tenui pecunia Parochi extructum ad hæc vitanda incommoda, & pericula idoneum eſſe, quia infortunia etiam poſt ejus conſtructionem acciderint.

Oratoria ejuſmodi, & *ſacella* per agros, & villas paſſim, & ubi-

ubique occurrunt. In Causa, de qua agitur, videndum primo esset, num postquam Oratorium constructum est tempore Antecessoris, & verisimiliter non ignorante, & non omnino dissentiente Parocho, qui aliter inchoatum opus nunciasset ut prohiberetur; & postquam Oratorium idem congrua dote, & necessariis ornamentis modo instructum reperitur, num possit pro suo tantum libitu Episcopus denegare ut ejus *benedictio* more fiat. Quando autem Episcopus pro suo libitu denegare non valeat, videndum num justa ex causa in casu deneget: videndum denique num jure Parochus contradicat.

Sacra hæc Congregatio in *Forolivien. erectionis Ecclesiæ die 16. Januarii 1694.*, in qua agebatur de Oratorio constructo sine permissu Episcopi, proposito dubio = *An concedenda sit licentia celebrandi Missam in Oratorio, de quo agitur* = respondit = *Affirmative sine præjudicio Jurium Parochialium*, ut in *lib. Decretorum pag. 3.*. In *Fulginaten. Oratorii* die 7. Julii *1696.* super dubio = *An liceat Parocho Sancti Nicolai Villæ Belfloris prohibere celebrationem Missarum diebus festivis in Ecclesia Sanctæ Mariæ ejusdem Villæ, in casu &c. Prætendente Parocho celebrationem Missæ in dicto Oratorio permitti non posse diebus festivis in præjudicium, & diminutionem Concursus suæ Ecclesiæ Parochialis* = rescriptum = *Negative salvis juribus Parochialibus* = *lib.Decret.46.pag.274.*

Ad eandem rem faciunt aliæ hujus Sacræ Congregationis Resolutiones in *Lucana Capellaniæ die* 17.*Septembris* 1722., *in Privernen. ædificationis Ecclesiæ, & Jurium Parochialium* 24. *Septembris* 1735.

EE. PP. pro sua eximia qua pollent prudentia constituent.

An sit concedenda facultas benedicendi Oratorium, in casu &c.

Sess.24. cap.6. de Reformat.

PANORMITANA. Salvator Pecorella Civitatis Calatafimi testamento, quod scripsit anno 1665. legavit Catharinæ ejus sorori prædium *del Piraino*, adjecta lege, quod si eadem Catharina legataria sine liberis decederet = *debba succedere il Convento di S. Domenico sotto titolo del Rosario nuovamente da fabricarsi in essa Terra di* Calatafimi; *e caso, che detto Convento non potesse, o non volesse venire in detta Terra, succedano gli altri Conventi*, primo scilicet PP.Minimor., deinde PP.Excalceat. S.Augustini,& demum PP.Excalceat. S.Mariæ de Mercede.

Licet Catharina legataria obierit anno 1683. nullis relictis liberis, novi tamen Conventus constructio effectum non habuit *tam ob fructuum tenuitatem, quam ob Fideicommissariorum malitiam &c.*, *& hoc quia iidem Fideicommissarii emendi-*

dicato falsæ distractionis titulo territorium alienare curarunt, ut ex Episcopi *relatione* habetur.

Hæc cum respiceret Antonia Briguccia testatoris ex sorore neptis, anno 1742. judicium instruxit in Curia Metropolitana Panormi adversus detentores prædii legati, quod tandem recuperavit.

Vivente Antonia Conventus a testatore exoptatus extructus non est. Quapropter anno 1758. sacerdos *Raphael Mussolinus* Antoniæ filius, animadvertens testatoris voluntatem non posse impleri, tam ob tenuitatem redituum, cum vigore *Constitut. Gregor. XV.*, & *Urbani VIII.* prohibeantur novæ Conventuum fundationes quoties reditus non sufficiant pro alendis duodecim Religiosis, quam alias ob caussas satis notas, Summo Pontifici supplicavit, ut voluntas testatoris commutaretur cum erectione Beneficii, reservato jurepatronatus activo, & passivo favore consanguineorum testatoris. Remissis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus Archiepiscopus *Mussolini* petitionem probavit.

Hinc hujus Sacræ Congregationis decreto die 30. Maji 1761. Archiepiscopo mandatum est *Ut consito sibi de impedimentis occurrentibus in exequutione voluntatis Testatoris, citatis omnibus interesse habentibus ad commutationem juxta modum pro suo arbitrio, & conscientia procederet.*

Modus autem fuit = *Quod Archiepiscopus procedat prout de jure contra Fideicommissarios ad reddendam rationem peractæ administrationis redituum bonorum a Testatore relictorum, & firmet statum omnium eorumdem redituum, deductis omnibus; quo statu firmato, tot erigat ex præfatis reditibus Capellanias, quot erigi poterunt, assignata cuilibet Capellaniæ congrua, & æquali portione redituum pro eleemosyna cum præfixione determinati numeri Missarum in Ecclesia ab Archiepiscopo designanda &c. pro suffragio Testatoris, juxta Synodales leges, & morem Regionis, ac reservato demum jure nominandi Capellanos Fideicommissariis pro tempore, qui ad unam ex Capellaniis sic erectis prima vice tantum Oratorem nominare teneantur.*

Non acquiescit *Mussolinus* Rescripto. Hinc modo postulat, ut ex omnibus testatoris bonis una tantum erigatur *Capellania* ad quam sit instituendus, ut eam vivens perpetuo teneat, retardata quoad ipse vixerit tantum executione Rescripti.

Tuetur hoc justitiæ, & æquitati esse maxime consonum: justitiæ, quia hæc eadem bona ope matris ab alienis occupatoribus recuperata sunt: quia est apprime justum, ut in filio compensentur etiam damna, quæ ob litem, ac litis dispendia mater habuit pro bonis recuperandis, quæ huic pio operi nunc destinantur:

Æquitati vero, si spectetur tenuitas redituum prædii, atque ege-

egestas oratoris adeo arcto sanguinis vinculo cum testatore conjuncti, ut de consentanea testatoris ipsius voluntate in ejusmodi casu legitime; & nedum per canonicam lenitatem, atque indulgentiam; sed etiam secundum quascumque severioris juris regulas sit præsumendum.

EE. PP. de novis hisce *Mussolini* postulatis cognoscent, ut quid sit statuendum decernant. Ideo proponitur dubium.

An bona, de quibus agitur, sint assignanda Oratori ejus vita tantum durante titulo Capellaniæ cum onere unius Missæ quotidianæ, ita ut post ejus obitum sit exequendum decretum Sacræ Congregationis, in casu &c.

Die Sabbathi 24. Septembris 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NON omnes, quæ in præterita Congregatione *diei* 27. *Augusti* paratæ erant Causæ, proponi potuerunt. Tres supersunt, quæ nunc æquissimo Eminentissimorum Patrum judicio subjiciuntur.

TERULEN. BENEFICII.

Sess.7. cap.13., sess.24. cap.2., & cap.9. de Reform.

I. *An sit locus dispensationi Clerici Dominici Serrano, in casu &c.*

II. *An, & quæ supplicatio sit relaxanda, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Relaxandam esse Supplicationem favore Dominici.

FOROSEMPRONIEN. BENEDICTIONIS. PUBLICI ORATORII.

Sess.24. cap.13. de Reform.

An sit concedenda facultas benedicendi Oratorium, in casu &c.

Affirmative, salvis juribus Parochialibus, & apposito Lapide, & amplius.

PANORMITANA.

Sess.24. cap.6. de Reform.

An Bona, de quibus agitur, sint assignanda Oratori ejus vita tantum durante titulo Capellaniæ cum onere unius Missæ quotidianæ, ita ut post ejus obitum sit exequendum Decretum Sacræ Congregationis, in casu &c.

Dilata, & firmetur status, & scribatur Archiepiscopo, juxta instructionem.

S. ſi. 24. cap. 13. de Reform.

AUGUSTANA PAROCHIALIS. In Congregatione diei 10. *Maji* 1760. duo fuerunt propoſita dubia ex parte Curiæ Auguſtanæ contra Præmonſtratenſes Canonicos I. *An intret arbitrium pro apertione oris, ſeu potius litteræ Apoſtolicæ ſint exequendæ in caſu &c.* cui reſponſum fuit *Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius* II. *An ad Parochias, de quibus agitur, præſentari, & inſtitui debeant Presbyteri Seculares tamquam veri, & perpetui Parochi, ſeu potius Canonici Regulares Præmonſtratenſes, ad nutum Abbatis amovibiles; in caſu &c.* cui data eſt reſponſio *Negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam, & amplius*.

Promotor Fiſcalis Curiæ ab hac Sacra Congregatione *die* 22. *Maji* 1762. poteſtatem, ut noviter ſua jura experiri poſſet, obtinuit. Ratio novæ *audientiæ* concedendæ ſtetit in Conſtitutione ſan. mem. Benedicti XIV. *ad Solium Juſtitiæ*, edita *anno* 1755., de qua in Cauſæ propoſitione nil actum, ac dictum fuerat; & ex qua contendebat Curia poſteriores ejuſdem Pontificis litteras favore Præmonſtratenſium, quarum Sac. hæc Congregatio executionem mandaverat, obreptionis, & ſubreptionis vitio laboraſſe.

Petiit exinde Promotor, ut ſimul nova dubia admitterentur: ſed petitio ad hanc Sac. Congregationem remiſſa eſt. Cauſa itaque proponitur cum duobus primis dubiis, quibus data tunc reſponſio ad trutinam revocatur.

Super his dubiis, quæ hinc inde dicta, atque objecta fuerant, eadem plane nunc alia methodo referuntur. Inani autem hic ſtudio, atque inutili prorſus labore vel ex *priori Folio*, vel ex Partium ſcriptis repeterentur.

De eo vero, quod attinet ad Conſtitutionem *ad Solium Juſtitiæ*, hæc primum dicenda occurrunt. Ea prodiit occaſione alterius ſimilis controverſiæ actæ in Sacra Congregatione *anno* 1755. inter Promotorem Curiæ *Olomucen.*, & Abbates Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes, ac Benedictinos. Diſputata tunc fuerunt XVI. dubia, inter quæ VI. *An Prælati Regulares, ubi habent purum juspatronatus Parochiarum acquiſitum, vel ceſſum a laicis, quibus in hoc ſuccedunt, teneantur Epiſcopo præſentare Sacerdotes Seculares, ut antea laici tenebantur; an vero poſſint ſubſtituere Monachos, eoſque pro libito, non ſalutato Epiſcopo, removere;* cui Sacra Congregatio reſpondit *Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam*. Cauſaque iterum propoſita *die* 2. *Auguſti ejuſdem anni* ſtetit *in deciſis*. Eam Sac. Congregationis Reſolutionem Pontifex ſua Conſtitutione *ad Solium Juſtitiæ* ampliſſimis clauſulis confirmavit. Hinc poſterior Conſtitutio *Romanus Pontifex* favore Præmonſtratenſium, quæ de ea mentionem non fecit, tamquam ſubreptitia, & obreptitia prædicatur.

Suam nunc Conſtitutionem ab hoc vitio vindicant Canonici Præ-

Præmonstratenses. Toti incumbunt ad monstrandum se nihil celavisse Pontificem de iis, quæ necessario exponenda essent: necessariam autem mentionem præcedentis Constitutionis *ad Solium* non fuisse, quia ipse Pontifex alia sua Constitutione *Onerosa* confirmaverat privilegia concessa Præmonstratensibus ab Urbano IV., & Clemente V. de retinendis per se Parochiis Secularibus; & præterea per hæc verba concessit, *quod ex nunc, & perpetuis futuris temporibus quascumque Parochiales Ecclesias etiam Seculares &c. si tamen eis, & eorum cuilibet canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliter assumantur, illas absque dispensatione Apostolica consequi, & in eis quavis auctoritate institui, illasque recipere, & quoad vixerint retinere, libere, ac licite possint, & valeant Apostolica auctoritate prædicta tenore earumdem præsentium ex integro perpetuo concedimus, & indulgemus*.

Hinc plura inferunt; nimirum quod etsi privilegia Urbani IV., & Clementis V. non extitissent, etsi perperam revocata dici velint, nihil officeret huic Constitutioni, quæ post narrationem privilegiorum, ex integro concessit privilegia: præterquamquod temerarium esset impugnare privilegia eadem Urbani, & Clementis extitisse, vel asserere, quod revocata fuerint, quando patet in facto, quod Promotor Curiæ *Leodien.*, qui se opposuerat concessioni Parochiæ favore Canonici Præmonstratensis, causa cognita, ante editam Constitutionem *Onerosa*, a Dataria Apostolica rejectus fuerat, ut idem Pontifex refert.

Certant itidem, quod in *Olomucen.* disputata fuerint plura alia dubia extranea a præsenti Causa, in quibus expresse Præmonstratenses nominantur. VI. vero dubium, quod est præsentis inspectionis, generaliter conceptum fuerit, sine ulla speciali Præmonstratentium mentione.

Concludunt denique, quod si Constitutio *ad Solium* afficeret Præmonstratenses, suo ipso pondere collaberetur, tamquam inexcusabili vitio subreptionis infecta; dum per eam revocaretur directe præcedens ejusdem Pontificis Constitutio expresse contraria, de qua nulla mentio Pontifici facta est.

Sane de hoc, quod respicit Constitutionem *ad Solium*, perpendendum esset, an clare comprehendat Præmonstratenses, & casum de quo nunc agitur; ut hinc videatur, an, quidquid sit de ejus subreptione, nunc decidendæ causæ obstaculum faciat.

Considerandum an aliquod discrimen inter eam Constitutionem *ad Solium*, & Constitutionem *Romanus Pontifex*, de qua nunc tantummodo disceptatur, intercessisse dicendum sit, ex eo nempe, quod in prima agitur, & quidem generaliter de Parochiis, quæ laicorum antea indubitate erant, & Regulares a laicorum manibus acquisierant; in qua optima decidendi ratio

tio haberi poterat, quia factum laicorum, qui Parochiarum Iuspatronatus Regularibus dederant; nullatenus detrimentum aliquod inferre poterat *Ordinariis* locorum, ad quos Parochiarum administratio prius sine ulla contradictione, & dubio, ac libere pertinebat; neque enim poterant Regulares suo facto nativa jura Episcopalia imminuere: in Constitutione vero *Romanus Pontifex* agitur, & quidem speciatim, de duabus tantum Parochiis, quas a primis usque temporibus; sive ratione unionis; sive ratione consuetudinis; contendunt Præmonstratenses ad se pertinuisse, & licet per temporum vices in alienas manus transiverint; attamen ex facto ultimo Monasterii Cæsariensis ad se ipsos uti possessores veteres rediisse.

Expectandæ sunt Curiæ responsiones. Cujus deinde jura potiora sint, si Causa ad eam maturitatem pervenerit, ut decidi nunc possit, judicium erit EE. PP. Dubium est

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata; & nihil de novis Dubiis:

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

ANDRIEN.. In Congregatione habita *die* 16. *Februarii* 1759. super controversia, quæ agebatur inter Ecclesiam Cathedralem, & Ecclesiam Colleg. S. Nicolai Civitatis Andriæ, ad IV., & ultimum ex propositis dubiis Sac. Congregatio rescripserat *divisionem Parochiarum faciendam esse ab Episcopo, & approbandam a Sac. Congregatione.*

Demandata divisio ab Episcopo facta est, quæ Capitulo Cathedralis Ecclesiæ non placuit. Proposita hinc Causa est *die* 11. *Septembris* 1762. super ejus divisionis approbatione. Nulla autem prodiit super divisione Resolutio, quia Episcopus tunc advertit contra se in discrimen vocari ea, de quibus nulla antea controversia videbatur extitisse. Ideo instante Episcopo rescriptum fuit *dilata, & subscribatur dubium ab Episcopo porrectum, & omnia simul proponantur.*

Duo itaque subscripta sunt dubia inter Episcopum, & Capitulum. I. *An Ecclesiæ Cathedralis unicæ in Civitate, & Territorio Andriæ Parochialis, Parochus sit Episcopus, & ad quos effectus; seu potius Capitulum ejusdem Cathedralis* II. *An sit approbanda divisio.* Iis autem in Congregatione *diei* 26. *Aprilis* currentis Anni responsum fuit *ad* I. *Affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, negative ad secundam*: *ad* II. *Dilata, & divisionem esse faciendam ab Eminentissimo Præfecto.*

Non acquievit Capitulum primo Responso: facta est itaque ei potestas, ut iterum sua jura exponeret. Sed cum Causa die 30. *Julii* proxime elapsi proponeretur sub dubio *An sit standum vel recedendum a decisis*, melius sibi consultum credidit,

dit, si peteret, ut fecit, *Compulsoriam* pro nonnullis monumentis controversiæ in clarum ponendæ, uti ajebat, necessariis, & interim decisionis dilationem. Sac. Congregatio *Compulsoriam* reiecit, dilationem concessit. Super eodem itaque dubio iterum proponitur Causa.

Facti species, & quæstionis capita latissime in *Folio* die 20. *Aprilis* digesta sunt. Capitulum, quæ antea dixerat, nunc majori conatu repetit ad probandum antiquitus extitisse Andriæ diversas Parochias. Nova addit in eam rem, quæ hic modo exscribenda sunt: scilicet plurium testimonia, qui de antiqua divisione, & de ejus divisionis traditione a Majoribus suis accepta testificantur.

Profert itidem *Relationem* ad hanc Sac. Congregationem transmissam anno 1590. a *Luca Antonio Resta* Andriensi Episcopo, in qua asseritur adhuc tunc temporis extare Andriæ Ecclesias, quas ferebatur olim fuisse Parochias: *adsunt intra, & extra dictam Civitatem nonnullæ Ecclesiæ, quæ conferuntur tamquam beneficia simplicia; illas vero intus Civitatem Parochias olim fuisse ferunt*.

Aliam huic consimilem *Relationem* adiicit Episcopi *Alexandri Strozza* de anno 1628., in qua idipsum affirmatur; *dieci Chiese dentro la Città alcuna delle quali erano curate. Oggi non ve n'è alcuna, ma tutta la Cura risiede presso la Cattedrale*.

Denique duas dat Apostolicas *provisiones* de Archidiaconatu Cathedralis Ecclesiæ, unam anni 1452. favore *Lilli de Melle*, alteram biennio post favore *Dominici de Monte Peloso*; in quarum unaquaque habetur *eique cura animarum immineat*, & speciatim mentio fit *Constitutionis Joannis Papæ XXII. quæ incipit Inexecrabilis*; cujus Constitutionis mentionem nonnisi in vere Parochialibus solere apponi contendit.

Cætera ex priori *Folio*, sive ex primis Capituli, aut novis circumferendis scriptis hic regerere necessarium non est. Pertinet ad EE. PP. decernere

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

VITERBIEN.. Canonicorum Collegium, quod Viterbii est in Ecclesia S. Angeli de *Spata* in duas classes dividitur. Altera eorum est, qui primæ erectionis; altera, qui novæ, & posterioris. Illi de *Massa*, quia commune ærarium habent: hi ex nova in Collegium cooptatione *Adjuncti* appellantur. *Adjunctorum* non eadem conditio est; nam, præter quam quod non omnes uno tempore adjecti sunt, communi pecunia non utuntur; sed tantum potiuntur

Sess. 25. cp. 21. de Regul.

Præbendis, quibus donati sunt ab iis, qui & reditus dederunt, & jus sibi patronatus auctoritate legitima reservarunt.

Ea, quæ alibi passim, & ubique innascitur inter diversæ speciei Canonicos, qui uni Ecclesiæ inserviunt, hic quoque ab initio exarsit discordia; quæ aliquandiu varie transacta, & recisa, nunc denuo nova, & viridiora germina emittit; sed meliore fortasse fato, quia EE. Patrum, ad quorum judicium nunc primo delata est, consilio, & manu eradicitus extirpanda.

Propugnant Primi *Adjunctos* Canonicos teneri ad contribuendum communiter ad omnia onera, & speciatim ad contribuendas expensas pro Ecclesia, & Sacrario; sive quæ respiciant ædificia, sive quæ pro sacris indumentis, supellectilibus, cæterisque ornamentis inserviunt.

Præter quod id de jure esse ajunt, cum nova Collegio adjecta membra, in ejusmodi rebus, quæ communia sunt, unum corpus efficiant, *ad Textum in cap. quicumque* .1. *cap. de his de Eccles. ædific.*, *Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* hanc suam actionem pacto expresso firmatam contendunt, usu, & consuetudine constabilitam: siquidem omnes admissos cum *honoribus*, *& oneribus*, ut ex peculiaribus cujuscumque novæ erectionis instrumentis patere affirmant: controversiam omnem, quæ exurgere posset, solemni transactione anno 1684. peremptam esse, ubi apertissime de his oneribus dicitur: *Adjunctos* omnes huic oneri satisfecisse, sive contributione medietatis redituum primi anni, sive aliis diversæ speciei contributionibus, & præsertim cum communi implemento onerum legati *Finamondi*, quod ad Primos unice pertinebat, quod postea Sacrario communi consensu assignatum est, cujus onera *Adjuncti* Canonici simul cum aliis assumpserunt: concordiam hanc bona fide initam, diu bona fide servatam, mala nunc fide, & injuria in discrimen adduci.

Contra vero *Adjuncti* suam exemptionem tuentur ex pacto convento, cum duo primi ex ipsis anno 1661. admissi fuerunt; clare enim in ea conventione liberantur a qualibet expensa, *che si farà nel risarcimento della Chiesa, o altra Fabrica*: nomine autem *Fabricæ* venire omnia, quæ sive Ecclesiæ conservandæ, sive ejus servitio usui sunt: Canonicos de *Massa* idcirco celebratione *Missæ Conventualis* se immunes reddidisse, majorem sibi partem ex emolumentis funerum reservasse, hinc *Adjunctos* ad præstationem medietatis redituum primi anni in Sacrarii beneficium obligasse: quicquam non facere, quod ea conventio anni 1661. cum duobus tantum, noviter tunc primo admissis, stipulata sit; nam sub iisdem legibus, quibus ii duo primi, cæteri deinde venerunt in Collegium, ac successerunt: concordiam anni 1684. non officere; quia cum duobus tantum,

& qui-

& quidem secundæ admissionis inita sit ; quia sine beneplacito, & legitima auctoritate ; quia sine consensu Patronorum, quorum jura ex hoc novo imposito onere consequenter imminuebantur.

In hac controversia Eminentissimi Episcopi sensus est *in dotem Sacristiæ segreganda ea bona ex Capitulari Massa, quæ vel ex supremis Testatorum tabulis, vel ex veteribus Inventariis non Capitulo, sed Ecclesiæ fuisse adscripta in competenti Judicio evincetur, datis ad eam rem opportunis mandatis perquirendi Capituli Archivium, quod Canonici de Massa observatum detinent, ut impervia esset veterum monumentorum cognitio Canonicis Adjunctis, qui ea super occultatione querimonias exposuere. Si ultra horum bonorum reditus forte expensæ aliquando augeantur, incrementum hoc pro rata æqualiter ab utrisque Canonicis suppleatur.*

Certe non hic agendum est de iis, quæ necessaria non sunt. Necessarium autem non est, ut suppleantur ea, quæ vel Ecclesia, vel Sacrarium propria habent.

Sed non eadem circa omnes *Adjunctos* ratio dubitandi videtur esse. Duo, qui primum admissi sunt, expressum habent pro se pactum, quod non teneantur *ad restaurationem Ecclesiæ, & Fabricæ.* Videndum esset num sub nomine *Fabricæ* veniat non solum materialis structura, sed omne quod Ecclesiæ usui sit, de quo non levis est disceptatio *inter DD.*, de quibus habetur in *Tusculana 6. Decembris* 1727.

Videndum num in casu dubitatio quæcumque eliminetur ex implicita cum nomine *Fabricæ* explicatione *risarcimento della Chiesa, e della Fabrica*; quæ explicatio cætera, quæ Ecclesiæ, & Sacrario usui sunt videtur exclusisse. Videndum num huic pacto per consuetudinem derogatum sit: num per patientiam, & factum possessorum pro *tempore*, contra jura patronorum ea pacti derogatio induci posset.

Reliqui post *Adjuncti* Canonici, videndum an juvari queant hoc pacto, de quo in eorum admissionibus nulla mentio facta est. Videndum denique num aliquid faciat circa Canonicatum erectum anno 1733. ex dispositione *Joannis Dominici Pelicelli*, quod in ejus erectione clare dicitur, novum Canonicum subjici quidem omnibus oneribus, sed in casu quo Præbenda Canonicalis certo, & præfinito emolumento augeatur.

Viderint EE. PP. quomodo sit providendum, ut suis auspiciis perpetuo duraturam tranquillitatem Canonicis faciant. Dubium proponitur.

An, & quomodo Canonici Præbendarii teneantur ad expensas pro manutentione Ecclesiæ, & Sacristiæ, in casu &c.

Sess. 24. cap. 18. de Reformat.

COLONIEN. PAROCHIALIS. Summus Pontifex *Gregorius XIII.* quædam Ecclesiastica Beneficia unijt Parochialibus Ecclesiis Civitatis Colonien., quæ nuncupantur *Pastoratus*. Ea occasione constituit *quod nul us ad Parochiales Ecclesias prædictas præsentari, vel alias assumi, neque illas obtinere, vel assequi possit, nisi Magister, seu Doctor, aut* Licentiatus,*vel ad minimum de proxime licentiandus in Theologia, seu Decretis*.

Tunc temporis non erat adhuc publicata Coloniæ Synodus Tridentina. Hinc jussit, quod, *postquam Concilium Tridentinum in illis partibus publicatum fuerit, providendi de dictis Parochialibus Ecclesiis non amplius a Superioribus, & Inquisitore prædictis, sed in concursu ab Examinatoribus inibi juxta dictam Concilii Tridentini dispositionem deputandis, servata ejusdem Concilli forma examinari, & adprobari debeant*.

Vacantem *anno* 1762. unam ex iis, scilicet Ecclesiam Parochialem *S. Martini* de jurepatronatus laicorum, obtinuit Sacerdos *Arnoldus Vvolff* ad electionem Parochianorum. Sed postea existimans se minus tutum ejusmodi provisione *ex eo quod Cancursus super dicta Parochiali Ecclesia ad formam Statuti, & Ordinationis PP. Gregorii Prædecessoris minime habitus fuerit, ipseque Orator tempore provisionis hujusmodi ad Magisterii in Theologia, vel Doctoratus, aut Licentiaturæ in Decretis gradum juxta eamdem Statuti, & Ordinationis hujusmodi formam minime promotus existebat* supplex SANCTISSIMUM adiit, & novam provisionem ejusdem Parochialis postulavit. Negocium a *Dataria* remissum est ad hanc Sac. Congregationem *pro voto*.

Ordinarius censuit *gratia* Oratorem dignum, Sed interim *sacerdos Adolphus Scute*, ex quo Ecclesiam assequutus fuerat Arnoldus, *Concursu juxta Statutum, & Ordinationem prædicti Gregorii minime habito*, de Beneficio impetrando eidem SANCTISSIMO supplicavit. Hinc Sacram Congregationem adiit ad contradicendum Arnoldo; sed postea neque multoties interpellatus comparuit;

Contendit Arnoldus relaxandam pro se esse *supplicationem*, quia passim Apostolica Sedes solet providere de Ecclesiis Parochialibus sine Concursu; ac præsertim in Germania, derogando Conciliari sanctioni; cui suppletur per clausulam *adhibitis Examinatoribus Synodalibus*, ut testatur *Rota in Tridentina Archipresbyteratus 3. Februarii* 1727. *coram Card. Calcagnino*,

Contendit id multo magis admittendum esse in casu, quia Ecclesiæ Parochiales Colonienses conferri usu receptum est sine Concursu, ut affirmat *Suffraganeus* Coloniensis, & Canonicus Archidiaconus *Actuarius*: Pontifices vero novas hasce provisiones Apostolica benignitate concedere consuevisse.

Addit se necessariis requisitis instructum; hinc sufficere, quod si non

si non forma Concursus impleatur mens, & voluntas Pontificis, qui statuit, *ut Parochialibus Ecclesiis de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis, & ad verbum Dei prædicandum, & Sacramenta Ecclesiastica administrandum, cæteraque munia Parochialia obeundum idoneis prospiciatur*.

Multo magis, quod post *provisionem* juxta stylum *Dataria* Ordinario committendum, debebit provisus novum sui experimentum facere coram eodem, & Magisterii gradum assumere.

Ex his propugnat rejiciendum fuisse omnino odiosum impetratorem; quia non dicitur Ecclesia Parochialis vacans, quousque Pontifex *gratiam* non denegaverit: atque is non postulat Parochiam veluti adprobatus in Concursu, sive uti laurea doctorali insignitus:

In omnem casum non posse saltem denegari prælationem sibi, qui prior Pontificem adiit, qui munus Capellani cum Parochianorum, & Ordinarii approbatione multo tempore exercuit, qui à Patronis est legitime præsentatus.

Maximum in hac causa momentum facit, quod *Dataria* Apostolica, quæ *votum* exquirit, sequuta postmodum alia consimili vacatione, consimilem huic, de qua agitur, *provisionem* concessit, de qua monumentum authenticum apud acta profertur. Responsionis dandæ unicum caput est

An supplicatio sit relaxanda, in casu &c.

CASSANEN. Clemens Pace Præsbyter Mormannensis e Diœcesi *Cassanen.* anno 1755. gravitate morbi correptus confuse, vel parum dilucide testamenti tabulas ordinavit; quas postquam convaluit commutare exoptans, morte, ut non raro accidit, præventus non fecit.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Instituto itaque universali hærede *Lucio* fratre, *Josephum*, ac *Paulinum* fratres alios ad hæreditatis usufructum admisit. Legavit inde sortem *duc. mille mon. Regn.* beneficio filiorum, & descendentium *Lucii in infinitum, che conservano la Famiglia Pace, che staranno in Napoli applicati alle scienze &c., e non essendovi Studenti, come sopra, delle sudette rendite vuole esso Testatore, che se ne debbano celebrare tante Messe.*

Aliud legatum fecit *ducatorum mille & bis centum*, quod ita conceptum est favore filiarum *Lucii*, *che vorranno entrare in Monastero &c. con assegnarle dalle rendite la giusta dote, seu vitalizio competente per professare*. Casu autem, quod eæ cælibem vitam domi ducerent, tunc earum unicuique dedit *ducat. ann. duodecim; altrimenti il sudetto capitale colle sue annualità vadi, e sia in benefizio di detto suo Fratello universale Erede, con che della metà delle sudette rendite detto Erede* uni-

universale, e suoi Discendenti di linea mascolina in perpetuo, & Mundo durante ne debbano celebrare tante Messe.

Demum jussit: *che volendosi far Sacerdoti due, o tre figli di detto Lucio universale Erede coll'altri capitali, che vi sono, e saranno, se li debbano per ciascheduno assegnare le rendite di dodici ducati franchi &c., e dopo la morte de' medesimi, o non facendosi Sacerdoti, delle rendite delli sudetti suoi capitali, non ostante che siano addetti sotto altro titolo, il sudetto suo Fratello Lucio, e suoi Discendenti di linea mascolina siano obbligati in perpetuum, & in infinitum farne celebrare tante Messe =*

Testatore defuncto, aliud prodiit legatum, testimonio *Confessarii*, qui declaravit, jussu testatoris ex sorte *ducat.* 320: post conditum testamentum acquisita, reditus in Sacrorum celebratione erogandos esse.

Fratres nunc testatoris concorditer supplicant, ut testandi ratio, quam defunctus frater tenuit, in iis, quæ Sacra respiciunt, incerta, nec satis sibi constans, in melius pro expiatione animæ ejus, ac pro bono, & tranquillitate familiæ convertatur.

Petunt idcircò, ut determinetur *il numero delle Messe da celebrarsi annualmente in 366.: in perpetuo., una per ciascun giorno d'applicarsi per l'anima del Fratello degli Oratori, e de loro Antenati, per le quali Messe quotidiane di commun consenso assegneranno un fondo, e capitale fruttifero, la di cui annua rendita corrispondesse all'elemosina competente secondo la tassa, ed uso della Diocesi. Li frutti poi degli altri capitali lasciarli godere liberamente alli figli, o figlie delli detti Eredi proprietarij nella maniera più conforme alla mente del Testatore.*

Postulationem tuentur ex iis, quæ in jure in ejusmodi rebus afferri solent: primum quod nimirum commutationes concedendæ sint, dum aut celerius, aut tutius, aut pinguius voluntatis implemento consulitur, quemadmodum non indocti Canonistæ affirmant, de quibus viden. *Monet. de commutat. ultim. volunt. cap. 6. quæst. 2. num. 18.*, *& alii.*

Ajunt propterea, quod in casu, de quo agitur, Sacra peragenda adeo ab incerto conditionum eventu pendeant, ut vel numquam peragi, vel in ævum protrahi possint: quod *Lucius* hæres duodecim habet filios: quod ex his duo Neapoli studiorum causa commorantur: quod iis inde redeuntibus alii eadem de causa succedent: quod domi habentur filiæ adhuc innuptæ, quarum fortuna in ambiguo est, quemadmodum & filiorum, an Ecclesiasticam vitam eligant, vel electam retineant, cum duo ex iis jam tonsura initiati sint: quod de legato post testamentum conditum, super unius testimonio pessigi nequeat.

Addunt integra hæreditatis bona vix ad sortem *ducat.* 3535. conscendere: testamentum ideo vel carere effectu, quia bona communia fratrum sint, vel integre labefactari posse, si fra-

si fraterna diffidia intercedant: si disputetur nempe, an sani tunc hominis voluntas fuerit si advertatur ipsum testatorem, hoc dum convaluit advertisse, ac testamenti variationem voluisse; cujus rei testimonium habent ex authentica epistola ipsius testatoris manu conscripta. Congerunt exinde, quæ ex hac determinatione Sacrorum evenient bona, ut celerius, tutius, & pinguius defuncti voluntati satisfactum hinc videatur.

Episcopi consensus, & approbatio habetur, ac Promotor Fiscalis Curiæ pro causa dicenda interpellatus, protestatur expresse *non habere quid opponere posset in retroscripta causa*.

Commutationes voluntatum frequenti usu receptæ nimis fortasse excreverant. Hæredibus libertas bonorum magis arridet, vel saltem commodior sibi, atque opportunior diversa distributio. Aliis intimus animi sensus communiter insidet sua meliora esse cogitata, quam defunctorum. Hinc petitionum frequentia, hinc ad concedendum proclivitas. Huic malo prospexit Sac. Tridentina Synodus *sess. 22. cap. 6. de Reformat.*

Certe non denegandæ commutationes sunt cum necessaria causa intercedat. Vel annuendum facilius cum ea causa sit, quæ commutationem in opus magis proximum, & magis consimile alteri per testatorem demandato deducat. *Federicus de Senis consil.* 175., *Ricc. decis.* 83., *Sanchez lib.* 4. *consil. cap.* 2. *dub.* 6., *Rota in Recent. decis.* 290. *num.* 5. *part.* 17.. Vel difficilis voluntatis executio in aliam verisimilem convertatur, quæ paratiorem, ac fortunatiorem exitum habere possit: adeo ut in iis rerum circumstantiis positum testatorem ipsum credamus, eodem, quo nos, modo rem suam variasse; atque ita non tam voluntatis commutatio, quam interpretatio dicenda sit. Hac doctrina utimur. Cæteræ, quæ in forum venerunt magis laxæ theoricæ, ex *Juristarum* assentatione pro clientium Causis scribentium prodierunt.

Rectam hanc, & a jure non abhorrentem semitam tenuit Sacra hæc Congregatio, hanc secuta est perpetuo, ab ea divertit numquam, ut monuit præsertim in *Romana commutationis voluntatis* 27. *Februarii* 1734. Ad rem faciunt Resolutiones in *Nullius Piscien. commutationis voluntatis* 13. *Julii* 1720. In *Fulginaten.* 13. *Julii* 1740., *Melphiten.* 22. *Junii* 1743., *Interamnen.* 8. *Maii* 1756., *Civitatis Plebis Legati* 18. *Februarii* 1758., & aliæ.

Adverti hic posset, quod unicum legatum *ducat. mille* certum est, sed incerta habet tempora, sive initium celebrationis Sacrorum spectetur, sive ejusdem progressus, & continuatio. Reditus autem hujus legati *ad rationem tax. legal.* vix ad *quatraginta duc. ann.* supputantur; ex quibus *ad rat. obul. quindecim* vix eleemosyna pro Sacris *biscentum sexaginta sex annuis* conflatur.

Cæ-

Cætera legata incertam habent undique conditionem, quæ haud difficile evanescere omnino potest. De legato autem post conditum testamentum, non ex scriptura, vel ex scheda testatoris manu obsignata, sed unius testis affirmatione, nullam fortasse rationem habendam.

Cum itaque fundus pro perpetua, & quotidiana Capellania ex nunc erigenda offeratur; considerandum esset, num potius, quam testatoris voluntatis commutatio, ea de incertis, pro certo, parato, & quidem in præsentia majori emolumento, cum *opere pio* nunc primum stabiliendo, quædam quasi transactio videri possit. Quæ an utilis, an provida, an fortasse ad vitandam litem, & periculosum inter laicos litis eventum necessaria sit; an proinde admittenda, & per Apostolicam auctoritatem, atque indulgentiam approbanda, re integre perpensa, facile EE.PP. dijudicabunt. Dubium est

An ex Legatis Missarum a Testatore relictis una tantum sit ex nunc erigenda Capellania perpetua, cum onere Missæ quotidianæ, in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SAVONEN. *Julia Ansaldi* testamento, quod anno 1638. condiderat, jussit post mortem *Givesiæ* filiæ institui Capellaniam ad Altare *S. Joannis Baptistæ* in Ecclesia Parochiali *loci Cogoleti Savonen.* Diœcesis cum onere *Missæ quotidianæ*; pro cujus fundo assignavit omne id quod post sui mortem exactum fuerit ex sua dote, & creditis, quod in acquisitione bonorum impendendum esset.

Juspatronatus dedit *Joanni Dominico*, & *Josepho Ansaldis* filiis *Alexandri* patrui, quorum unicuique per lineam masculinam substituit successores masculos majores natu; & eorum linea masculina deficiente, vocavit majores natu masculos descendentes *ex filiabus masculorum ipsorum fratrum*. His demum ultimis proximiores descendentes ab *Augustino Ansaldo* avo paterno fratrum eorumdem substituit. Hæc habentur ex particula testamenti inserta in erectione Capellaniæ, cum acta *Notarii* qui testamentum recepit, afferantur deperdita.

Anno 1667 Capellania erecta est cum onere *quatuor tantum Sacrorum singulis hebdomadis*, ob eam rationem, quia bona hæreditaria non nisi ad scut. 1124. supputabantur; pro quibus *Joannes Ginnesius Ansaldi* filius *Joannis Dominici* unicus ex vocatis superstes domum quamdam obligavit sitam in Civitate Januensi cum onere præstandi Capellano an. *scut.* 34.

Anno 1716. *Joannes Ginnesius* idem suo testamento hæredem fecit *Bonaventuram Ansaldi* extraneum; & loco domus pro

fun

fundo Capellaniæ pridem assignatæ, subrogavit prædium existens in loco *Cogoleti* nuncupat. *il Giardino*. Statuit, quod solemne anniversarium funus in eadem Ecclesia pro se, suisque, perageretur; suamque hæreditatem perpetuo oneravit de expensa lampadis quotidie accensæ ad Altare *S. Joannis Baptistæ*.

Bonaventura Ansaldi hæres prædium *il Giardino* anno 1760. vendidit *Jacobo Agnesi* pro scut 3450. cum cessione iurispatronatus Capellaniæ, & cum reservatione Apostolici beneplaciti. De pretio conventum est, quod emptor retineret scut. 2018. *da impiegarsi quanto sarà necessario ne' Monti di Bologna, di Roma*, *di Genova* pro fundo Capellaniæ, aliorumque onerum in testamento *Joannis Ginesii* Ansaldi præscriptorum.

Emptor exiude pro beneplacito supplicavit; ac simul ut potestas sibi, & successoribus fieret Capellanum pro arbitrio quandocumque removendi.

Auditus de more Episcopus cessionem, & translationem iurispatronatus approbat: bona ex pretio vel *Genuæ*, vel *Cogoleti* acquirenda esse existimat: petitionem autem respuit pro arbitraria remotione Capellani, quem perpetuum dicit.

Nunc ad examen revocantur preces *Bonaventuræ* super approbatione cessionis tantum, cum ab alia petitione remotionis Cappellani videatur jam recesisse. Contradictores non habet, nam præfixo termino interesse habentibus, nemo usque adhuc comparuit.

Ait venditionem prædii, & cessionem legitime fieri potuisse, cum nihil spirituale comprehendat, sed jus spiritualibus tantum adnexum: quod *Ginnesius* Ansaldi transferre potuerit suo testamento iuspatronatus in *Bonaventuram* hæredem, qui sine ulla contradictione illud retinuit, qui proinde in alium transferre potuit.

Addit contractum in summam cedere utilitatem Capellaniæ, cujus omnia onera integre impleri possunt: subrogationem novi fundi non carere exemplo alio: utilius pecuniam Romæ erogandam esse *in tot Loc. Mont. Camer. non vacab.*, quot sufficiant pro annuo reditu *lib.* 230., quæ præsentem reditum Capellaniæ in ann. *lib.* 204. superant.

Profecto dubitari posset num post *Joannem Ginnesium* Ansaldum, defectis omnibus vocatis, transire potuerit in extraneum *Bonaventuram* juspatronatus, quod suapte natura ex certo jure Canonum recidit in Ecclesiam. Considerari posset num patientia, tolerantia, sive negligentia Curiæ præjudicaverit Ecclesiæ, cujus jura sarta, ac tecta perpetuo Canones voluerunt.

Præterea licet in jure certum sit, quod jus præsentandi in emptorem universitatis bonorum venire possit, ad *Text. in Cap. Ex Literis de Jurepatron.*; & licet *in Pampilonen. Confir-*

mationis Concordiæ 15. *Maji* 1726. Sac. Congregatio approbaverit concordiam initam super permutatione pendendi cujusdam tributi annui, cum jure præsentandi; attamen dubitari posset in casu, an hæc cessio juris nominandi, expresse in pretium deducta, illicitum intrinsecus contractum faciat, si non ut simoniacum, saltem uti irreligiosum, quem reiciendum censuit Sac. Congregatio *in Viterbien. Alienationis* 15. *Januarii* 1661. *lib.* 2. *Decret. par.* 312. *Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii*, *& 6. Maji* 1690. *lib.* 40. *Decret. pag.* 161., *& in Vercellen. Beneplaciti* 27. *Aprilis* 1709. *lib.* 59. *Decret. pag.* 119., *& in Tudertina* 3. *Julii* 1762.. Et observanda esset, quæ diversitas facti intercesserit *in cit. Pampilon. Confirmationis Concordiæ*.

Observationem quoque mereretur, quod etsi Bonaventura venditor esset patronus, etsi vendere juspatronatus, aut cedere potuisset, etsi beneplacitum fuerit reservatum, num omni jure ceciderit, quia ante obtentum beneplacitum executionem contractui dedit.

De his sua, qua ornantur doctrina, constituent EE. PP., ut respondeant dubio

An cessio Juris patronatus Capellaniæ, de qua agitur, cum conditione subrogandi alium fundum pro dote juxta Investimenta a Julia Ansaldi Fundatrice ordinata sit confirmanda, in casu &c.

Die Sabbathi 26. Novembris 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUinque ante alias notantur causæ, quæ in præterita Congregatione prope autumnales ferias habita propositæ non sunt. De iis modo EE. PP. cognoscent, ac rectissime suo more dijudicabunt.

ANDRIEN.
An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess.24. cap.13. de Reform.

Prævio recessu a decisis Curam animarum habitualem esse penes Capitulum.

VITERBIEN.
An, & quomodo Canonici Præbendarii teneantur ad expensas pro manutentione Ecclesiæ, & Sacristiæ, in casu &c.

Sess.25. cap.21. de Reform.

Quoad Canonicos Martis non teneri ad expensas pro materiali fabrice tantum, & amplius. In reliquis quoad omnes dilata, & scribatur Emo Episcopo juxta institutionem.

COLONIEN. PAROCHIALIS.
An supplicatio sit relaxanda, in casu &c.

Sess.24. cap.18. de Reform.

Affirmative, & amplius.

Sess.22. cap.6. de Reform.

CASSANEN.

An ex Legatis Missarum a Testatore relictis una tantum sit ex nunc erigenda Capellania perpetua, cum onere Missæ quotidianæ, in casu &c.

Affirmativè.

Sess.25. cap.4. de Reform.

SAVONEN.

An cessio Jurispatronatus Capellaniæ, de qua agitur, cum conditione subrogandi alium fundum pro dote juxta Investimenta a Julia Ansaldi Fundatrice ordinata sit confirmanda, in casu &c.

Negativè.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Francisca Bartolacci* anno 1598. postremo elogio hæredem voluit *Marcum Antonium Barberii* virum, eique morienti substituit V. Archiconfraternitatem SS. Stigm., cui præter capellaniam constituendam, cujus patronatus passivum *familiæ Barberiæ* dedit, onus injunxit distribuendi = *tre doti di scudi trenta l'una a tre povere zitelle, cioè una dagli eredi del signor Marc' Antonio mio consorte, e l'altre due dalli PP. Guardiani pro tempore con dichiarazione espressa rispetto alla nomina de PP. Guardiani, che siano preferite quelle zitelle, che saranno orfane.* Casu autem, quo *Barberiæ familiæ* puellæ his subsidiis indigerent, declaravit: *che in tal caso queste siano preferite a tutte, ancorche prive della qualità da me richiesta, volendo che rispetto a queste non si abbia alcun riguardo.*

Prosper Barberius *Marci Antonii* fratris filius, & hæres, ad quem jus nominandi ad unum ex tribus subsidiis pertinebat, unicam filiam, & hæredem habuit *Agatham*, quæ die *16. Decembris* 1730. ab hac Sac. Congregatione obtinuit ex reditibus omnium subsidiorum *scuta quatuor menstrua* quousque in monasterio degeret; quibus gavisa est usque donec *Joanni Baptistæ Polidori* Viterbien. nupsit.

Anno 1751. *Agatha* eadem pro *Magdalena* filia, quæ Viterbii in monasterio S. Dominici educabatur, subsidii dotalis, cujus nominationem habebat, assignationem impetravit ad quinquennium; quæ *die* 11. *Septembris* 1757. ad aliud quinquennium prorogata est.

Defuncta *Agatha* matre, *Magdalena* filia supplicavit SANCTISSIMO pro suspensione aliorum duorum subsidiorum, ea

ea conditione,*che annui scudi quindeci vengano percetti da essa Oratrice per le spese,che possono bisognarle nell'educazione, e i rimanenti annui scudi quarantacinque abbiano a porsi a moltiplico in beneficio di essa Oratrice , acciò possa erogarli per la sua dote spirituale , o secolare* . Preces remissæ sunt ad Sac. Congregationem , a qua novam hanc assignationem petit sub obtentu propriæ indigentiæ, & quod nullum in obærata paterna, vel materna hæreditate ducendæ vitæ , quocumque in statu sit,præsidium habeat .

Paupertatem probat affirmatione monialium , parochi, & testium. Allegat prædilectas puellas familiæ *Barberiæ* a testatrice , erga quas ab Archiconfraternitate nullas conditiones , etiam orbitatis , requirendas mandavit . Plura addit ad eumdem finem ducentia , quæ in ejus scriptis videnda erunt .

Verum supervenit interea *Petrus Paulus Barberius* e Terra Dulcis Aquæ diœcesis *Vintimilien.* , qui uti ex familia *Barberia* , ab anno 1732. obtinuerat rescriptum ab hac Sac. Congregatione *pro gratia assignationis scutorum* 250. *pro filia majori natu , vel nepte quæ prius nuptura esset* .

Hic queritur de retardata *gratiæ* executione, pro qua pluries ann. 1735. 1743. 1755. incessanter institit , & quidem ob morosam Archiconfraternitatis oppositionem . Ait se anno 1738. majorem natu filiam sub fide obtentæ assignationis nuptui dedisse , eique in partem dotis illam quantitatem attribuisse : ad solvendos genero fructus se obligasse : se juxta qualitatem familiæ pauperem dici debere : hanc paupertatem jam antea probatam ,novis monumentis comprobari : instrumentum dotale esse authenticum , sine ulla fraude initum : nullam causam esse , cur elargito beneficio, contra omnem fidem , re non integra , ob alterius culpam , & inanem contradictionem retardato,eludatur.Alia adiicit, quæ hic supervacaneum referre esset .

Cum utraque ex partibus confligatur Archiconfraternitas. *Magdalenæ* objicit non esse ex *familia Barberia* , sed ex agnatione *Polidori* : non probari qualitatem hæreditariam erga Marcum Antonium *Barberium* testatricis virum ; ita ut neque nominationem tertii subsidii dotalis habere debeat .

Contra *Barberium* vero ait cessare fundamentum *gratiæ* , quia ejus filia jam ab anno 1738. viro nobili , ac diviti nupsit , & sine ulla dote : dotale instrumentum commentitium esse ; factum post contractum matrimonium cum viro muto a nativitate , sine iudice , sine curatore , & sine testibus .

De eo , quod attinet ad *Petrum Paulum*,ex testibus probat,se esse ex *familia Barberia* a testatrice contemplata, cum dicatur filius *Augustini* , quem testatrix expresse in jurepatronatus capellaniæ passivo nominavit .

De eo , quod respicit *Magdalenam*,perpendendum an in materia

ria indifferenti, & quæ nullam agnationis contemplationem importat, vere dici debeat extare in familia contemplata; ita ut nomen *Barberium* ſtet unice in caſu, de quo agitur, ad monſtrandam originem. Apertæ in hanc quæſtionem ſunt ubique apud DD. theoricæ, quas hic congerere otioſum eſſet.

EE. PP. itaque ſua maturitate, ac prudentia rem fortaſſis ita temperabunt, ut neque propinquis pietas, & benevolentia teſtatricis in teſtamentariis tabulis pandita, opportune tamen, & ſuo loco, & tempore deſit, neque *Opus pium* intolerabile damnum ſentiat. Dubium

An ſit locus exequutioni Reſcripti Sac. Congregationis editi de anno 1732., ſeu potius ſit locus Novo indulto favore Magdalenæ Polidori in caſu &c.

Eſſe exequendum reſcriptum 1732., & quoad tertium ſubſidium eſſe prorogandum favore Magdalenæ ad aliud quinquennium.

Cap. 6. Seſs.22. de Reform.

BONONIEN. Michael Angelini Bononien. anno 1740. deceſſit cum teſtamento, quod ante quinque annos condiderat. Tres ſibi familiariſſime coniunctos ſodales Societatis Sanctæ Mariæ Pietatis nuncupat. *il Piombo*, cui teſtator nomen dederat, hæredes ſibi fiduciarios voluit, eiſque quandocumque deficientibus *Syndicum*, *Ratiocinatorem*, *ac Depoſitarium* pro tempore ſodalitatis ejuſdem nominavit, qui hæreditatis fructus quolibet anno in quatuor aſſiduiores eo anno ſocios diſtribuerent, a cunctis tamen ſodalibus per ſuffragia deligendos.

Præſtat teſtamenti literam exſcribere: *li piu frequenti non che ad intervenire all'Oratorio di detta Compagnia, a recitare tutti li Divini ufficii ſecondo lo ſtile del medeſimo Oratorio, quando anche alle publiche Proceſſioni, talmente che non abbiano aver luogo in detta imborſazione, che li fratelli frequenti, e non giamai li mancanti, purche non impediti da malatia, o itinerarj per publici, e particolari intereſſi, ed anche in occaſione di qualche lor viaggio, purche fuori dello ſtato della Chieſa.*

Legem poſuit, qua hæredes fiduciarii aſſiduos nominarent, ac præcipue ut excluderentur, qui ſine cauſa abeſſent nimirum *detti Eredi fiduciarj nel fare i fogli non poſſino permettere che li Confratelli, che auranno, o douranno aver luogo in detta imborſazione non poſſano eſſer mancanti più di dodici volte alla recita de Divini Vfficj e numero ſei volte alle Proceſſioni fra quelle di obligo, e ſtraordinarie.*

Anno 1748., ut omnis diſcordiæ cauſa averteretur, ſodalium communi conſenſu regulæ ſtatutæ ſunt de quatuor ad hære-

reditatis compendium quotannis obtinendum præferendis: quæ quidem regulæ diligentissimæ, ac plenissimæ ab Ordinarii curia adprobatæ sunt, ac typis mandatæ. Eæ inter scripta causæ circumferentur.

Elapso anno sodales preces obtulerunt SSmo pro ejusmodi voluntatis commutatione, quarum cognitio ad hanc Sacram Congregationem delata est. Postulant *di commutare la estrazione nella Corale distribuzione*. Causas pro commutatione exponunt *il motivo di tale supplica si fonda su ciò, che colla distribuzione si verrà ad ottenere più facilmente il fine voluto dal testatore, che è la frequenza all'Oratorio, ed alle Processioni, di quello, che in passato si è potuto conseguire colla estrazione, mentre che la massima parte dei Confratelli di professione Curiali, Notari, Periti, e Mercanti non potendo per le sue publiche occupazioni frequentare l'Oratorio, e le Processioni tutte le volte prescritte dal testatore tralasciano di frequentarlo anche quelle volte, che averebbero comodo di farlo, poichè sanno di non poter godere del Legato Angelini, e molti altri Confratelli Cittadini non frequentando per non azzardarsi alla sorte dell'estrazione, e quei pochi, che frequentano assicurano il godimento del* Legato *mediante un tacito contributo, che pattuiscono fra di loro. La dove la Corale distribuzione allettarebbe li primi ad intervenirvi tutte le volte, che potessero, levarebbe alli secondi il dubio dell'incerta sorte, toglierebbe l'abuso dei mendicati impedimenti, e la troppa facilità delle fedi, che taluno dei frequenti fa nascere, e procura per iscusarsi da qualche loro mancanza, e ciò non per tanto si fanno capaci del Legato Angelini. Cessarebbe finalmente ogni differenza ogni interpretazione, ogni abuso, che dalla moltiplicità delle leggi suol derivare, e coll'unica legge della distribuzione ai soli presenti si verrà ad ottenere più facilmente, ed abbondantemente il fine della frequenza.*

Confirmat omnia in hæc verba Eminentissimus Archiepiscopus: *frequentissima sunt ea, quæ non parvi momenti Confratrum dissidia præsertim super cognitione impedimentorum, quæ a pluribus adduci solent ad excusandas fallentias. Omissis enim altercationibus, quæ nimio fervore passim eveniunt ex hoc capite inter domesticos parietes Confraternitatis (quæ quidem devotionem minuunt, & inimicitias non leviter fovent) illud adnotasse sufficiat, quod eorum controversiæ non semel ad Judicem delatæ sunt, quodque pro bono pacis, & ad evitanda majora scandala aliquando necesse fuerit devenire ad formalem alicujus Confratris cassationem. Addo experientiam docere, quod in præsenti rerum statu non obtinetur finis præcipue volitus a testatore nempe Confratrum frequentia. Namque ex una parte adeo patet aditus prætextibus, & ab usui testimonialium, ut quidam nimis confidant excusare fallentias, ac propterea non admodum solliciti sint adimplere mentem testatoris. Ex alia vero sunt nonnulli Confratres, qui cum attenta eorum professione omnino desperent se posse publicis Processionibus, & privatis spiritualibus Exercitiis sub præscripta fre*

quen-

quentia intervenire : hinc existimantes actum esse de obtinenda hæreditate omittunt etiam prædictis functionibus interesse dum possunt .

Probat deinde Archiepiscopus commutationem, illudque adiicit, quod nempe *de reditibus lucrari possent soli præsentes ad ratam respectivæ eorum frequentiæ rejecta in perpetuum qualibet excusatione aut a valetudine , aut a negociis , aut a professione , aut ab alio quomodolibet legittimo impedimento quemadmodum invaluit usus apud nonnullas Collegiatas , ubi agitur de Anniversariis .*

Longum videri potuit, & fortasse supervacaneum ex his, quæ hic transcripta per ipsissima verba sunt, totam implere paginam ; sed non abs re fuit . Nemo ex sodalibus repugnat; sed videndum quanti æstimandi sit consensus eorum, qui concorditer sua commoda persequuntur .

Considerandum qua causa veniat perturbatio,& confusio inter sodales super piæ voluntatis executione ; num ex ipsa testamenti dispositione , quæ confuse , atque inordinate scripta sit ? qua causa leges super executione ejusdem testamenti providentissime constitutæ,probatæ omnium consensu, atque auctoritate legitima confirmatæ eludantur: quorum culpa diffidia , & scandala de præterito orta sint : quorum culpa in posterum eventura timeantur . Ea summatim potissima causæ inspectio est .

Rursus advertendum , quod testator casu , quo aliquo anno vel nulli,vel minus , quam quatuor sodales existerent, qui sua largitione digni essent , pauperes in certis parochiis patriæ degentes liberaliter, atque expresse ea largitione donavit . *Che l'entrata di quell'anno, che si dourà ripartire come sopra sia dispensata da miei Eredi fiduciarii per carità in contanti , o in pane a quelle Parochie , che dopo il tempo dell' estrazione sudette toccherà la Processione generale del Venerabile frà l'Ottava del Corpus Domini , e così s'osservi del resto di detta entrata, quando il frequente fosse uno , due , o tre , e ciò a proporzione de poveri , che saranno respettivamente in dette Parochie .* Hujus liberalitatis in pauperes parochiarum exemplo alio per ea tempora Bononia non caruit .

Videndum itaque , num ea causa commutandæ voluntatis adeo necessaria modo habeatur , ut hac largitione,& quacumque hujus largitionis spe in futurum perpetuo certarum parochiarum pauperes, nihil de hoc commeriti defraudentur . Quæritur

An sit consulendum SSmo pro commutatione extractionis ordinatæ in Testamento Michaelis Angelini in Choralem distributionem juxta preces Archiconfraternitatis in casu &c.

Reliquæ non propositæ.

PIEN-

PIENTINA PROCURATIONIS. *Sanctumquiricum* Oppidum Etruriæ est intra fines Pientinæ diœcesis, quod ecclesiam habet cum suo Canonicorum collegio. Horum Archidiaconus idem ac parochus est. Occasione sacræ Visitationis ibi peractæ ab hodierno Episcopo Pientino *anno* 1752. orta sunt in collegio dissidia super modo contribuendi expensas procurationis.

Sess. 24. cap. 3. de Reformat.

Contendebant aliqui ex Canonicis expensas contribuendas esse a quolibet pro rata redituum sui beneficii. Repugnabant alii, ac eas æqualiter ab omnibus, juxta veterem usque ad ea tempora servatum morem, solvendas existimabant. Proposita in Capitulo est quæstio die 30. Septembris ejusdem anni = *se si stima bene, che tanto nella presente, che nelle future sagre Visite si debba eseguire il solito uso fin quì pratticato, che tutti i particolari in comune, e senza alcuna differenza paghino ugual porzione delle spese della sagra Visita*. Latis suffragiis, secunda vice numerus vicit pauperiorum, qui suis commodis prospicientes, æqualitatem impendii respuebant: *il Capitolo deliberò, che sì nella presente, come ancora nelle future Sagre Visite si faccia detto riparto delle spese della procurazione non più come per il passato, mà secondo la regola di ragione a norma di quello fu prescritto dalla fel. mem. di Monsignor Spernazi nel Sinodo del* 1648. Hanc Canonicorum deliberationem biduo post Episcopus, inibi moram trahens, probavit, confirmavitque.

Prætermissis in facto, quæ, ut hic dicantur ad causam necessaria non sunt, disceptatur nunc in Sac. Congregatione de vi hujus deliberationis, ac de huius decreti justitia. Nullam dicit deliberationem, ac de injustitia decreti queritur *Archidiaconus Monaci*, qui unus modo causam agit. Id ex contrario longævo usu clare patere existimat; nec licitum novis Canonicis in proprij oneris levamen intervertere morem receptum, & priorum facto obfirmatum, in præjudicium eorum, qui dissentiunt, & qui legitime, ut asserit, novum onus detrectant.

Canonici sui favore allegant constitutionem Synodalem editam *die* 31. *Augusti* 1648. in qua habetur, quod *Beneficiati simplices solvant procurationem in actu Visitationis juxta reditum sui Beneficij ad rationem trium pro centenario, ut ex dicta solutione subleventur Curati pauperiores juxta prudentem distributionem faciendam arbitrio Ordinarii*.

Ajunt id æquitati consentaneum esse; cum omnis æquitas ferat, ut qui majores reditus ab ecclesia habet, majorem impensam subeat: consentaneum juri, cum *visitationes* præcipue pro parochis inductæ sint. Nihil facere existimant contrarium usum, quia ex errore invaluit, ex *visitationibus* nimirum *annorum* 1726., & 1730., in quibus Canonici non juxta Synodum procurationis impensam, sed omnes pro æquis partibus contribuerunt; nam ab *anno* 1700. nul-

la alia visitatio peracta erat ad *annum* 1726., in quo Canonici, qui scientiam facti habere potuissent, extincti omnes reperiebantur, præter unum superstitem, qui *facile potuit oblivisci modum, quo inter eos antiquarum distributionum expensæ fuerint divisæ*; ut ex Episcopi *relatione* exscribunt.

Allegant resolutionem Sacræ Congregationis *in Pientina Procurationis die 29. Novembris* 1756., in qua approbata fuit hæc ipsa Synodalis constitutio. Nam proposito dubio: *An, & in qua summa Capitulum, Ecclesia, & Canonici Collegiatæ Scrophiani teneantur contribuere cum Parocho ad expensas Procurationis*, responsum est *Affirmative favore Præpositi*.

Addunt hanc fuisse constantem Sacræ Congregationis sententiam, quod procurationis impensæ pro rata fructuum beneficiorum solvantur, ut in *Bojanen.* 14. *Decembris* 1644., quam refert *Monacell. formul. pract. part.* 2. *tit.* 13. *num.* 54. *in Auximana Procurationis* 8. *Februarii* 1727., *Fanen. Procurationis* 24. *Augusti* 1743. Contrariam vero consuetudinem veluti abusum rejectam fuisse, ut in *Signina Procurationis* 2. *Augusti* 1670. *lib.* 26. *decret. pag.* 322., *Nepesina Procurationis, & exactionum* 3. *Decembris* 1712., & 27. *Maji* 1713. *lib. VI. decret. pag.* 444., & *lib.* 63. *pag.* 218., *Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727., *Civitatis Castellanæ Visitationis* 9. *Januarii* 1734. Episcopus jura Canonicorum apertissimo, & amplissimo sermone complectitur; plurimaque rationum momenta eorum favore cumulat, quæ in ejus *relatione* videnda sunt.

Procurationem pro visitationibus deberi Episcopis statuit *cap. Procurationis* 23. *de Cens.*, & sancivit *Synodus Tridentina sess.* 24. *cap.* 3. *de Reformat.* Nihil autem statutum extat super modo contribuendi expensas, sive pro rata fructuum, sive pro æquis partibus dividendas.

Circa hunc modum non modicam vim sibi forsitan vindicare posset usus. In causa hac de usu eas æqualiter dividendi ante annum 1752. non dubitatur. Videndum esset, quo tempore is invaluerit, & ad quam ex partibus onus hujus probationis incumbat; num ei, quæ usum pro se habet, vel alteri, quæ abusum esse contendit. Potissimum quia de usu contribuendi æqualiter ante sanctionem Synodalem probatur fortasse ex ipsa Synodo, dum alium modum constituit: de usu æqualiter contribuendi post sanctionem constat ex ipso testimonio Canonicorum: ideoque considerandum esset num potius præsumendum sit de non usu sanctionis ab initio, quam de abusu invecto post conditam, ac receptam legem; ex ea nempe ratione, quia abusus in his casibus, ut Juristæ ajunt, numquam præsumitur, & præcipue in re odii plena, scilicet pecuniaria, & gravioris oneris erga socios, quam Canonici socii non neglexissent.

Rursus sanctio Synodalis, cum tota pendeat ab auctoritate, & vo-

& voluntate Episcopi, considerandum esset num post centum, & ultra annos, si non ei derogatum sit, saltem ea antiquata videri possit ex longa Episcoporum tolerantia, & ex longæva patientia Canonicorum, in quibus juris, & sui juris ignorantia præsumenda non est.

Præterea posito, quod in jure nihil scriptum extet circa ejusmodi modum, & posito, quod more veteri aliquis solvendi modus legitimè receptus reperiatur, considerandum esset, num pro suo libitu nunc noviter possint pauperiores modum diversum inducere in aliorum dissentientium præjudicium: num possit Episcopus dissentientes ad novum modum acceptandum compellere.

Advertendum occurrit, quod *in resolutionibus* Sacræ Congregationis, quas afferunt Canonici, rejicitur consuetudo, sed quæ tamen non respiciebat modum circa expensas procurationis, sed omnimodam a præstanda procuratione exemptionem; quod erat contra jus commune scriptum, cui non facile per consuetudinem derogatur.

De his omnibus EE. pro sua doctrina decernent. Dubium ab EE. PP. decidendum est

An expensæ Procurationis sint æqualiter dividendæ, sive potius pro rata fructuum Beneficiorum, in casu &c.

NOVARIEN. UNIONIS. Proposita hac causa *die* 11. *Septembris* 1762. super eodem dubio, quod infra notandum est, rescriptum exiit *dilata, & scribatur Episcopo pro transmissione actorum*. Obtemperavit EE. PP. imperio Episcopus, atque acta transmissa sunt. Iterum itaque proponitur causa, cujus facti speciem cum partium juribus *folium* ejus diei complectitur luculentissime.

Sess. 21. cap. 5. de Reform.

In actis habentur nunc duo decreta unionis parochiarum, ac suppressionis Sodalitatum Sanctissimi Rosarii, ac Sanctissimi Sacramenti, quæ in pago extabant, cum erectione alterius novæ, quæ utriusque sodales in unum consociaret; literæ Serenissimi Regis Sardiniæ, quæ unionem approbant; approbatio Capituli Novariensis; consensus parochorum, consiliariorum pagi, & officialium utriusque veteris Sodalitatis; electio officialium novæ Sodalitatis erectæ, ac duorum capellanorum, qui unum deinde parochum in cura perpetuo coadjuvarent.

Episcopus novam relationem adjicit, in qua de unione necessario, ac recte, atque ordine facta cumulatissime, ac sine ulla animi contentione disserit, ac ex visitationibus prædecessorum Episcoporum, & plurium testium affirmationibus causam omnino necessariam, atque utilissimam unionis probari contendit, ut acerbissimi, atque inveterati odii pestifera germina ex illa hominum communitate exterminarentur.

Contra vero, qui de unione parochiarum queruntur hanc discordiarum acerbitatem imminuunt: probant utriusque parochiæ incolas matrimoniis se copulasse: afferunt conventiones inter utramque Sodalitatem *anno 1623.* initas, ex quibus patet, illam Sanctissimi Rosarii, quæ in ecclesia Sancti Ginnesii erat, dissensioni, tunc per transactionem finitæ, causam præbuisse. Affirmant ex ipsa unione augeri discordiam, ac damna, cum plures sine sacramentis obierint: præterea non probari alia remedia ad avertendum malum, ut antea fieri debebat, fuisse adhibita.

Synodus Tridentina unionem fieri posse sancivit, *causa paupertatis Parochiarum, vel ex aliis casibus a jure permissis*. Nihil his verbis clarius dixit. Hos casus *Canonistæ* redigunt ad necessitatem, atque evidentem utilitatem. *Sed certa statui non potest regula generalis cuicumque casui applicabilis, cum pendeat ex facti, ac singulorum casuum circumstantiis*, ait *Card. de Luca discur. 8. num. 12. ad Concilium Tridentinum*. Certum est autem unionem faciendam esse servatis servandis, ac non sufficere solam Episcopi, vel Prælati assertionem.

Perpendendum nunc esset in casu, de quo agitur, an satis sit ad probandam utilitatem unionis, eæ certæ, quæ in populo inerant pervicaces inimicitiæ, & certa earum causa ex æmulatione Sodalitatum ob prælationem unius ex parochis: an satis probetur nullum aliud remedium fuisse aptius, quam unio, ex ipso longævi temporis lapsu, in quo odia extingui nequiverunt, ut non obscure dicitur in *visitatione* peracta tempore Cardinalis Borromei de anno 1733. *Nel popolo delle due Parochie passano grosse antipatie anche tra le donne, e putti. Una sola Parochia, ed una sola Confraternita si pensa, che conciliarebbe molto la pace*; ut habetur ex testimonio decessorum Episcoporum; ac ex ipso recenti testimonio Capituli, parochorum, officialium, sodalium, & oppidanorum, qui hac de causa unionem probarunt, acceptarunt, executi sunt; ac demum ex Regiis literis, in quibus ineluctabile testimonium extat de ipsius populi precibus super unionis necessitate. Animadverti posset, quod nullum ex unione emolumentum datur Episcopo, qui imo ad construendam novam Ecclesiam de suo, nimirum decimas, remittit, atque condonat. Considerandum denique esset post factam, probatam, & executam unionem, quid boni certo eventurum sit, si rescindatur.

Cuncta EE.PP. æqua lance pensitabunt ea, qua præstant scientia juris, & prudentia. Dubium est

An Decretum unionis Parochialium Sanctæ Mariæ ad Elisabeth, & Sancti Ginnesii, ac respective Confraternitatum Sanctissimi Corporis Christi, & Sanctissimi Rosarii factum ab Episcopo Novariensi substineatur, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Decembris 1763. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX postrema Congregatione diei 26. Novembris tres ad hanc dilatæ sunt causæ ab EE. PP. decidendæ.

BONONIEN.

Cap.6. sess.22. de Reform.

An sit consulendum SANCTISSIMO pro commutatione extractionis ordinatæ in Testamento Michaelis Angelini in Choralem distributionem juxta preces Archiconfraternitatis, in casu &c.

Negative, & amplius.

PIENTINA PROCURATIONIS.

Sess.24. cap.3. de Reform.

An expensæ Procurationis sint æqualiter dividendæ, sive potius pro rata fructuum Beneficiorum, in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & amplius.

NOVARIEN. UNIONIS.

Sess.21. cap.5. de Reform.

An Decretum unionis Parochialium Sanctæ Mariæ ad Elisabeth, & Sancti Ginnesii, ac respective Confraternitatum Sanctissimi Corporis Christi, & Sanctissimi Rosarii factum ab Episcopo Novariensi sustineatur, in casu &c.

Affirmative.

NUL-

Sess.5. cap.1., & sess.23. cap.13 de Reform.

NULLIUS CANUSII. Renuit Capitulum Canusinum ad ecclesiæ gremium, quæ *receptitia* est, admittere aliquot ex civibus, nisi sub certis conditionibus. Injustam credidit rejectionem Præpositus. Hinc Capitulares adierunt primum A. C., sed jussu *Sanctissimi* ad Sac. Congregationem hanc multiplicis inspectionis causam detulerunt. Proponi non potuit in Congregatione habita *die 25. Junii* hujus anni. Cum vero postea *die 30. Julii* proponeretur, dilationem obtinuit Capitulum, ut expectaretur *relatio* Archiepiscopi Tranensis. Nunc postquam Archiepiscopus retulit, causa proponitur, viriliter se tuente utraque parte.

Quæ alias dicebantur a rejectis, ac replicantur denuo, hic repetenda non sunt. Speciem facti, & quæstionum capita *folium diei 25. Junii* latissime continet.

Nunc Capitulum primo sua jura cumulat. Originem omnem controversiæ, ejusque perpetuitatem in Præpositum conjicit; cum tres ex quinque, qui ejus inductu in judicium venerant, jam recesserint, liti renunciarint, ac statutis a Capitulo legibus libentissime se subjecerint. Ait quod ecclesia Canusina antiquissimas suas leges, ac peculiaria præscripta habuit; quod anno 1749. ex communi consensu omnium instaurata fuerunt; quod Ordinarii auctoritate adprobata; quod in his norma datur certissima, qua ecclesiastici Canusini, quocumque in gradu sint, ad ecclesiam recipi debeant, quibus conditionibus inservire, quibus emolumentis frui, usquequo ad integram participationem perveniant.

Addit has leges communiter receptas, ac sine ullius querela executas; ut rite conditas adprobatas fuisse; earumque executionem demandatam a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, quæ *die 6. Maji currentis anni* in alia causa cum eodem Præposito, super dubio *an examen pro admittendis servitio Ecclesiæ debeat expleri ab Ordinario, sive potius a Capitulo*, respondit *negative ad primam partem, affirmative quoad secundam ad formam Constitutionum*.

Hinc de prima causæ inspectione allegat, quod dum constitutiones præscribunt servitium præstandum, injuria modo contra eas contenditur: nihil proficere absentiam causa studiorum ex sanctione Tridentina iis, qui in majoribus Ordinibus constituti sunt; maxime pro distributionibus, & emolumentis, quæ debentur ratione præsentiæ, ac servitii, quod actu ipso præstatur: alias plura venire incommoda, atque absurda; omnes enim certo tempore extra patriam degerent, si ad eadem emolumenta habenda admitterentur, quibus potiri possunt ii, qui præsentes sunt, atque in ecclesia laborant, quæ iccirco necessario servitio careret.

De secunda vero eadem profectò affirmat, vim suarum legum propugnans; clarumque esse in jure reversos ad eccle-

ecclesiam teneri ad ea servitia, quæ alii præstant, & quæ ipsi non præstiterunt: illudque agnovisse hanc Sacram Congregationem *in Ostunen. Admissionis ad participationem* 18. *Maji* 1743. quæ rescripsit *Dominicum esse admittendum ad participationem, ita tamen, ut teneatur præstare servitium in Officio Diaconi, & Subdiaconi usque ad implementum triennii*.

De tertio controversiæ capite ad suas constitutiones se refert: neque prodesse ait presbyteris servitia pro arbitrio præstita, ac præter ordinem, atque illegitima.

Similia plane asserit de IV. legem Capituli claram esse, quod clerici absentes causa studiorum debeant *produrre in fine di cadaun anno fede in forma valida delle permanenze in Seminario, o publica università, qual fede debba esser giurata dal Rettore, o Maestro di umanità, ò lettore col doversi produrre dalla prima Dignità della Prevostale Curia*: quod subdiaconi subjicere se debeant examini coram duobus a Capitulo deputatis, *e coll'intervento della prima Dignità residente in Capitolo, o altra Dignità, o Canonico vorrà intervenire, e far seguire la prova del canto Gregoriano, e ritrovandosi, che sia perito nel canto Gregoriano, e che dia speranza di maggior profitto nelle lettere, giacche ritrovandosi la cura dell'anime penes Capitulum ogni Capitolare deve esser abile per il servitio della Cura*; & quod diaconi examen pariter ex Constitutionibus subeant.

De quinto & postremo paria de suis constitutionibus profert; additque resolutionem sacræ Congregationis *in Hydruntina Servitii* 28. *Novembris* 1704., in qua proposito dubio; *an Sacerdotes Ecclesiæ Parochialis Terræ Scorani post expletum servitium in Minoribus Ordinibus, nec non in Subdiaconatu, & Diaconatu teneantur non tantum Choro per annum gratis inservire, sed etiam missas celebrare antequam ad missæ participationem admittantur*, rescripsit *affirmative*: quæ majori ratione servanda esse contendit in ecclesia Canusina, in qua non *gratis*, sed eleemosyna manualis interea datur: neque adversari Pontificias constitutiones, quæ locum habent in eleemosynis manualium, non autem in beneficio, aut capellania.

Archiepiscopus Tranensis omnino adhæret Capitularibus. Constitutiones ecclesiæ Canusinæ ait antiquissimo usu receptas, legitime instauratas postmodum, servatas ab omnibus, nunc labefactari industria Præpositi. Plura de hoc adjicit, quæ in ejus *relatione* videnda erunt.

Ex actis transmissis habentur testes hinc inde, renunciationes liti, aliaque, quæ longum, atque inutile hic esset exscribere. Tota causa est in cognoscenda, ac statuenda vi constitutionum capitularium, super quarum vigore, & æquitate partes utrinque acerrime conflictantur.

Judicium erit EE. PP. super dubiis

I. *An Ecclesiasticis Ordinandis, & in aliquo Seminario, aut Convictu Ecclesiastico, aut in publica aliqua Universitate degen-*

degentibus bonificari debeat servitium Subdiaconatus, & Diaconatus, perinde ac si essent præsentes, & inservirent Ecclesiæ receptitiæ S. Sabini.

II. *An, & quæ servitia ad effectum participandi teneantur explere iidem Ecclesiastici post Sacerdotium regressi ad Ecclesiam Canusinam.*

III. *An Josepho Senese, Michaeli Rossi, & Nicolao Morra bonificari debeat servitium post reditum ad eamdem Ecclesiam Canusinam.*

IV. *An, & quas attestationes super peritia in Cantu Gregoriano exhibere debeant Capitulo prædicti admittendi ad servitium in divinis in Ecclesia Canusina; & quid quoad attestationes super peritia in Theologia morali.*

V. *An Presbyteris, qui noviter ad participationem admittuntur in primo admissionis anno debeatur integre eleemosyna missarum perpetuarum, seu potius aliqua illius pars retineri possit a Capitulo, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Ad formam Constitutionum, & amplius. Ad III. Affirmative a die præsentationis decreti provisionalis, & amplius. Ad IV. Serventur Constitutiones, & ad Emum Præfectum ad mentem, & amplius. Ad V. Ad formam Constitutionum, & amplius.

Sess. 5. cap. 2. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI. Hodiernus Episcopus Tifernas ubi primum administrationem suscepit, pro anno 1751. se ministerium verbi diebus quadragesimæ in sua Ecclesia implere velle declaravit, non designato eo, qui ex certis Religiosorum familiis, uti moris erat, tunc eligi debuisset. Antistitis pietatem ac diligentiam etiam ii, quorum jura imminui videbantur, non improbarunt. Sed cum post tertiam concionem alium sui loco extra ordinem subrogasset, hinc rumor, ac suspicio de fallacia, qua omnimodam eligendi libertatem Episcopus aucuparetur. Magistratus municipalis optimum rebus novis remedium credidit si judicium coram A. C. instrueret super *manutentione antiqui turni*, ac de suo nihil tunc subrogato præter ordinem concionatori tribueret, quemadmodum interposita auctoritate S. Congregationis Boni Regiminis fecit. Ita res quatuor annis per silentium transacta est.

Anno 1755. denuo Episcopus ordinem eligendi variavit; hinc querelæ eorum, qui posthabebantur, & præcipuè ex familia Capuccinorum, & Carmelitarum; quorum favore cum publica officia Capituli, & Magistratus apud Episcopum non profecissent, ad hanc S. Congregationem delatæ sunt.

Ajunt

Aiunt hi nunc longo a tempore quod plurium sæculorum metam præterlabitur, in civitate servatum morem, quo ex certis Religiosis Ordinibus, nempe Minorum Conventualium, & Observantium, Augustinianorum, Servitarum, Dominicanorum, quibus anno 1570. Capuccini, anno 1591. Societatis Jesù alumni, anno 1601. Carmelitæ Discalceati, ex Magistratus consulto per Episcopos approbato, adiuncti sunt, concionatores quoquo anno eligantur, perpetuo ordine, ac circulo. Clarissime id probant ex facto, ex testimonio historiæ, & ex affirmatione Capituli, Communitatis, aliorumque omnium.

Nullum dicunt ex decessoribus Episcopis hunc ordinem usque adhuc intervertere tentavisse. Addunt consuetudinem uti antiquissimam, ac immemorabilem retinendam, eo magis, quia eleemosyna pro concionatoribus datur non ab Episcopo, sed pro æquis partibus *a Communitate, Sacrario, & Fabrica*. ideoque videatur consuetudo inducta ex quasi contractu oneroso: eam esse legitimam, & a jure non improbatam, & eidem post completam centenariam favere omnia iura.

Adiiciunt non audiendum Episcopum ajentem concionatores olim electos *potius zizaniam, quam triticum seruisse*: id certe verum non esse, prorsus vero injuriosum tot clarissimis Episcopis Tifernatibus, qui ante fuerunt: præterquam quod Episcopum approbare posse concionatores, vetare ne alienum dicant, iubere ut desistant: præterea absonum, ac extra omnem fidem, quod in tot Ordinibus Regularium, qui universam Ecclesiam illustrant, non inveniantur, qui apte concionentur, & sanam, ac prudentem doctrinam pro Tifernati ecclesia habeant.

Interrogatus Episcopus, tandem iterato EE.PP. jussu respondit. Consuetudinem videtur non impugnare, sed de controversia suum sensum plane non aperit, ut videre est in *relatione*, quæ circumfertur.

Ministerium verbi Episcopis injunctum est uti proprium, ac primarium munus, quod si per se ipsos obire nequeant, per alios a se missos adimpleant *cap. Excomunicamus §. Qui vero de Hæreticis Concil. Trid. cap.2. sess.5. de Reformat.*

Disputant Canonistæ an hoc jus eligendi ab aliis acquiri possit per consuetudinem, quam nonnulli sufficere ajunt quadragenariam, viden. *Barbos. ad Conc. Trid. sess.5. de Reformat. Card. de Luc. Miscell. Eccles. disc.27. num.5.*, sed tantum pro Ecclesiis inferioribus.

Pro Cathedrali communis est sententia neque sufficere immemorabilem, ut ex *cap.4. sess.24. de Reformat.* pluries censuit S. hæc Congregatio, & præcipue *in Æsina Juris nominandi Concionatorem die* 30. *Septembris* 1702. *lib.52. Decret. pag.*773. videndus *Card. de Luc.* loco citato, *& Gallemar. ad Concil. Trident. d. cap.4. sess.24. de Reformat.*

 Et

Et quamvis *in Prænestina Juris Concionandi* 23. *Aprilis* currentis anni ageretur de concionatore ecclesiæ Cathedralis, attamen tunc quæstio non erat cum Episcopo, qui jus sibi electionis libere vindicaret. Ratio ejus rei certissima est, quia vi præscriptionis acquiri nequeunt, quæ supra humanum jus sunt, vi præsumptionis præsumi non possunt pacta, quæ non substinerentur, aut privilegia, quibus abalienentur Episcopi a pascendo grege, ac pene prohibeantur ne in ipsa sede ecclesiæ suæ, vel manu, vel ductu suo, filiis suis suum panem frangant.

Duo advertenda videri possunt: primum, quod hic vere non agitur de privando Episcopum suo jure eligendi, cum Tifernates Episcopi concionatores elegerint semper; sed an possit consuetudine immemorabili, & supra centenariam induci, ut electio intra certos, licet amplissimos limites, qui in casu, de quo agitur, ampliores esse non possent, contineatur:

Alterum, an quando omnimodæ libertatis jus asseratur Episcopo, ad eum solum pertineat dare eleemosynam pro concionibus. Videndum quid de hoc affirment Canonistæ, & præ aliis *de Luc.*, *& Gallemart loc. cit.*

Sacra hæc Congregatio in prædicta *Æsina* 30. *Septembris* 1702. ad dubium *an, & ad quem spectet jus nominandi Concionatorem quadragesimalem in casu &c.* respondit *electionem spectare ad Episcopum, soluta tamen per eum Eleemosyna*. Dubium

An electio Concionatoris Quadragesimalis Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Castelli fieri debeat per Turnum ex Religionibus PP. Conventualium, Observantium, Carmelitarum, Augustinianorum, Servitarum, Dominicanorum, Capucinorum, & Jesuitarum in casu &c.

Negative, soluta tamen per Episcopum eleemosyna: sin minus affirmative servato turno, salva facultate Episcopo variandi intra eundem turnum.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

TRANEN. TAXÆ. Indicta ab Archiepiscopo Tranensi contributione taxæ pro suo Seminario super bonis ecclesiasticis locorum omnium suæ diœcesis, actum de ea est in hac sacra Congregatione *die* 14. *Maji* hujus anni, cum permulti, ac fere omnes bonorum possessores se exemptos dicerent. Proposita fuerunt hæc dubia

I. *An PP. Ordinis Prædicatorum S. Dominici, Minor. Conventualium S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, S. Joannis de Deo, Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Societatis Jesu, & Cœlestinorum Civitatis Baruli, & respective Corati teneantur ad taxam pro Seminario.*

II. *An Capitulo Ecclesiarum S. Mariæ Majoris, & Sancti Joannis de Deo dictæ Civitatis Baruli teneantur ad eandem taxam.*

III. *Ad*

III. *An Monasteria Monialium S. Stephani, S. Luciæ, & S. Claræ ejusdem Civitatis Baruli teneantur ad prædictam taxam.*

IV. *An possessores Beneficiorum, seu Legatorum piorum de domo, & familia Grisono, Valentini, Nangione, Barbirosso, dell' Aglio, Raimondi, Querlote, Bonelli, Veneri, Scioti, Anelli, Caldi, Pacis, Gerardini, & Molini; nec non S. Mariæ Constantinopolis, Sanctissimæ Assumptionis, SS. Blasii, & Nicolai de Tolentino, S. Michaelis Archangeli, Purificationis, & S. Ægidii dictæ Civitatis Baruli teneantur etiam ad illam.*

V. *An Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Corati teneatur ad prædictam taxam.*

VI. *An Monasteria Monialium Sanctissimæ Annunciationis dictæ Civitatis Corati teneantur pariter ad eamdem taxam, in casu &c.*

Responsum est:

Ad I. *Quoad PP. S. Joannis de Deo affirmative, quoad PP. Cælestinos videatur particulariter, quoad reliquos negativè.*

Ad II. & V. *Affirmative ad formam Instructionis san. mem. Benedicti XIII., & amplius.*

Ad III. *Affirmative, & amplius.*

Ad IV. *Affirmative, & amplius.*

Ad VI. *Affirmative, & amplius, & ad Emum Præfectum ad mentem, suspensa interim executione taxæ.*

Quæ tunc dicta fuerunt patent *ex folio ejus diei*, & ex partium scriptis, quæ hic referre necessarium non est. Illud modo est dicendum, quod acquieverunt omnes huic Sacræ Congregationis edicto præter unos Religiosos S. Joannis de Deo, qui controversiam instaurant, atque injuria se non comprehensos prædicant in exemptione aliis Mendicantibus concessa.

Ajebant tunc se potiri communibus privilegiis cum Mendicantibus per constitutionem *Sacrosanctam san. mem. Urbani VIII.*: id rationi consonum esse, quia instituto suo habent curam infirmorum, pro qua omnes suos reditus consumunt; ea de causa etiam a collectis se exemptos esse.

Respondebat Promotor fiscalis curiæ Tranensis, ex privilegiis illius Ordinis non derogari expresse, uti oportebat, juri competenti seminariis pro exigenda taxa conciliari: præterea per constitutionem san. mem. Benedicti XIII. sublata esse omnia privilegia, quæ non essent ex causa vere, & proprie onerosa: contributionem deberi super aliis bonis, quæ possidebantur præter addicta alendis, & curandis infirmis: demum hospitalia omnia comprehensa esse in *Instructione* jussu ejusdem Pontificis *edita* §. *V. num.* 16. laicorum hospitalibus tantum exceptis.

Nunc jura sua majori conatu repetunt: se vere, & in sua ori-

gine Mendicantes dicunt; patere id ex ipsa erectione primi hospitalis facta a Fundatore in civitate Pedicæ: Sanctum *Pium* V. Institutum evexisse ad dignitatem Religionis sub regula S. Augustini, ut ex Constitutione *Licet anni* 1571. *Sixtum V.* concessisse, ut Capitulum generale cogerent, atque Ordinis superiorem eligerent: *Gregorium XIV.* concessisse omnia privilegia, quibus potiebantur Archihospitale S. Spiritus in Saxia, aliaque hospitalia Urbis: quod fecit & *Paulus V.* pro Regnis Hispaniarum: Ordinem hunc tot Pontificum beneficiis cumulatum, summa benignitate respexisse *Urbanum VIII.*, qui in constitutione *Sacrosanctum* 1624. inter Mendicantes connumeravit, eique omnia privilegia Ordinum Mendicantium dedit.

Affirmant præter hæc se uti Mendicantes ab omnibus semper habitos, etiam ab hac Sacra Congregatione, quæ facultates concessit alienandi sine expeditione Apostolici brevis, ut Mendicantes faciunt, ac a Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, quæ facultatem tribuit celebrandi sacrum in oratoriis hospitalium, uti Mendicantibus datur.

Notant quidquid erogatur in alimoniam Religiosorum intelligi debere erogatum pro ipsis pauperibus infirmis, quibus inserviunt, & quibus administri necessarii sunt: ea de causa in ipsa Civitate Baruli se eximi a contributione pro publicis oneribus, quam alii Mendicantes solvunt: defecisse regiam contributionem, quæ pro militibus alendis habebant.

Addunt omnia bona ab eis possessa Baruli spectare ad Communitatem, quæ bona dedit pro curandis infirmis, statuens, quod in casu, *che detti Padri si occupassero in altro esercizio che fosse contrario a detta Ospitalità &c.*, *che in tal caso sia lecito a detta Università ripigliarsi detto Ospitale coll' introito di essa senza contradizione*: hinc hospitale Baruli non esse comprehensum in *Instructione* hujus Sacræ Congregationis; quia illud precario retinent, & loco laicorum tantummodo administrant.

Institutum S. Joannis de Deo certe utilissimum omni humanitati, ac christianæ charitati maxime consentaneum, perpetuo Summorum Pontificum favore auctum, an exemptione hac aliis Mendicantibus concessa potiri debeat, decernent sua sapientia EE. PP. in Causa, quæ statum facit.

Dubium

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad PP. S. Joannis de Deo, in casu &c.

Prævio recessu a decisis bona pro manutentione Hospitalis Baruli non teneri.

BAL-

BALNEOREGIEN. Ex testamento Bonaventuræ Brunelli Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Nicolai Balneoregien. ex asse hæres curavit, ut duæ sibi secundum legem testamenti adjungerentur præbendæ canonicales, quæ auctoritate Ordinarii anno 1694. erectæ sunt *pro duobus Presbyteris, seu Clericis sæcularibus, qui ad instar veterum Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ locum, & stallum in ipsa Ecclesia, ac illius Choro, ac vocem in Capitulo habeant*. Juspatronatus earum familiæ de Victoriis reservatum est: *Hieronymo de Victoriis filio quondam Angeli sua vita durante, & post ejus mortem aliis filiis, & descendentibus masculis dicti quond. Angeli de Victoriis in infinitum, & provenientibus ex linea descendentium tantum Jus Patronatus dictorum duorum Canonicatuum, ac præsentandi, & nominandi Canonicos quotiescumque vacare contigerit*.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

San. mem. Innocentius XII. cum antiqua Cathedralis ecclesia S. Donati Balneoregien. minaretur præsentem ruinam, ex duabus Ecclesiis unam fecit, atque unitis earumdem præbendis illam S. Nicolai anno 1698. in novam Cathedralem erexit.

Nuperrime fratres de Victoriis ad vacantem unius ex præbendis, quarum jus nominandi habent, præsentarunt Hieronymum Victorii. Renuit Episcopus dare institutionem ob defectum ætatis in præsentato, qui in decimonono ætatis anno est; existimans Apostolicam dispensationem necessariam esse. Hinc judicium Sacræ Congregationis exquiritur, num dispensatio necessaria sit; num alias sit concedenda. Episcopus laudat adolescentem de moribus, ac de studiis.

In canonicatibus ecclesiæ Cathedralis certa est regula, requiri ætatem 22. annorum, nisi majores Ordines præbendæ sint annexi ex canone Tridentino *in sess. 24. cap. 12. de Reformat.*, & declaratione Sac. Congregationis *in Algarbien. relat. per Garz. de Benefic. part. 7. cap. 4. num. 29.*, *Barbos. de offic., & potestate Episc. part. 3. allegat. 60. num. 7.*, *& de Canonicat. & Dignitat. cap. 13. num. 9. & 10.*

Patroni cum præsentato allegant, quod præbenda erecta primum fuerat in ecclesia *collegiata*, quæ hanc ætatem non postulat; quod erecta fuerit pro *presbyteris*, seu *clericis*; & quod Innocentius XII. in erectione novæ Cathedralis, ac unione canonicatuum expresse dixit. *Secundo dictam verò Ecclesiam prævia etiam Prioratus, & Canonicatuum in eadem existentium suppressione in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione SS. Nicolai, & Donati Baren. nuncupat., & in ea dictum Prioratum in infrascriptam secundam ejusdem Cathedralis erigen. dignitatem, dictosque sex Canonicatus cum singulis illius, illorumque Præbendis in Canonicatus, & Prebendas ejusdem Cathedralis erigen.*, [*quem, & quos eisdem Clericis, sex Presbyteris illum, & illos ante illius, & illorum suppressionem, & præ-*

sen-

sentem erectionem respective obtinentibus sine aliquo eorum præjudicio respective conferimus, & de illis etiam providemus, perpetuo tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Ajunt præterea, quod in ecclesia Balneoregien. nulla adest distinctio Ordinum, ideoque neque obligatur canonicus ad suscipiendum statim Ordinem annexum præbendæ, ut in his casibus DD. distinguunt.

Considerandum est ex literis Apostolicis erectionis, num per ea verba, quæ superius exscripta sunt, illæsa remanserint jura illorum tantummodo, qui tunc temporis præbendas obtinebant, an aliorum etiam, qui succederent, ac simul patronorum, de quibus literæ Apostolicæ non loquuntur.

Præterea cum Pontifex *collegiatæ* præbendas Cathedrali univerit, easque ad dignitatem præbendarum cathedralium evexerit, an illarum immutarit certe naturam; ita ut ex ipsa rei intrinsecus acquisita qualitate, suppositæ extiterint legi, cui subjiciuntur cujusque Cathedralis præbendæ: num alias ei legi expresse derogandum fuerit: num quando expresse derogatum non sit, in dubio sit credendum noluisse Pontificem derogare legi universali, ac per totam Ecclesiam receptæ.

Multo magis quia, si aliquod præjudicium patronis illatum fuisset, illud cum majori dignitate præbendarum compensatum videri potuit, ac patroni non contradixerunt, neque alias conquesti sunt; ideoque an debeat præsumi cum eorum scientia etiam consensus.

Super his omnibus EE. PP. expectatur sententia, quæ apud posteros in ecclesia Balneoregien. exemplo erit.

Cum vero dispensatio necessaria censeatur, pro ea concedenda facit, quod præsentatus est de sanguine patronorum. *Sac. Congregatio in Collen. Capellaniæ* 12. *Decembris* 1717. *Grifien. Dispensationis* 15. *Martii* 1717.: quod nemo concurrat, qui habeat jus quæsitum, sive sit magis idoneus. *Barchinonen. Dispensationis* 30. *Januarii* 1740.: quod facile Sac. Congregatio his dispensationibus annuat. *Cathacen. Dispensationis* 15. *Martii* 1717. *Lucana Beneficii, seu Capellaniæ* 17. *Maji* 1749. *Asculana Capellaniarum super Dispensatione* 22. *Augusti* 1750. *Cremonen. Dispensationis* 4. *Martii* 1750. Et de ipsa ecclesia *Balneoregien. Dispensationis* 21. *Junii* 1760. pro puero tunc decenni, qui hac dispensatione præbendam Cathedralis in præsenti retinet. Quæritur

I. *An Clericus Hieronymus Victorii indigeat dispensatione super defectu ætatis ad assequendam præbendam Canonicatus in Cathedrali Balneoregien., ad quem a patronis fuit legitime nominatus, & quatenus Affirmative.*

II. *An dispensatio sit relaxanda, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

FUL-

FULGINATEN. Virginius Turchi Prior Cathedralis ecclesiæ Fulginatis inter alia plura, nonnulla modicæ summæ, & fere inutilia legata fecerat favore incertarum personarum quotannis præstanda, quæ conflabant annuam quantitatem scutorum 35., præter eleemosynam panis ad quantitatem scut. 50. die obitus anniversaria pauperibus distribuendam. Acta est causa in hac Sacra Congregatione *die* 14. *Decembris* 1762., ut commutaretur voluntas de iis parvis legatis, ac eleemosyna, quæ unirentur duodecim novis præbendis beneficialibus erigendis ex testamento in eadem ecclesia. De aliis legatis placuit, non autem de eleemosyna panis, quam Sacra Congregatio denegavit. Videndum est *folium diei* 20. *Novembris* ejusdem anni.

Sess. 22. *cap.* 12. *de Reform.*

Post hæc domi testatoris reperta fuit non exigua, quæ in scrinio latebat, pecunia. Hinc conservatorium Orphanarum Fulginei, atque alterum mulierum Pœnitentium ejusdem civitatis supplicarunt SANCTISSIMO pro aliqua parte ejus hæreditatis sibi assignanda. SANCTISSIMUS, postquam Episcopus super novis ejusmodi precibus auditus fuerat, *remisit preces ad Sacram Congregationem Concilii, nec non mandavit votum Sac. Congregationis super iisdem precibus, & relatione Episcopi referri Sanctitati Suæ una cum resolutione edita super dubio proposito die* 4. *Decembris præteriti anni* 1762.

Nunc pro duobus Conservatoriis, quibus adhærent, qui nomine erigendarum præbendarum veniunt, proponitur causa. Contradicit unice Capitulum.

Episcopus peritiam super ea parte hæreditatis, de qua agitur, ejusque fructibus transmisit; atque hæc habet: *Quapropter cum distribuenda ex legato habeamus annua scuta* 149., *prout ex indicato fol. lit. A: nempe quod scut.* 81. *circiter ex viginti novem Romanis Montium locis jam coemptis cum dictis pecuniis in hæreditate inventis, & ex alienatione fructuum extantium, atque mobilium retractis, & quoad aliqua scuta* 67. *circiter ex domo, & alia domuncula, orto, & molendino, quorum accuratam peritiam conficiendam curavi juxta praxim communiter receptam, cum autem ex dictis sc.* 149. *detrahi primo debeant scuta* 50. *pro annua panis eleemosyna pauperibus Civitatis facienda, ac deinde alia scuta* 35. *demi pariter debeant favore Præbendarum beneficialium erigendarum pro inutilibus iis legatis, quibus Sac. Congregatio sub die* 4. *Decembris censuit esse derogandum, quibus sic demptis remaneant adhuc distribuenda in annos singulos sc.* 64. *Ex iis scut.* 50. *meo quidem judicio loco pio Orphanarum, & reliqua scuta* 14. *merito attribui posse crederem in præmium gerendæ administrationis Collegio Beneficiatorum, cui onus tot annualium præstationum perpetuo incumbit. Loco vero Mulierum pœnitentium assignari poterit prædicta dimidia pars legati panis, nempe scut.* 50.

Nomine præbendarum erigendarum dicitur necessariam esse

hanc

hanc accessionem scut. 14. , ut cum iis , aliisque scut. 35. jam concessis, impleatur voluntas testatoris de numero Beneficiatorum saltem usque ad decem ; propterea quod reditus in hoc opus relicti non sufficiunt pro erigendis duodecim præbendis , uti defunctus exoptaverat .

Pro utroque Conservatorio in medium affertur paupertas testimonio Episcopi probata , cui hoc adjumento levamen aliquod præberetur . Additur in legatis favore pauperum , præferendas semper fœminas , & potissimum pauperes orphanas ; ac pauperes pœnitentes , quæ in claustris degunt ; maxime pro eleemosyna panis , cujus ingens distributio una die pro Civitate Fulginei esset parum opportuna , & propemodum inutilis: præterquamquod in eo distribuendo non modicos abusus irrepsisse , ut advertit Episcopus, & affirmant testes .

Capitulum petitionem impugnat respectu pecuniæ repertæ, quam ex testamento suam dicit , quamque esse erogandam ait in erigendis duodecim præbendis , ut testator voluit : incivile , ac præter omnem legem esse , & contra expressam defuncti voluntatem , quod minores præbendæ erigantur , & in alios diversos usus hæreditatis compendium vertat .

Profecto certum est , quod testator in testamento reliquit Capitulo præter certa designata bona , *il danaro, che si ritroverà in mia casa in tempo della mia morte , detratte le spese del funerale , parimenti gli argenti , e le gioje* : in codicillis vero eidem Capitulo reliquit loca Montium . Legatum pecuniæ, argenti , & gemmarum expresse ademptum non est , licet prope finem post alia , addiderit = *ma perche io suppongo , che la sopranominata somma di annui scudi* 35. 40. *di spese per detta coltura, premii &c. sia molto inferiore dell' annuo frutto, e rendita del valore ritratto dalle mie case ; molino , mobili , frutti , e danaro esistente alla mia morte , perciò ora aggiungo , che nel giorno anniversario della mia morte si dispensi a poveri una somma di scudi* 40. , o 50. *residuali del detto conto in tante pagnotte più , o meno ; secondo la quantità del danaro per poveri* .

Certum itidem est , quod in tabulis testamentariis collegium duodecim præbendarum erigendarum hæredem voluit ; & in codicillis idem collegium hæredem universalem instituit , licet certa eidem bona assignaverit .

Existimat itaque , Capitulum sibi non ademptum pecuniæ legatum , ac se liberaliter agere , si eam pecuniam erogandam consentit in erectione præbendarum ad numerum duodenarium , quem testator totis tabulis in ore habuit ; eoque saltem modo hæreditaria pecunia hæredi universali accrescat ; hæredem etenim universalem esse collegium duodecim erigendarum præbendarum beneficialium impugnari non posse .

Quic-

Quicquid de hoc dici debeat, advertendum in facto est, quod licet testator in codicillis in eadem conjunctione, & continuatione verborum locutus fuerit de *mobilibus*, & *pecunia*; attamen legatum pecuniæ ademptum dicitur, sed gemmas, & argentum Capitulum habuit; & Episcopus ipse favet aliis precibus a Capitulo huic Sacræ Congregationi oblatis, ut alienentur in usum sacrarii. Sub appellatione *mobilium*, gemmæ, & argentum de jure veniunt, maxime cum testator de mobilibus loquitur non respectu alicujus domus, sed respectu hæreditatis, ut est in casu. Saltem non ita res expedita est, ut unum Capitulo dari debuerit, dum alterum denegatur.

EE. PP. sua prudentia quid sit SANCTISSIMO consulendum constituent.

Dubium

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro nova commutatione voluntatis Virginii Turchi.

Sess. 23. cap. 16. de Reform.

ROSSANEN. Duo fratres Masci, ex oppido Italo-Græcorum S. Georgii diœcesis Rossanensis, qui græci ritus ceremoniis baptismi habuerant, cum literis proprii Ordinarii, sine dispensatione Apostolica, ritu latino ab Episcopo Bisinianensi clericalem tonsuram, ac minores Ordines susceperunt. Proposita est quæstio in Sac. Congregatione de eorum absolutione ac dispensatione deque eorum ascensu ad majores Ordines sive græco, sive latino ritu. Caput totius controversiæ erat de interpretanda notissima constitutione *Etsi Pastoralis* san. mem. Benedicti XIV. Inutiliter hic repeterentur omnia, de quibus *est folium diei* 14. *Maii hujus anni*.

Sac. Congregatio *die* 4. *Junii* ejusdem anni, dilata causæ decisione, mandavit, ut scriberetur Archiepiscopo *juxta mentem*. Litteræ itaque ad Archiepiscopum datæ sunt, ut referret, num ii, dum Ordines susceperunt, *declaraverint animum suum, seu voluntatem habuerint transeundi ad latinum ritum, seu potius remanendi in suo græco ritu, & quid ea de re exprimatur in dimissoriis illorum favore concessis tum pro tonsura prædicta, tum pro reliquis minoribus ordinibus, ac insuper cui Ecclesiæ adscripti fuerint vigore S. Concilii Tridentini, & quo titulo fuerint ordinati, quove ritu in susceptis Ordinibus ministraverint.*

Pervenerunt jam Archiepiscopi responsiones. Refert I. *se pro explorato habere Clericos ipsos in actu petitionis, susceptionisque memoratæ Tonsuræ, & reliquorum minorum ordinum, aliam profecto voluntatem non habuisse nisi transeundi ad latinum ritum*: id patere ex ipso primo Libello fratrum, & ex eorum vita postmodum acta.

II. Nihil in dimissoriis ab Antecessore *illorum favore concessis tum pro tonsura prædicta, tum pro reliquis minoribus Ordinibus expressum fuisse de transitu eorumdem a ritu Græco ad latinum cum datæ fuerint Dimissoriæ typis editæ, quibus uti consuevit pro ordinationibus latinorum Diœcesanorum.*

III. *Adscriptos fuisse servitio Archipresbyteralis Ecclesiæ Oppidi S. Georgii, ubi non Græce solum vivitur,* quod in prima *relatione* non dixerat. Addit in eadem Ecclesia altare distinctum pro latinis esse, ibi sacrum Ciborium cum azimis de mandato S. Congregationis de Propaganda Fide asservari; adesse presbyterum latinum oppidanum qui latinis ministrat.

IV. *Ordinatos fuisse titulo patrimonii ab utilitatem Ecclesiæ.* Aitque revera utiles, ac necessarios Ecclesiæ eidem, in qua unus tantum presbyter latinus sexagenarius est, ac nemo apparet ex oppidanis, qui hoc ritu promoveri cupiat.

V. *Ritu latino ministrasse, & licet ministraverint etiam Archipresbytero S. Georgei ritu Græco celebranti, id tamen ex commissione potius, quam ex officio gessisse profitentur in defectum scilicet aliorum ritus Græci.*

Laudat juvenes *de optima spe, de doctrina, de modestia,* atque uti *Ecclesiastico spiritu præditos.* Adiicit denique quod quacumque sua de præteritis ratihabitione nunc opus sit, ipse omnia rata habet.

Re in hunc modum digesta, præter alia, quæ jam antea dicebantur, unice modo inquirendum superesset, an postquam fratres Masci preces Episcopo obtulerant qua declaraverant se velle ad latinum ritum transire, si Episcopus pro eisdem *literas dimissorias* ad latinum Episcopum dedit, dicendum sit facto ipso Episcopum eam licentiam concessisse, quam constitutio Benedictina requirit. Proponitur causa super iisdem dubiis

I. *An Clerici Joannes Andreas, & Franciscus Antonius Italo-Græci sed ad primam tonsuram, nec non quatuor minores ordines cum litteris dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione Apostolica, ritu latino promoti absolvendi sint ab incursa suspensione, ac dispensandi super irregularitate, & quatenus affirmative.*

II. *An iidem Clerici licite ad reliquos majores ordines eodem ritu latino promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Græcum.*

III. *An consulendum sit SSmo pro Apostolica dispensatione, ut uno vel altero ritu ad eosdem majores ordines promoveantur in casu &c.*

FINIS.

IN-

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1763.

Salvo

D

Di-

E

Expen-

Jesu

L

M

O

P

Et

Q

Sex

T

F I N I S.

INDEX CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ fuerunt in Foliis Causarum anni 1763.

A

B

C

Et

D

E

di-

F

Neç

M

Nec

N

Quo

Q

R

Re-

S

T

Mo-

V

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quae prodierunt Anno MDCCLXIV.

R. P. D.

PHILIPPO M. PIRELLIO

SECRETARIO.

TOMUS XXXIII.

ROMAE MDCCLXIV.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1764. *Per Diœceses dispositus* .

Lu-

Die Sabbati 14. Januarii 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

POSTREMA, quæ præterito anno die 17. Decembris habita est Congregatio, sex causis responsum dedit. Reliquæ tres proponuntur modo.

BALNEOREGIEN.

I. *An clericus Hieronymus Victorii indigeat dispensatione super defectu ætatis ad assequendam præbendam Canonicatus in Cathedrali Balneoregien., ad quem a patronis fuit legitime nominatus, & quatenus affirmative.*

II. *An dispensatio sit relaxanda, in casu &c.*

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

Ad primum, & secundum affirmative.

FULGINATEN.

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro nova commutatione voluntatis Virginii Turchi.

Sess. 22. cap. 12. de Reform.

Dilata, & proponatur, una cum altera cum novis dubiis, & ad Dominum Secretarium juxta mentem.

ROSSANEN.

I. *An clerici Joannes Andreas, & Franciscus Antonius Italo-Græci, sed ad primam tonsuram, nec non quatuor minores ordines cum literis dimissorialibus Ordinarii, sine tamen dispensatione Apostolica, ritu latino promoti absolvendi sint ab incursa suspensione, ac dispensandi super irregularitate, & quatenus affirmative.*

II. *An iidem clerici licite ad reliquos majores ordines eodem ritu latino promoveri possint, sive potius redire debeant ad ritum Græcum.*

Sess. 23. cap. 16. de Reform.

III. *An consulendum sit* SANCTISSIMO *pro Apostolica dispensatione, ut uno, vel altero ritu ad eosdem majores ordines promoveantur, in casu &c.*

Ad primum non indigere, ad secundum affirmative ad primam partem, negative ad secundam, ad tertium provisum in primo.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

CAJACEN. PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. De vacanti præbenda theologali Cajacen. ecclesiæ, quam Sylvester Sangiovanni ad dignitatem primicerii evectus retinebat, literas Apostolicas pro se obtinuit sacerdos *Julius Martonus* e terra Albiniani ejus diœcesis, unus ex quatuor, qui examen subierant in concursu jussu Eminentissimi Prodatarii coram Episcopo Cajacensi indicto. Competitores Martonus in eo concursu tres Cajacenses habuerat, quorum partes facile complexa est ea civium Communitas, quæ ad excludendum externum hominem duos Romam misit. Horum opera non profecit, ut literæ Apostolicæ Martono non darentur. Sed non animo destituta Communitas nec oppositionem quoquomodo intermisit, nec adhuc cessat. Hinc ejus querelis ad hanc Sacram Congregationem delatis, de iis agendum nunc est.

Allegat Communitas contra omnem rationem Martonum prælatum fuisse: necessariam esse in præbenda theologali lauream in sacra theologia, quam Martonus non habebat: non fuisse approbatum per examinatores: non esse nobilem, sed obscuro oppido natum *Albiniani*, ex quo nulla nobilitas venire potuit: non fuisse concionatorem quadragesimalem, ut expresserat. De favore, ac studio erga Martonum accusat Episcopum, cujus auctoritate adactos examinatores, ne apertissime, uti alioqui fecissent, Martonum reprobarent: male, & cum fraude gestum concursum; aliaque in id cumulat contra non suum civem.

Martonus vero se omnibus, quæ necessariæ essent qualitatibus præditum affirmat: se in sacra theologia *licentiatum* fuisse: de requisitis supra cæteros expresse approbatum ab examinatoribus, qui se designarunt *quoad doctrinam demisse*, *quoad requisita vero excellentius*: se a majoribus nobilibus ob acceptam sive in jure, sive in philosophia lauream descendere; ideoque nobilem dici debere *Tiraquell. de Nobilit. cap. 5. num. 3. Card. de Luc. de Præbend. cap. 5. num. 8.* fuisse concionatorem quadragesimalem: probari, confirmarique alia omnia de suis meritis; nimirum fuisse alias approbatum ad præbendam pœnitentiariæ usque ab anno 1742.; præfuisse pluribus congre-

gregatipnibus ; curam animarum gessisse, ac sexennio in seminario Cajacensi præceptorem egisse.

Adjicit cautum non esse in jure præferendos, qui scientia præcedunt; imo expresse statutum, ut præcipue de moribus, aliisque rerum circumstantiis habeatur ratio, & quidem etiam in parochialibus *cap.cum in cunctis de elect. Concil.Trid. sess.24.cap.18.de reform., Rot.decis.521.num.1.part.3.recent., & in Beneventana 13.Junii 1590. coram Orano.*

Interrogatus super hac controversia Episcopus, se in neutram partem ab initio inclinatione voluntatis propendisse ostendit: patere id evidentissime ex actis concursus, & ex prima sua relatione de concurrentibus data: examinatores vere ad externum Martonum excludendum pronos, sed aperte eum reprobandi animum non habuisse: se, nedum ullo studio in alterutram ex partibus non inclinasse, sed ad compescendos rumores civium, ad Eminentissimum Prodatarium dedisse literas, ut unus ex civibus præferretur: hinc injuria nunc cuncta in diversum trahi, quæ omnia recte, atque ordine facta esse recitat; ut ex ejus relatione, quæ in scriptis datur.

Sane considerandum in causa esset num post concursum indictum jussu *Sanctissimi*, & requisitum judicium examinatorum, *tam de doctrina, quam de moribus, ac de aliis qualitatibus, pro instructione animi, ut inde eligeret Pontifex quem cæteris digniorem, & magis idoneum in Domino judicaverit*; & post cognita, ac perpensa per alios examinatores in Urbe acta concursus, inutiliter modo inquiratur, an electus idoneus sit ad præbendam, quam Pontificis judicio, ac beneficentia obtinuit; maxime dum agitur non de præbenda, quæ curam animarum habet, sed de theologali. Necesse hic non est ea de re hic congerere DD. sententias, quæ ubique patent.

Eo casu unice quæstio superesset de veritate narratorum Pontifici. Dubium

An præbenda theologalis sit adjudicanda Julio Martono, in casu &c.

Affirmative assumpta intra annum Laurea Doctorali in Sacra Theologia, & amplius.

URBANIEN. In agro Urbaniensi extat parochia *Provertii*, quæ duas habet ecclesias *S. Andreæ*, & *S. Bartholomæi*, quatuor contermiuas filiales habet *S. Paterniani a Valle*, *S. Eracleani*, *S. Mariæ del Piano*, ac *S. Christophori*. Fons baptismi unice in illa S. Bartholomæi retinetur, etiam pro filialibus; quarum populus mediam decimarum partem archipresbytero *Provertii* parocho solvit. Vacantem parochiam anno 1761. cepit *Joseph Evangelisti* ex oppido Bacchi Fanen. dioe-

Sess.24.cap.13. de Reform.

diœcesis, cui *die* 30. *Januarii* 1762. per hanc Sacram Congregationem indultum fuit, ut per triennium non resideret. Protinus auditæ sunt illorum hominum querelæ de parochi absentia, deque incommodis, malisque omnibus, quæ sequebantur. Hæ demum, ut moderaretur quod parocho indultum fuerat, ad hanc Sacram Congregationem delatæ sunt. De his causa est, quæ acri contentione inter partes agitur.

Quia potestas non residendi facta est parocho ex certis narratis causis, ac certa adjecta lege, præstat initio ipsas preces parochi exscribere, ipsumque rescriptum: hinc fere omnis controversia pendet: *Non vi ha ritrovata casa da potervi vivere da Vomo, e più tosto pare destinata per ricovero d'animali, nè vi è vicina alcuna abitaziona de' pochissimi parochiani, o altra maniera di osservare l' obligo della residenza. Detta Chiesa Parochiale non è distante dalla Città d' Vrbania, che circa un miglio, e mezzo. Ha sotto di se* 54. *anime solamente, che formano pochissime Case, bona parte delle quali restano nelle vicinanze di altre quattro Parochie filiali delle sudette de SS. Andrea, e Bartolomeo, è pure disposto ad accomodarsi alla necessità di fabricare una soffribile abitazione per se, e i successori. L' Oratore non tralascierà ogni Festa di portarsi ad esercitare le funzioni Parochiali nella medesima chiesa da Vrbania, come pure di accorrere ogni ora, e ad ogni tempo di qualunque bisogno, e di più li Parochi delle sudette quattro convicine filiali Parochie ancor essi esibiscono la prontezza della propria opera, che sola è stata sufficiente per qualche tempo dell' antecessore Paroco reso inabile da male, ed età decrepita.*

Episcopus de precibus vera esse retulit, ac summopere de liberalitate commendavit parochum: *Orator suis expensis non minus sibi, quam successoribus, quin potius his melius proderit meritò proinde commendandus, quod operam, & pecuniam propriam in novam ædificationem impendere velit, quam is statim a principio multis fuerit expensis obnoxius.* Multaque addidit, ut ostenderet ex parochi absentia nullum detrimentum venturum populo.

Sacra Congregatio indulsit *ad triennium arbitrio Episcopi, præfixo per eumdem Episcopum congruo termino ad incipiendam quamprimum fabricam domus parochialis, ac proviso pro ejus arbitrio, & conscientia mediis, quæ ipsi videbuntur magis opportuna indemnitati Curæ Animarum.* Evangelisti parochus, quod ante fuerit, & tunc temporis esset Vicarius generalis Urbaniæ non dixit, & Episcopus tacuit.

Nunc populus universus tam matris parochiæ, quam filiarum, ait falsa narrata esse a parocho, reticita necessaria: domum ad habitandum in parochia haberi idoneam, quam alii usque ad postremum parochum sine ulla querimonia inhabitarunt; probari id testimonio capituli, & magistratus Urbaniæ: falso narratum, quod aliæ domus in parochia non essent, quæ exta-

extabant certe, ac conduci poterant: falſum eſſe quod parochia diſtet tantum a civitate per unum lapidem cum dimidio; duas eſſe ad civitatem vias, unam commodiorem, quæ tertium excedit lapidem, breviorem alteram, ſed aſperam, ac hyeme prorſus imperviam, quæ bis mille, & quingent. paſs. numerat; certum id eſſe ex menſore perito, qui utramque dimenſus eſt.

Deinde allegat parochum reticuiſſe, quod præter ædes finitimas eccleſiæ *S. Andreæ*, alia inerat propria parochi domus prope eccleſiam *S. Bartholomæi* ad habitandum opportuna, ut affirmant teſtes: reticuiſſe, quod fons baptiſmi pro univerſis parochiis in ſua ſola eccleſia eſſet: reticuiſſe, quod munus Vicarii generalis gereret, quod munus cum cura parochiæ convenire non poſſe contendit.

Præterea adjicit non ſervatam eſſe legem reſcripti; nunquam enim fuiſſe *præfixum terminum ad incipiendam quamprimum fabricam*: parochum ædificare nunquam cæpiſſe, ſed calcem prius paratam vendidiſſe; ſolumque proximo menſe Octobri primam manum admoviſſe operi, quia de exitu cauſæ in hac Sacra Congregatione pertimeſcebat.

De multis demum conqueritur malis, quæ ex abſentia parochi profecta ſunt; de puero nempe, qui baptiſma non habuit; de muliere ſine ſacramentis Eccleſiæ demortua: ſacra vel deeſſe, vel inordinate, ac tempore parum opportuno loci incolis fieri.

Nihil demum addit credendum contrariis teſtibus, qui minis, & terrore curiæ teſtimonia præbuerunt, ut ipſi iidem affirmant, & notarium ipſum a curia male habitum, ac carcerum timore concuſſum. Poſtremo ipſum magiſtratum civitatis petitionem populi juſtam exiſtimare, pro eaque preces nunc offerre; quæ omnia, aliaque ex ſcriptis circumferendis videnda erunt.

Epiſcopus denuo auditus totis viribus favet Vicario: falſo inquit uſurpari nomen populi: confirmat juſtas cauſas abſentiæ; parochum laudat uti *boneſtum, juſtum, ac diœceſi admodum utilem*: exempla aliorum ſuæ diœceſis parochorum affert, qui in parochiis non habitant: acta tranſmittit cum teſtibus, qui partes parochi adjuvant. Ea patent ex ejus relatione, & ex actis.

Quod Vicarius generalis Epiſcopi nequeat ſimul eſſe parochus, præſertim ſi parochia extra civitatem ſit, Canoniſtæ non contemnendi affirmant *Barboſ. in ſumm. collect. deciſ. verb. Vicarius num. 3.* Id pluries decrevit S. Congregatio Epiſcoporum in *reſolutionibus*, quas refert *Nicol. in verbo Vicarius num. 37.* Id ipſum ſtatuit Sacra hæc Congregatio in *Nullius die 12. Maii 1629. lib. 14. Decret. pag. 81.* Quod vero parochus tunc eſſet Vicarius generalis Epiſcopi, Parochus, & Epiſcopus diſſimulavit.

Videndum profecto de aliis quæ dicuntur, num multa falſo nar-

narrata fuerint, multa dolo reticita; quod pendet ex librandis probationibus hinc inde allatis. Videndum prӕterea num constet de non implemento legis adjectӕ rescripto, num constet de malis obventis ob absentiam parochi, quӕ antea non timebantur, & quӕ vitari posse parochus, & Episcopus dixerant.

Proponitur

An sit locus moderationi Indulti triennalis concessi a Sacra Congregatione Parocho Provertii super dispensatione a residentia in casu &c.

Affirmative, & amplius, & ad dictum Secretarium pro prӕfixione termini.

Sess. 24. cap. 7. de Reform.

DERTHONEN. IRREGULARITATIS. Curia Derthonen. ad triremes per decennium, & confiscationem bonorum anno 1747. damnavit contumacem sacerdotem *Joannem Baptistam Carboni* occisorem *Alexandri Repetti*. A.C. vero, expectatis diu a curia actis causӕ, quӕ non transmittebat, & Promothore curiӕ causam non tuente, absolvit. Ob querimoniam deinde curiӕ, jussu Pontificis Episcopo Placentino mandatum est, ut de iis cognosceret, atque referret. Sed post relationem Placentini nihil ultra actum est de sententia, & de pœna occisoris.

Hic anno 1749. supplicavit *pro dispensatione ab irregularitate*, quam non obtinuit. Rediit anno 1753., & opponente curia *die* 8. *Maii* 1756. duo fuerunt proposita dubia I. *An constet de irregularitate*. II. *An sit consulendum Ssmo pro dispensatione in casu &c.*. Responsum est ad I. *Affirmative*, *& amplius*. Ad II. *Negative*. Iterum super secundo dubio causa disputata est *die* 19. *Aprilis* 1760.; sed eandem sortem expertus est sacerdos Carboni, responsumque est in decisis. Modo non adhuc victus quarto preces renovat. Videndum est *folium diei* 8. *Maii* 1756., ex quo, & facti species, & plenius repeti possunt, quӕ in causa tunc dicebantur.

Nihil novi iis, quӕ tunc afferebat Carbonus nunc addit. Sententiam A. C. propugnat esse validam, non revocatam: quidquid gestum postea fuit ab Episcopo Placentino ex mandato Pontificis, extra ordinem fuisse; attamen nihil inde de sua sententia postmodum, ac de sua pœna immutatum; ex quo clarissima venit probatio male curiam, recte A.C. de sua causa judicavisse.

Se pro tutela suӕ vitӕ, non ex industria occidisse hominem, perditum moribus, facinorosum, minacem, ac sibi occurrentem armatum: *justum timorem cadentem in constantem virum* tunc eo occursu vincere nequivisse: obtemperasse natu-

rӕ

ræ legibus: saltem pietate, atque indulgentia dignum esse: multoque magis post sexdecim annorum fugam ab admisso crimine, & morosam hujus beneficii dilationem: id consentaneum esse perpetuæ huic S. Congregationis disciplinæ, ut tandem commiseratione, ac benignitate Apostolica, post diuturnam repulsam impertiatur miseris longa malorum patientia, & veniæ expectatione fatigatis, quod aliter juris rigore non obtinuissent.

Urget agi nunc de promoto ante delictum, non de promovendo, ut canonistæ distingunt, *Fagnan. in Cap. Henricus de Cleric. pugn. in duell.* se actæ postea vitæ constanti tenore non solum specimen dedisse pænitentiæ, atque emendationis, & exempla aliqua, & argumenta, sed certissimam probationem.

Promotor Fiscalis tunc obiiciebat esse Carbonum homicidam voluntarium: non in discrimine vitæ, & ex improviso, sed ultore animo, & consulto patrasse crimen: dum recitandis horis canonicis incumbebat, nunciatum adventasse per vicinia Repertum, sponte obviam itum, viso homine inclamasse: *eja modo stipatus tuis non ades?* hinc ex alto nihil tale verentem occidisse: certum id esse, ex testibus qui in re præsente erant, qui viderant: contraria profari a testibus, qui ab aliis affirmant se audivisse: proinde voluntarium homicidam perpetuo ab altari arcendum: nefas esse impias, ac contaminatas humano sanguine manus ad attrectanda unquam pacifica sacra admitti: hoc etiam apud ethnicos olim solemne habitum.

Causa eadem atque integra est, quæ anno erat 1756. Considerandum, num decursum inde temporis spatium, & continuata recte vivendi ratio aliquid favore petentis faciat.

Denuo datur dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis.

In decisis, & amplius.

VICEN. Michael Vicens Hispanus anno 1739. testamento legavit tertiam partem hæreditatis distribuendam pauperibus parochiæ de *Mura* Vicen. diœcesis, cujus erat rector, certa die, ac certo modo; nimirum, quod pecunia omnis ex bonis venditis retrahenda apud ædes parochiæ deponeretur; successores parochi quoquo anno sex e parochia pauperiores seligerent, inde tres sortirentur, quorum unicuique certa daretur summa *scutorum duorum, & obul.* 40., donec pecunia omnis in eam largitionem insumeretur. Vicesimo post anno tabulis codicilli eisdem pauperibus

Sess. 25. cap. 6. de Reform.

bus aliam ejusdem quantitatis largitionem addidit pro comparandis eorum vestibus.

Defuncto testatore executores pecuniam ex tertia parte hæreditatis *ad libras fere bis mille monetæ Cathaloniæ* apud præscriptas ædes deposuerunt. Inde advertentes eam in humili pago, direptionibus, ac latrociniis exposito, parum tute servari, eamque majorem esse, quam testator crediderat, supplicarunt pro commutatione voluntatis, ut perpetuum ex ea simplex beneficium ecclesiasticum constitueretur, quod primo unus ex ipsis *Paulus Vicens* parochus ecclesiæ *S. Petri* testatoris fratris filius obtineret; reservato in posterum utroque patronatus jure familiæ testatoris; possessor vero beneficii, ex reditibus ea omnia, quæ testator mandaverat, adimpleret.

Quia de periculo depositi pertimescebat etiam Episcopus in suis literis, hinc antequam causa proponeretur, decreto hujus Sacræ Congregationis die 27. Augusti superioris anni cautum est, *uti interim pecuniæ ultra demandatam distributionem investirentur tutè favore Operis pii in causam declarandam*.

Causa nunc proponitnr super petita commutatione. Executores allegant vere non commutari voluntatem testatoris, sed impleri pinguius; nihil enim prætermitti ex iis, quæ de pauperibus mandat; imo legato securitatem, ac perpetuitatem, quam non habebat, induci: sufficientes in illud opus impendi reditus; de iis, qui superant, optimum capi consilium cum erectione perpetui beneficii, cui onus perpetuæ largitionis in pauperes injunctum sit: consentaneum hoc æquitati, ac voluniati testatoris ejusdem, ipsique utilissimum, nam ex reditibus quolibet mense sacrum pro expiatione ejus animæ perpetuo esse celebrandum consensiunt: aliter si testamentum, uti scriptum est, impleretur, sine aliquo majori pauperum emolumento, pecumam per centum, & ultra annos, donec universa consumatur, infructuosam retinendam apud ædes non tutas, penes successores parochos fortasse improvidos, ac negligentes.

Addunt testatorem dum codicillos confecit, ac legatum de pauperibus confirmavit, auxitqne, octogenario majorem, jam senio confectum suæ ipsius hæreditatis vires ignorasse; id ex ipsa legati dispositione manifestum; ad quid enim tantam pecuniarum vim servandam mandasset, tam parum tute, per tot manus versandam, decurrente sæculari, & ultra annorum spatio?

Episcopus probat, confirmat, laudatque omnia; imo sacrum quolibet mense celebrandum. de quo supra mentio facta est, ipse adiicit, ut in ejus *relatione*, in qua præter alia, de pecunia ait: *accidere potest, quod aliquis in futurum* *Re-*

Rector illam dissipet, vel tempore alicujus belli periclitetur, ut sæculo in præsenti experientia teste similia pericula, aliisque majoribus in summis, seu pecuniariis quantitatibus dicto in archivio depositis experta sunt : de testatore addit : *cum ultima dicti Testatoris, seu Michaelis dispositio fuerit ab ipso facta octuagenaria, & amplius in ætate absque dubio omnia præ oculis habere non poterat, & si habere potuisset, forsan suis ab executoribus testamentariis cogitatum fuisset, ab ipso met dispositum, & ordinatum, maxime cum prima ejus dispositio relatam ob perpetuitatem melius efficeretur*.

Certe non adeo a voluntatum commutationibus abhorrendum, ut ea, quæ necessaria quandoque sunt negligantur. Vel ætas, vel ægritudo, vel mens sibi parum constans hominum, vel consultorum subtilitas, aut imprudentia, vel scribarum inscitia, occasio interdum, aliaque hujusmodi, plurimas testamentorum dispositiones confundunt, obscuras, atque contrarias sibi ipsis non raro faciunt, ac litibus forum implent.

Quidquid dicendum sit de materia indifferenti, & profana, in re Ecclesiæ ad avertenda incommoda litis, & dispendia, ac compescendos tumultus, non incongruum videtur aliquando, nisi necessarium dicatur, ut de legatis piis suprema Pontificis auctoritas intercedat, qua inconsulte, ac non opportune disposita redigantur in ordinem, & prudentissime constituantur; maxime dum supplentur, quæ scriptis desunt.

Profecto in ejusmodi casu, de quo agitur, ea providentia opus omnino est. Ut ex pecunia bona, ac reditus acquirantur jam consulto decretum fuit. Perpendendum superest modo, num beneficium constituendum sit, uti executores forsan non improvide meditati sunt, de quo testator non cogitavit, vel majores reditus, qui ex acquisitionibus venient, in legatarios pauperes sint erogandi, aucta iis eleemosyna, vel aucto numero.

Ad rem faciunt *Taurinen. commutationis voluntatis* 20. *Decembris* 1732., *Aquen. erectionis Capellaniæ* 20. *Augusti* 1760.

Quid sit legitimum, quid æquum Eminentiss. PP. viderint.

Dubium

An sit consulendum SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Seſs.14. cap.6. de Reformat.

SPOLETINA. Epiſcopi edictum, de quo eſt controverſia ita habet: *s'intenda abbolito l'uſo del Tonnello: niun Sacerdote, o Chierico di Ordine ſagro, ne'divini Offícii, o in altre funzioni ſagre, molto meno poi nel celebrare la ſanta Meſſa, poſſa ſervirſi di altra veſte, che della talare*. Pœnam ſtatuit *ſuſpenſionis a divinis per quindecim dies*, reſervatis aliis arbitrio. Ex tota diœceſi, quæ paruit, eccleſiaſtici Comitatus Nurſiæ, Caſſiæ, & Vallis Narci reclamantes hanc Sacram Congregationem adiverunt. Mitius cum eis actum eſt. Prorogata eſt pro eis non una vice lex, ut de querelis plenius cognoſceretur. Prorogationibus tamen proxime abuſi ſunt, ac in pœnam inciderunt, a qua benignitate hujus Sacræ Congregationis abſoluti, nunc tandem ad judicium veniunt.

Allegant, quod in ſua regione montoſæ viæ ſint difficiliores, & aſperiores, quam in planitie; ſe inter prægelidos, ac nivoſos montes verſari; maximos ibi imbres, perpetuum gelu: difficillimum tranſitum de loco ad locum: hæc notiſſima a pluribus confirmari teſtibus.

Augeri omnia, quia ſub una parochia plures ſunt villæ, caſtra, ac domus ruricolarum, plures eccleſiæ filiales diſſitæ ab habitatione parochi per unum, duo, & ultra milliaria: parochos, ac presbyteros pro adminiſtrandis ſacramentis debere huc illuc diu, noctuque curſitare: non ſolum difficile, ut præſcriptum Epiſcopi impleatur ob incommoda, & pericula, ſed prorſus ſervari non poſſe. Ideo priores Epiſcopos de hoc non locutos, vel ſaltem breviori illa veſte, quam hodiernus prohibuit, contentos fuiſſe; & præcipue Epiſcopum Laſcaris, qui eam uſque ab anno 1712. expreſſe permiſit.

Ajunt decentem eſſe debere veſtem clericalem, ſed non adhuc in jure ſtatutum, cujus modi eſſe debeat, niſi quod recipi debeat, ac retineri ea, quam ex loci qualitate communis uſus probavit *Covarruv. pract.quæſt. cap.*31., & alii. Afferunt exempla aliorum locorum, & etiam Urbis, ac ſimilia ex aliis Synodis de veſte breviori permiſſa.

Epiſcopus interrogatus reſpondit, ſe id feciſſe ſecundum Canones, Concilia, & uſum aliarum diœceſuum. Impugnat incommoda, quæ contra congeruntur: cæteros paruiſſe præter ſolos, & paucos, qui nunc turbas excitant. Animadverſiones dat aliquas ſui Promotoris fiſcalis, quæ in ſcriptis habentur.

Advertendum in facto eſt, quod in edicto additur: *eccettuati i Sacerdoti foraſtieri, che ſono di paſſaggio, e quelli, che vengono da'luoghi della dioceſi in città per i loro intereſſi, o vanno da un luogo all'altro della dioceſi, mentre per queſti permettia-*

mo , che in ogni Sagristia si possa ritenere una , o più vesti talari, anche senza maniche , purchè chiusa da capo a piedi , e purchè abbiano la tonsura clericale, e non portino sotto veste di altro colore che negro .

Synodus Tridentina *sess.* 14. *cap. vi.* præscripsit deferri *vestem ordini , & dignitati congruentem , & juxta Episcopi ordinationem , & mandatum .*

Incommodam fortasse iis terris legem Episcopus tulit . Veteres *frigidam Nursiam* vocitarunt . Sed Sacra Congregatio numquam reprobavit Episcoporum decreta de hac veste , de qua agitur: ut in *Ostunen. Synodi 6. Junii* 1697. , *Melevitana Synodi* 4. *Junii* 1607. , *Sorana Edicti* 20.*Maii* 1719.

Pœnas tamen vel delevit , vel immutavit nonnunquam , & persæpe moderata est , ut in *Hortana* 8. *Julii* 1690. , *in Ruben. habitus talaris* 18. *Augusti* 1708. , in qua ad dubium : *an edictum super delatione habitus talaris in Ecclesiis , illarum ingressu , vel egressu substineatur* : responsum fuit *substineri moderatis pœnis arbitrio Eminentissimi Præfecti* , qui mentem Sacræ Congregationis declaravit, ab edicto Episcopi *delendas esse contra inobedientes , videlicet quoad sacerdotes , pœnas suspensionis ipso facto incurrendæ , quoad Clericos pœnam , quod non possint promoveri ad Ordines sacros , nec admitti ad beneficia , quamvis de Jurepatronatus , & quoad Sacristas pœnam suspensionis , & respective quoad clericos pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ; & loco prædictarum pœnarum mulctiandos esse in quinque libris ceræ albæ laboratæ , & in subsidium suspensionis , & interdicti ferendæ sententiæ respective* , ut in *lib. decret. pag.*288. , & in *Marsicen.* 15. *Decembris* 1731. , in qua delevit juramentum præstandum a promovendis de servando edicto ; *in Salernitana* 30. *Augusti* 1732. , *in Bisaccien.* 1. *Martii* 1738.

Dubium , de quo quæritur , est

An edictum diei 16. Februarii 1763. substineatur quoad Parochos, & Presbyteros castrorum , & villarum Nursiæ , Cassiæ , & Vallis Narci , in casu &c.

Sess. 22. Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss.

COLONIEN. TRANSLATIONIS. Conjuges Adolphus *de Nesselroth* in *Ehresboven*, & Anna Catherina *de Soeteren* anno 1622. statuerant, ut ex suis bonis ad summam floren. aureor. bis mille certus fundus compararetur, cujus reditus ad centum aur. floren. ann. darentur Magistris, seu Provisoribus sodalitii Sanctissimi Sacramenti in ecclesia Ordinis S. Francisci *strictior. Observant.* nuncupat. *ad Olivas* civitatis Coloniæ, pro musica certis diebus paranda ad cultum ejusdem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ. Caverunt, quod si sodalitium deficeret, vel musicorum copia, aut cultus, & religio sodalium, & populi deferbuisset, ut dimidia pars redituum in pauperes distribueretur; reliqua daretur eleemosyna pro tribus sacris qualibet hebdomada faciendis. Addiderunt demum *hujus nostræ fundationis inspectio, & præsentatio, nec non assumptio, & depositio personarum, & alias ulterior dispositio [ita tamen ut substantia* 2000. *florenorum aureorum in perpetuum irrevocabiliter ad pios spirituales usus destinata permaneat] nobis, nostris liberis, legitimisque hæredibus, ac possessoribus nostræ respective stemmaticæ domus &c. semper libera, & reservata manebit.* Probavit tunc omnia Vicarius generalis Archiepiscopi Coloniensis Ordinarii.

Decennio post, justam existimantes habere causam variandi, sexaginta ex florenis annuis parocho ecclesiæ *Engelskirchen*, quadraginta vero pauperibus parochiæ, qui interessent sacris a Parocho agendis assignarunt. Reservarunt approbationem Apostolici Nuncii, seu Summi Pontificis; & ad eam obtinendam sequenti anno mandatum cuidam Francisco Palutio in Urbe dederunt. Quid de hoc postea tunc actum fuerit, ignoratur. Constat tamen, quod anno 1635. Magistri Sodalitii a Vicario generali Colonien. novam approbationem *fundationis musicæ cum omnibus pactis, clausulis, & conditionibus* obtinuerunt, ac designatos centum floren. ann. exegerunt jam usque ad annum 1665.; nam anno 1671. *Philippum Wilhelmum de Nesselroth* fundatorum nepotem, & hæredem pro debiti residuo in jus vocarunt.

De anno 1749. denuo sodalitium Comitem *Carolum de Nesselroth* successorem pulsavit pro alio residuo in summa florenorum 8000. circiter. Acriter lis acta est super hoc debito, pro quo Comes cessionem Rev. Fabricæ obtinuit.

Longum esset retexere harum litium historiam, quod partes jam faciunt, & ex quo fortasse res, de qua agitur, implicaretur magis. Quod ad rem attinet, idem Carolus, dum hæc agebantur, revocationem *fundationis musicæ* a majoribus factam confirmavit, sive suo jure proprio renovavit; & anno 1759. reditus omnes assignavit sacerdoti, qui perpetuo resideret in capella publica Sanctæ Crucis sita intra limi-

limites parochiæ *Engelschirchenfis*, quæ horæ itinere ab ecclesia parochiali distat; jure tamen fibi, & fuccefforibus refervato nominandi facerdotem, qui fingulis diebus feftis facrum faceret, opportune pro accolarum commodo; concionem haberet, & poft meridiem per integram horam juvenes de fidei rudimentis inftrueret.

Supplicavit deinde SANCTISSIMO pro confirmatione. Hinc auditus Officialis Colonien.. Hic in genere primum revocationem probavit, fed alio modo exiftimavit reditus impendendos: qui modus cum Carolo non arriferit, ac potius alia huic Sacræ Congregationi propofuerit, denuo Officialis interrogatus eft. Is a prima variavit fententia; ait nempe, quod Caroli petitioni obftaret revocatio facta a majoribus anno *1633.*; quod ann. floren. aur. quadraginta dari deberent pauperibus parochiæ. Multa inde dicit, in partium fcriptis videnda; non pauca vero eorum, quæ dicuntur momentum caufæ non faciunt.

Controverfia eft de vi antiquæ revocationis, de vi hujus novæ, vel demum de modo alio, quo pecuniæ erogari debeant.

Carolus contendit revocationem a majoribus factam de anno *1633.* effectu caruiffe, quia propofitum fortaffe mutarunt; id effe manifeftum ex fecuta poftmodum folutione penfionum in primam caufam: quidquid autem de hoc fit, jus fibi novam pii operis translationem faciendi ademptum inde non fuiffe: illud arbitrium in ipfa *fundatione* fuccefforibus femper liberum, & refervatum manfiffe: has leges ponere fundatoribus licuiffe; cum his legibus primam donationem ab Ordinario approbatam: hinc nullum jus quæfitum fodalitio, quod contra has leges vim obtineat.

Præterea novum confenfum Ordinarii in hac translatione neceffarium non effe *Rot. coram Falconer. decif.* 20, *num.* 12. *tit. de jur. patronat.*, *Barchinonen. Fundationis* 24. *Januarii* 1735. *coram Millino*. Multa poft objicit iis, quæ proponit Officialis: fua effe meliora, opportuniora populo, five pro cultu religionis, five pro doctrina: Officialem non poffe fuo arbitratu de alienis ftatuere: ac poftremo, quando hæc non valeant, jus fibi, & familiæ patronatus non auferendum.

Effet res plena ocii, & fupervacanea, quæ hinc inde congeruntur exfcribere. Ponderandum præcipue videtur, num jus variandi *opus pium*, etiam poft primam vicem, integrum, atque illæfum fervatum fuerit tam fundatoribus, quam fuccefforibus familiæ: num hæc refervatio aliquid contra canonicas regulas habeat, vel potius fecundum canones fieri potuerit. Hinc videbitur de vi primæ variationis, de qua fundatores ipfi poftea, ac fecuti hæredes nihil curarunt: hinc de vi hujus novæ. Hinc patebit quo jure

vo-

voluntati patroni se opponat Officialis, eamque suo ingenio temperandam petat.

EE. PP. dispicient quid sit censendum, ac responsum dabunt dubiis

I. *An servanda sit translatio facta ab Adolpho de Nesselroth in Ehcrescoven, & Anna Catherina de Soeteren conjugibus de anno 1633. in casu &c.*, & quatenus negative.

II. *An sit consulendum SANCTISSIMO pro approbatione translationis factæ a Comite Carolo de Nesselroth de anno 1759. in casu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quomodo applicandi sint floreni 2000. annui, in casu &c.*

Die Sabbathi 28. Januarii 1764. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ ante alias deſcribuntur cauſæ, ex Congregatione ſunt, quæ noviſſime habita eſt die decimaquarta currentis menſis.

VICEN.

Seſs.25. cap.6. de Reform.

An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis, in caſu &c.

Negative, & eſſe erogandos reditus favore Pauperum, ad quem effectum ſcribatur Epiſcopo juxta Inſtructionem.

SPOLETINA.

Seſs.14. cap.6. de Reform.

An edictum diei 16. Februarii 1763. ſubſtineatur quoad Parochos, & Presbyteros caſtrorum, & villarum Nurſiæ, Caſſiæ, & Vallis Narci, in caſu &c.

Affirmative, & ad Eminentiſſimum Præfectum ad mentem.

COLONIEN. TRANSLATIONIS.

Seſs.22. Decret. de obſervan. & evit. in celebrat. Miſs.

I. *An ſervanda ſit translatio facta ab Adolpho de Neſſelroth in Ehſcreſcoven, & Anna Catherina de Soeteren conjugibus de anno 1633. in caſu &c.*, & quatenus negative.

II. *An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro approbatione translationis factæ a Comite Carolo de Neſſelroth de anno 1759. in caſu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quomodo applicandi ſint floreni 2000. annui, in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt Cineres etiam unica.

VI-

Sess.25. cap.13. de Reform.

VITERBIEN. EMOLUMENTORUM FUNERALIUM.

Sodalitia, quæ plurima sunt Viterbii, pro funere sodalium ejusdem parochiæ, quos in suis ecclesiis tumulant, impugnant propriis parochis omnia emolumenta funebria, quæ parochi usque adhuc jure se integra percepisse contendunt. Hinc acris, uti ejusmodi altercationes esse solent, de hoc controversia pertractatur.

Ajunt sodalitia pertinere ad parochos solam partem, quæ secundum canones statuta est, quæ quarta est, atque idcirco canonica dicitur; eamque ad dimidiam tantummodo ex consuetudine, si adsit, protrahi posse; reliquam prohiberi expresse ne parochi habeant *Clement. dudum de sepultur. §. statuimus*, *Rot. decis.85. num.8. post Tamburr. de jur. Abbat. decis.990. num.12. cor. Molin.*, *& in Florentina Quartæ Funeralis 6. Martii* 1711. *cor. Cassarell.* & S. Congregatio *in Asculana Jurium*, *& Functionum Parochialium 29. Augusti* 1733. *& in Hortana Jurium Parochialium 5. Julii* 1738.

Qua de re asserunt, quod si quid ultra percipiatur, illicitum de jure est, nec possit præscribi nisi per consuetudinem immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo; vel saltem dum partes, postquam contradixerint, per quadraginta annorum spatium acquieverunt *Barbos. in cap. certificari num.2. de sepult.*, *Rot. in eadem Florentina supracitata 6. Martii* 1712. *apud Scarfanton. ad Ceccoper. Lucubr. canon. tom.1. decis.16. num.7.*

Consuetudinem vero hanc non probari contendunt ex quadam sententia A.C. anni 1756.; quæ in judicio manutentionis lata est, & favore unius tantum ex parochis cum sodalitio S. Rocchi: multo magis quia probatio in eo judicio tota habita est ex testimonio eorumdem parochorum, qui nunc in causa sunt: cæterum evanescere quemlibet usum, ac consuetudinem e conspectu constitutionum, quæ contrarium in pluribus synodis diverso tempore statuerunt, ac iteratis vicibus confirmarunt *Piton. discept. eccles.93. num.10.*

Neque, ajunt, aliquid facere quod ecclesiæ sodalitii sint filiales parochiæ; hoc enim ferret jura honorifica, quæ non impugnantur. quemadmodum nec quod aliquæ ex ecclesiis a parochis concessæ fuerint sodalitiis ipsis, cum oporteret probari in ipsa concessione jus illud sibi parochos expresse reservasse; vel quod ita concessæ ecclesiæ ex ipsis bonis ecclesiæ parochialis dotatæ fuerint.

Adversus hæc parochi differunt receptum in jure esse ad se pertinere emolumenta omnia funebria, quoties ecclesiæ sodalium filiales sint, & ab ipsis ecclesiis parochiæ dependeant, nisi ostendant jus sepeliendi expressa auctoritate Ordinarii acquisivisse: sodalitia Viterbii hoc non probasse: neque id præsumi posse, quod sodales in suis ecclesiis sepulcra habent; id etenim evenisse, quia nonnullæ ex iis eccle-

ecclesiis, olim erant ecclesiæ parochiales; aliæ ab ipsis parochiarum ecclesiis dependent: ideo sepulcra inibi non jure proprio sodales retinere, sed jure, & nomine parochorum.

Clarissime id patere affirmant ex pluribus monumentis; nimirum ex *actis visitationum anni* 1574., ex quibus constat, quod quinque ex ecclesiis olim erant capellæ sub dominio ecclesiæ parochialis S. Laurentii, quodque aliæ tres olim erant ecclesiæ parochiales; & ex libris ecclesiasticis cancellariæ Episcopalis: de ecclesia vero sodalitii S. Rocchi ex *libris mortuor.* ecclesiæ parochialis S. Mattei; & de ecclesia sodalitii sanctissimi Suffragii, ex *libris mortuor.* ecclesiæ parochialis *S. Joannis in Zoccoli*: præterea ecclesias illas cæmeteria non habere; sepulcra expurgari impensis parochorum, atque ossa ad ecclesias parochiales deferri.

Ad hæc afferunt se omnem jurisdictionem in ecclesiis sodalitiorum retinuisse, eaque usos fuisse semper; emolumenta verò funebria perpetuo integra percepisse; probari id ex affirmatione plurium testium: receptissimam esse in jure sententiam in ejusmodi rebus servandam consuetudinem; id caveri in ipsa constitutione *Romanus Pontifex san. mem. Benedicti XIII.* necessariam autem non esse immemorabilem, sed in casu satis superque esse quadragenariam. Addunt constitutiones synodales non afficere, quia generales sunt pro universa diœcesi, easque loqui de ecclesiis, quæ jus sepeliendi habent: ideo sodalitia licet pluries hoc jus parochis impugnassent, semper rejecta fuisse, acquievisse semper. Ex scriptis utriusque partis, quæ hinc inde præter modum fortasse exaggerantur, videnda sunt.

Eminentissimus Episcopus interrogatus respondit se rem componere, uti exoptabat, reluctantibus parochis nequivisse. Existimat abusum fuisse, quod adhuc fecerunt parochi, vocari non posse legitimam consuetudinem: contrarium esse pluribus decretis synodorum Viterbien., nimirum Card. Muti *anni* 1614. *cap.*31. *de funer. §. faces*, *&* 1624., Card. Francisci Mariæ Brancatii *ann.* 1639., *&* 1613.; & Sermatthei 1724. Demum concludit *ex hactenus dictis reprobare satis non possum duram hanc, quam vocant consuetudinem utpote æquitatis legibus, & tam antiquis, quam recentibus sanctionibus adhuc in reliqua mea diœcesi vigentibus adversantem; optarem quidem prædecessorum meorum decreta suprema EE. VV. auctoritate confirmarentur solam quartam adscribendo parocho defuncti tribus reliquis partibus ecclesiæ confraternitatis tumulanti penitus tributis, ut exinde parochi pœnam subirent suæ ipsorum pervicaciæ, qua municipalium, seu diœcesanarum legum præscriptum pro libito convellunt, meamque æquitatem, qua ipsismet etiam ultra justitiæ monita favere decreveram obfirmata, ac perfricta fronte contemnere, & aversari sunt ausi.*

Notandum in facto, quod probationes, quæ afferuntur a parochis *S. Mariæ do Podio* de ecclesia sodalitii *S. Rocchi*; & *S. Joannis in Zoccoli*, & de ecclesia sodalitii *Suffragii* aliqua ex parte diversæ sunt ab iis, quæ dantur de aliis ecclesiis ab aliis parochis.

Advertendum itidem est, num sodalitia probent se habere jus legitimum sepeliendi indiscriminatim tum sodales, tum alios in suis ecclesiis: num quando id clare non probent, præsumptio faveat iis, qui sepulcra habent, vel parochis qui nativum jus repræsentant sepeliendi quoscumque suæ parochiæ filios.

Ponderandum in jure an locum habeat distinctio, de qua loquuntur canonistæ, super ecclesiis, quæ sepulcra habent. Viden. *Samuel. de sepultur. tract.1. disput.5. controvers.10. March. eod. tract. tit.58. §.2. num.64. Bassius de sodalit. quæst.5. num.5. Rot. decis.17. num.9. post Antonell. de jur. & oner. Clericor.*. Viden. *Pirring. in jus canonic., lib.3. tit.18. num.32. Pignattell. tom.6. consult.88. num.8. Frances de ecclesiis cathedr. cap.25. num.321.* In eam rem faciunt resolutiones in *Senogallien. Juris sepelliendi* 20. *Decembris* 1738. & 10. *Januarii* 1739.

Perpendendum num vere necesse sit, ut parochi probent immemorabilem, vel sufficiat quadragenaria; super quo inspici possent ipsa jura, quæ sodalitia proponunt. Perpendendum denique de quibus ecclesiis loquantur constitutiones synodales, quodve obstaculum Viterbiensibus parochis in casu præbeant.

EE. PP. sua, qua eminent doctrina, dignoscent omnia, ac dijudicabunt

An Parochis Viterbii debeantur omnia emolumenta funeralium illorum, qui electa sepultura sepelliuntur in ecclesiis confraternitatum, seu potius portio tantummodo canonica, in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Sess.23. cap.4. de Reform.

CASALEN. Franciscus Fridericus Giordani Archiepiscopus Mythelenensis suis tabulis in Urbe, ubi decessit anno 1740. de legato, de quo nunc est agendum, ita scripsit: *Lego, e per ragion di legato lascio a Gio. Bernardo Rama mio attual Segretario, e Procuratore scudi sessanta moneta Romana sua vita naturale durante solamente da pagargli si dal mio Erede mese per mese la doputa rata, e questi coll'obligo di celebrare quotidianamente la S. Messa agl'Altari privilegiati qui in Roma, e dove si troverà, applicando li SS. Sagrificii in suffragio dell'anima mia, e de miei antenati; dichiarando, che dandosi il caso, che detto stasse gravemente ammalato, o non potesse celebrare la S. Messa in tal caso per lo spazio di un mese non sia obligato*

gato a farla celebrare da altri: quali scudi sessanta di moneta Romana come sopra legati in favore del detto dopo la di lui morte voglio che passino immediatamente a favore del Chierico Carlo Francesco Moirani figlio di Gio. Battista della Terra di Albiano, e Nipote del Signor Marco Antonio Moirani mio particolare amico, a riguardo del quale hò fatta questa sostituzione, con condizione però che sia, o si faccia Sacerdote secolare, e celebri essendo Sacerdote, e non essendo ancora Sacerdote faccia celebrare la messa sudetta quotidiana nella Terra di Livorno in Canavese Diocesi di Casale in quella Chiesa, o Chiese, ed agl' altari privilegiati più che si potrà, che dall'infrascritto mio Erede universale gli saranno assegnati, e questi per la vita naturale durante di detto Carlo Francesco solamente, e non altrimenti, e dopo la di lui morte resti l'obligo di far celebrare detta messa quotidiana al mio Erede universale come si dirà i appresso.

Hæredem instituit Carolum Benedictum Tarachiam nepotem e prædicta terra Liburni cum onere perpetui fideicommissi, de quo non est quæstio; inde addit, *che il detto Erede finita che sara la vita di Carlo Francesco Moirani da me sostituito al detto Rama nel legato dei sc.60. per la messa quotidiana da me come sopra ordinata, debba far continuare la celebrazione di messe sette per cadauna settimana in perpetuo in suffragio come sopra, e queste messe nella Chiesa di Livorno è specialmente negl'altari privilegiati più che sia possibile ed essendovi nella sua Famiglia Tarachia, questi debbano essere preferiti a tutti gli altri dandogli la solita elemosina di un paolo, secondo più gli parerà, o piacerà.* Non abs re fuit ut antequam de causa plenius differatur hic excripta habeantur ea, quæ controversiam, & faciunt, & simul dilucidant.

Quoad vixit Joannes Bernardus Rama legatum retinuit. Eo mortuo sacerdos Carolus Franciscus Moirani substitutus, qui nomen dederat Congregationi S. Vincentii a Paulo, ab hærede legatum non obtinuit. Hinc existimans sibi impedimento non esse, quin legatum perciperet, quod ei Congregationi se adscripsisset, supplicavit *SSño*, ut derogaret *alla disposizione testamentaria in quella parte che pare esigga la personale celebrazione, e permettergli che possa godere il beneficio di detta nomina non ostante sia tra detti Sacerdoti, e far celebrare da altro Sacerdote la messa quotidiana in detta Terra di Livorno, o che possa celebrare egli stesso all'altare privilegiato in quella Chiesa dove li superiori lo destinano.*

Harum precum cognitione ad hanc S. Congregationem delata, interrogatus Episcopus suam sententiam non dicit, sed quæ hæres, & rector ecclesiæ Liburnensis opponunt, significat; ut ex ejus *relatione* quæ in scriptis datur.

Moiranus nunc ait se licet adlectum in eam Congregationem, in qua tria vota solemnia non emittuntur, uti sacerdotem sæcularem esse habendum, ac de ejus capacitate ad con-

ſequendum legatum dubitari non poſſe: quæſtionem unicam eſſe, an legato privetur, quia ſacra Liburni in eccleſiis ab hærede deſignandis, per ſe ipſum peragere nequit.

Contendit itaque ſe hoc onus per ſe ipſum celebrandi non habere ex teſtamento; dupliciter etenim ſe a teſtatore conſideratum, nimirum uti jam ſacerdotem, quo caſu nihil aliud dictum eſt, niſi *celebri eſſendo Sacerdote*, nequaquam deſignato loco, neque eccleſia; & uti non ſacerdotem, quo caſu nihil aliud eſt expreſſum, niſi *faccia celebrare*: ideoque vel uno, vel altero caſu onus per ſe ipſum celebrandi injunctum dici non poſſe; maxime dum agitur de legato, & quidem facto ex cauſa intimæ amicitiæ teſtatoris cum patruo.

Propugnat præterea, & ſi hoc onus datum eſſet, non conditionem hanc fuiſſe legati, ſed modum fuiſſe legato adiectum, quo non ſervato legatum non intercideret: itidem teſtatorem mandaſſe, quod poſt obitum primi legatarii annua ſcuta ſexaginta *paſſino immediatamente a favore del Chierico Carlo Franceſco Moirani Nipote di Marc'Antonio mio particolar amico a riguardo del quale hò fatta queſta ſoſtituzione*: hinc, poſt collatum emolumentum, impoſitum onus certiſſime ad modum referri ex communi Juriſtarum ſententia, quam probat *Rot. in Forolivien. Immiſſionis* 7. *Maii* 1748. *cor. Eminentiſsimo Elephantutio*: neque ſubiecta inde verba *con condizione* naturam diverſam a *modo* facere.

Contendit denique vel non indigere Pontificio reſcripto, vel æquum eſſe ut de teſtatoris voluntate circa locum ſacra peragendi nunc derogetur; mereri id meliorem partem quam ipſe elegit, ac reliquas rerum circumſtantias quæ latiſſime in ſcriptis congerit.

Contra hæres, claram eſſe ait voluntatem teſtatoris, qui tantummodo permiſit Moirano, ut ſacra per alium perageret, dum adhuc non eſſet ſacerdos: præter hunc caſum certiſſimum eſſe, quod contrarium voluerit, cum diſcrimen hoc ipſum firmet regulam in contrarium, *Piton. de controverſ. Patron. allegat.*35. *num.*8. *Rot. deciſ.*403. *n.*3. *part.*12. *in Baren. Beneficii* 1712. *cor. Aldrovando*. multo magis quia præceptum fuit directum in ipſam perſonam legatarii *Rot. in Monaſterien. Vicariæ* 4. *Junii* 1728. *cor. Card. Millino*: de reliquo Moiranum, dum aliam vitam oneri implendo minime convenientem elegit, vel amiſiſſe jus ad legatum, vel eidem facto ipſo renunciaviſſe.

Facultatem autem, de qua ſunt preces, contrariam eſſe affirmat apertiſſimæ teſtatoris voluntati qui ſacra in terra Liburni peragenda voluit; contrariam manifeſto juri hæredis, ad quem deſignare altaria, & eccleſias pertinet: Moiranum hoc patrimonio non indigere: nullam adeſſe cauſam

C

cur

cur defuncti voluntas contra apertissimas tabulas immutetur.

Quidquid sit de his omnibus, quæ in utriusque partis scriptis cumulantur, certum est, quod testator ubi voluit dare primo legatario libertatem ubique celebrandi sacra, eam expressis verbis concessit: non id expressit in legatario secundo. Certum est testatorem considerasse hunc secundum legatarium vel uti jam sacerdotem, vel uti qui ad sacerdotium ascendere debuisset, quod per conditionem legato adiecit. Huic secundo legatario vel sacerdoti, vel clerico ad sacerdotium properanti celebrationem sacrorum injunxit, & continuata verborum coniunctione, quæ utrumque casum complecti videtur, ea sacra celebranda esse in terra Liburni præcepit.

Unicum discrimen posset inter utrumque casum afferri, quod Moirano non sacerdote, qui per alium celebrare debebat ideoque integros legati fructus percipere non poterat, nihil ejus fortasse intererat an Romæ, vel Liburni sacra peragerentur, ac propterea hoc casu sacra Liburni celebranda dixerit; Moiranum vero jam sacerdotem hoc commodo percipiendi integros fructus, dum poterat, privare noluit. Videndum num hæc interpretatio conveniat verbis testamenti, vel adversetur.

Quando hæc interpretatio non placeat, cætera, quæ dicuntur de modo, & conditione extranea videri possent. Non enim hic agitur de privando legatarium, qui modum non implevit, sed de non admittendo ad legatum, qui testatoris voluntatem, & onus iniunctum implere nequit. Iccirco unice inquirendum superesset, num hic & nunc justa causa afferatur derogandi de lege testamenti. Maximum hoc controversiæ omnis momentum est.

Sed non prætermittendum, quod disputari posset, num hæc vere constituta capellania dicenda sit, seu potius certa sit eleemosyna legata pro certo sacrorum numero. Rationem dubitandi faciunt ipsa verba testamenti, & maximè ultimo loco posita, quæ ideo supra transcripta sunt, cum de hæredibus testator loquitur, quibus onus sacrorum iniunxit cum eleemosyna solum manuali, vel eorum arbitratu danda. Quando autem instituta capellania dici nequeat, videndum esset num locum haberet canonica regula, ut subrogato pro celebrandis sacris integra eleemosyna detur. Sac. Cong. hanc regulam servavit in Romana *retentionis stipendii Missarum 7. Maii 1672. lib. 27. decr. pag. 374. & die 21. Febr. 1688. lib. 38. decr. pag. 89.* Hoc casu, etiam post obtentam facultatem subrogandi alium, inutile sibi Moiranus legatum peteret.

EE. PP. omnia ut solent accurate circumspicient, ac prudenter suo more edicent

I. *An Legatum Giordani cum onere celebrationis missæ quotidianæ spe-*

spectet ad R. D. Moirani, & quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro facultate celebrationis Missarum in Vrbe in casu &c.*

Ad primum providebitur in secundo, ad secundum negative, & amplius.

Sess. 24. cap. 12. de Reformat.

TARRACONEN. Collegium, quod in Ecclesia extat Parochiæ Villæ *de Reus* Tarraconen. diœcesis ex primæva institutione, quam san. mem. Joanni XXII. acceptam refert, Priore uno constabat, & octo tantum Presbyteris. His postea sequenti tempore ex piorum hominum largitionibus alii viginti octo adjecti sunt. Ex omnibus unum corpus conflatur. Iisdem legibus vivunt. Eadem onera habent. Eadem pecunia utuntur. Quotidie in choro adsunt: ac nescitur sive prima lege, sive posteriori privilegio, veterem consuetudinem ad hanc diem retinent, ut duo tantum ex collegio quolibet anno per mensem unum abesse valeant.

Usque ab anno 1762. Collegium supplicavit, ut octo ex suis presbyteris eodem tempore, & per tres anni menses a choro vacatio permitteretur. Propositis in Sacra Congregatione inter *libellos* ejusmodi precibus *die 4. Junii* superioris anni EE. PP. in diversam abierunt sententiam: hinc mandatum est, ut iterum proponerentur. Proponuntur nunc denuo inter causas, ut responsum habeant. Collegium autem, quo faciliorem suæ petitioni sternat viam, duos nunc tantum menses vacationis expostulat.

Allegat nimis grave, ac laboriosum videri quotidianum, assiduumque chori servitium: ecclesiæ nullum detrimentum inferri per octo ex capitulo, qui duobus mensibus anni vacent, cum alii viginti novem semper maneant, qui communia onera impleant: satis superque pro iis implendis abundare eum numerum: in ecclesia plurimos adesse presbyteros pro agendis sacris; in loco duo haberi illustria, & Regularium multitudine frequentata cœnobia.

Justam, & imo necessariam addit intercedere petitionis causam, ut provideatur valetudini nonnullorum, & præsertim æstivo tempore, in quo ea regio intolerabili calore utitur: hanc Sacræ Congregationis indulgentiam consuetam esse: multa in Hispaniis de ea afferri, ac prædicari exempla, ut in *Gerunden. die 16. Januarii 1723.*, *Ilerden. die 11. Decembris 1756.*, *Valentina die 30. Julii 1757.*

Ordinarius vera esse dicit, quæ Collegium proponit; sed non omnino ei adhærendum, non omnino rejiciendum censet: *Cum Parochiani, qui eo loco degunt plurima hominum millia conficiant,*

ficiant, eorumque numerus quotidie excrescat e re ipsorum esse censeo, ne quam Communitas exposcit, integra ei gratia largiatur. Verendum alias, ut nonnulli anni temporibus numerus ille Missarum in Ecclesia parochiali non celebretur, qui populi multitudini sufficiat, & præsertim, quia Ecclesiis aliis, ubi sacrosancta mysteria agantur locus ille non plurimum abundat, quanquam, ut verum fatear, duo ibi inveniuntur Regularium monasteria sacerdotum copia celebria. His non obstantibus Oratricem Communitatem ecclesiasticam dignam esse censeo; cujus precibus quoad absentiæ tempus, absentiumque numerum nonnihil indulgeatur. Id quoque gratum sibi ipsi futurum esse profitetur.

Sacrum Concilium Tridentinum *sess.24. cap.12. de Reformat.*, statuit, quod *non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt*. Non permittit expresse vacationem, sed longiorem quam trium mensium interdicit, breviorem probat.

Sacra Congregatio aliquando temporibus, ac necessitatibus petentium benigne, & ex æquo, & bono contra summi juris regulas se accommodavit. Pro iis ecclesiis, in quibus quotidianum totius anni servitium requirebatur, videnda est resolutio *in Capuana 3. Septembris* 1740. Pro iis autem ecclesiis, quæ non diuturnum servitium, sed aliquam, licet trium mensium breviorem vacationem habebant, non eadem indulgentia usa est; nec generaliter, atque indiscriminatim veteres ecclesiarum mores immutandos censuit. Vidend. *Fagnan. in cap. licet num.48. de præbend.*

Advertendum in certis casibus peculiares sive factorum, sive locorum propositæ circumstantiæ, quam animadversionem, atque indulgentiam commeritæ fuerint: inspiciendæ hinc resolutiones in *Isernien. 26. Junii* 1723., *in Sanctæ Severinæ 13. Julii* 1725., *in Tranen. Indulti 22. Novembris* 1738. Considerandum quid faciant eæ, quæ secundum hanc facti speciem nunc proponuntur. Quæritur

An, & quomodo petitis sit annuendum, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

MARSORUM CAPELLANIÆ. Anno 1644. Marsorum Episcopus confirmavit donationem, quam Joannes de Blasettis, cum auctoritate Valerii tutoris, ac patrui fecerat, plurium bonorum suo familiari sacello S. Michaelis Archangeli in parochiali ecclesia S. Sebastiani terræ Massæ; ac ex iis *beneficium ecclesiasticum* erexit auctoritate ordi-

Sess.22. cap.8. de Reform.

dinaria, & *Juspatronatus* constituit *favore præfati Joannis cum pleno jure præsentandi pro se, ejusque hæredibus, & successoribus in perpetuum, deputandi, nominandi, & cumulative variandi per quamcumque personam ecclesiasticam beneficii ecclesiastici capacem, coram nobis præsentandi, & successoribus nostris, & a nobis, & successoribus instituendi cum confectione literarum, cum onere tamen de consensu ejusdem Patroni composito, celebrandi, vel celebrari faciendi in dicta capella unam missam defunctorum qualibet hebdomada*. Sunt verba Erectionis.

Dotem beneficio antea datam auxit Joannes anno 1652. nullo adjecto onere: adauxit deinde biennio post *cum onere celebrandi duas missas defunctorum in feriis secundis duarum hebdomadarum in quolibet mense*.

Joannes idem anno 1699. suo testamento hæredes scripsit universales Patres Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, ut in terra Massæ collegium fundarent, verum de suo beneficio ita in eodem testamento dixerat: *nella prima vacanza del mio juspatronato nella mia cappella di S. Michele Arcangelo nella chiesa parochiale di Massa, e beni tutti donati a quella, da adesso per allora presento gl'infrascritti miei eredi in ogni miglior modo, che posso, e devo, con obligarli all'incontro all'adempimento delle messe prescritte da spedirne bolle, e licenze necessarie da' superiori*.

Hæredes post testatoris mortem nihil de variando beneficio curarunt, ac secundum ejus erectionem ad vacantem præsentarunt semper sacerdotem sæcularem usque ad annum 1761., quo tandem, ut impleretur voluntas testamenti, etsi ageretur de beneficio reservationibus obnoxio, supplicarunt SANCTISSIMO. Negocium omne huic Sac. Congregationi remissum est.

Allegant nunc se capaces hujusmodi beneficio, tum ex litera fundationis, quæ non requirit, nisi *quamcumque personam ecclesiasticam beneficii ecclesiastici capacem*, quo nomine se venire posse autumant; tum quia onus injunctum nihil aliud secumfert, quam celebrationem sacrorum, quæ peragi potest tam per sacerdotem sæcularem, quam regularem.

Ajunt pro se ipsis facere, quod sint hæredes fundatoris, ac proinde possent unum ex suis nominare *Rot. decis.* 146. *n.* 12. *coram Peutinger.* habere pro se claram voluntatem ejusdem morientis, cujus nomine, qui bona liberaliter ecclesiæ dederat, supplicant: saltem æquum esse, ut Apostolicam benignitatem, atque indulgentiam experiantur.

Hodiernus beneficii rector non refragatur, dummodo beneficium viventi non intercidat. Non dissentit Episcopus, licet existimet vel per incuriam, vel per errorem fecisse Patres Scholarum Piarum, qui *male hujusmodi dispositionem intelligentes statuerunt in vacationibus, quæ contigerunt*

runt ab anno 1699. usque ad præsentem diem aliquem sacerdotem sæcularem in capellanum, ac rectorem antedictæ capellæ pro celebratione missarum.

Agitur de ecclesiastico beneficio sæculari. Videndum num obstet regula juris canonici *cap. cum beneficio de præbendis. cap. nullus de elect. in 6. Clem. ne in agro §. Cæterum de statu Monach. S. Congregatio in Frysingen. permutationis* 18. *Junii* 1735., & alibi.

Videndum an ex litera fundationis obstet petentibus, quæ inest clausula, *quæcumque persona ecclesiastica beneficii ecclesiastici capax*. Qualitas hæreditaria fundatoris nihil fortasse secumferret, quam juspatronatus activum. Quæ fundator testamento dixit post donata bona, ac constitutum auctoritate legitima beneficium, significant certissime illam tunc morientis fuisse præsentem voluntatem; non vero, quod ea voluntas fuerit legitima, aut quod naturam beneficii immutare potuerit.

Momentum omne disputationis in eo est, an expediat, an æquum sit, ut hoc hæredibus Regularibus concedatur. Causam, quam præcipuam pro concessione allegant, nempe redituum tenuitatem, alias rejecit hæc Sacra Congregatio in *Recineten. Capellaniæ* 22. *Junii* 1743., in qua disputatis dubiis: I. *An ad effectum succedendi in capellaniis erectis a Pompejo Mariotti obstet Fr. Dominico Antonio Lupi Minori Conventuali qualitas regularis, & quatenus affirmative*: II. *An eidem sit concedenda dispensatio*. Responsum fuit *ad I. affirmative. Ad II. negative, & amplius.*

EE. PP. quid sit decernendum constituent Dubia

I. *An liceat Patribus Scholarum Piarum satisfacere per se ipsos celebrationi missarum in casu &c., & quatenus negative.*

II. *An sit consulendum SANCTISSIMO pro dispensatione, in casu &c.*

CIVITATIS CASTELLANÆ FUNERUM. Funus super cadavere Sylviæ Paglia in ecclesia cathedrali Civitatis Castellanæ peractum est contra decretum Episcopi, qui petentibus Patribus Minor. Convent. illud agendum mandaverat in ecclesia S. Francisci, quæ sepulcrum familiæ habet. Quæstio instituta est in curia Ordinarii super attentatis; sed delato interim jussu Episcopi ad illam ecclesiam cadavere, nunc de iisdem agitur in hac Sac. Congregatione, quam relicta curia adiverunt Conventuales; qui emolumentorum funebrium restitutionem integram quoque petunt.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

Propugnant non dubitari in jure, quod non electa sepultura a defuncto, funus ejus sit peragendum in ea ecclesia, ubi

familiæ ſepulcrum extat, ad eamque eccleſiam ſit cadaver recto tramite deferendum: hanc doctrinam communiter receptam, ex notiſſimo *Textu in cap.3. de ſepult.in 6.*; a Juriſtis omnibus, & a *Rota deciſ.30. num.26' coram SANCTISSIMO*; tenuiſſe Sac.Congregationem Rituum in *Senogallien. 22. Junii 1675.* penes *Mattheucc. de offic. Cur. quoad exequias cap.5. num. 1.*; Sac. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium in *Senogallien.*, *ſeu Æſina electionis ſepulturæ die 28. Novembris 1707.*; ac conſtabiliviſſe Sacram hanc Congregationem in *Meſſanen.die 17.Aprilis 1706.*, *Lucana funerum 12.Martii 1722.*, *Volaterrana die 16. Martii 1726.*, *Tolentina funerum 6.Februarii 1734.*

Nec licere, ajunt, hæredibus ipſis variare,ut alibi nimirum funera agantur,alibi cadavera tumulentur,ut pluries declaratum eſt ab ipſa Sacra Congregatione Rituum: Statutum vero Cleri Romani, in quo hæredibus hæc facultas datur non obtinere extra ipſam Urbem Romam, ut pluries deciſum affirmant.

De eo quod vero attinet ad reſtitutionem emolumentorum, contendunt illam impugnari non poſſe; quicumque etenim fuerit conſenſus viri ſuper funere uxoris, non potuiſſe per Capitulum contemni decretum Epiſcopi, ac per ſummam audaciam ſine decenti pompa delato, veluti rapto, ad ſuam eccleſiam cadavere primariæ mulieris, ex clandeſtino funere captare lucrum: omnia pro infectis reſpectu Capituli habenda eſſe: compendium omne, ad quem de jure pertinebat, reſtituendum: rem eſſe mali exempli, perturbationis pleniſſimam, ac prorſus non tolerandam: clarum id eſſe ex *cap. animar. §. Si vero de ſepult. in 6.*, viden. *Emmanuel Roderic. quæſt. canonic. & regular. tom.3. quæſt.61. artic.3.*, *& Barboſ.de Paroc par.3.cap.26.num.2.*

Ex adverſa parte Capitulum ſe tuetur ex conſenſu ſuperſtitis viri, qui etiam conſenſu filiorum, & hæredum matris, id feciſſe declarat. Allegat, in conſtitutione *Regiminis ſan.me. Sixti IV.* ſtatui, quod defunctorum conſanguinei nequeant cogi ad celebrandas exequias in eccleſiis parochialibus, quando cadavera tumulanda ſunt in eccleſiis Regularium; proptereaque a contrario ſenſu optimum argumentum ſumi, conſanguineos, cum id velint facere, non prohiberi. Vim pro ſe habere autumat Statutum cleri Romani: ſemper in cauſis ſuccubuiſſe parochos, qui voluerunt cogere hæredes ad celebranda in ſuis eccleſiis funera: quod cuncta hæc hæredum arbitrio relicta ſunt, dum ſepulcrum familiæ extra parochiam habetur: id juri, atque æquitati eſſe maxime conſentaneum.

Similia exempla de eadem familia profert; nempe de patre ipſius Antonii Paleæ, ac de matre ipſius Sylviæ, pro quibus funera in eccleſia cathedrali peracta ſunt; cadavera vero in eodem familiæ ſepulcro tumulata. Reſtitutionem

proin-

proinde emolumentorum impugnat; ut ex ſcriptis, quæ dantur.

Cadavera defunctorum ad eandem eccleſiam recto tramite eſſe deferenda, in qua tumulantur, regula eſt, quæ non limitatur, niſi obſtet contraria defuncti voluntas. Hac doctrina receptiſſima utimur, quæ ut inutili verborum circuitu vel confirmetur, vel exornetur neceſſe non eſt.

Dubitatio unica exurgit, quæ controverſiæ nexum facit, an voluntas hæredis, pro voluntate defuncti habenda ſit. Summo jure hoc arbitrium hæredes fortaſſe non ſequitur, quia præſumitur morientem ad ordinationem juris ſe conformaſſe. De jure autem eſt, quod cadavera eorum, qui de ſe aliter non conſtituerunt, ſepeliantur in eccleſiis parochiæ, vel in ſepulcris pro familia conditis. Exequiæ vero ad ritum ſepeliendi pertinent, ipſumque actum ſepeliendi comitantur, & a ſepultura non ſeparantur adeo, ut ſub ipſo ſepulturæ vocabulo non raro funus, exequiæ, & laudationes comprehendantur, de quo permulta apud ipſos Veteres exempla ſunt.

Contrarium tamen non raro obtinuit, ſive ſpeciali jure, quemadmodum Romæ ex cleri lege eſt; ſive ex locorum conſuetudine, atque aliis rerum circumſtantiis, quæ interdum faciunt, ut præſumatur eam fuiſſe defunctorum voluntatem, ut ſui hæredes arbitrium habeant. Videndum quid aliquando de hoc cenſuerit Sacra Congregatio. In eam rem ſunt reſolutiones in *Volaterrana* 16. *Martii* 1726, *& in Sabinen. funerum* 18. *Decembris* 1734.

Epiſcopus demandaverat certe *aſportari cadaver ad eccleſiam Minor. Convent.*, *ibique funus peragi*, *& ſepeliri*, *quatenus non ſit electa ſepultura a defuncta muliere*. Reſtat de hoc inquirendum, an non audienti, & non obſequenti Capitulo emolumenta acquiri potuerint; an in pœnam contumaciæ reſtitui debeant. Dubia

I. *An cadaver Sylviæ Paglia potuerit aſportari ad eccleſiam cathedralem Civitatis Caſtellanæ, ad effectum funus peragendi, & quatenus negative.*

II. *An, & quæ emolumenta funeris Archipresbyter, ſeu Vicarius Curatus capituli cathedralis dictæ Civitatis reiſtuere teneatur eccleſiæ S. Franciſci, in caſu &c.*

PALENTINA JURIS VISITANDI. Propoſita hæc cauſa eſt die 4. Junii proxime præteriti anni ſuper jure, quod ad ſe ſpectare contendit Epiſcopus Palentinus loci Ordinarius, viſitandi parochialem eccleſiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ unitum monaſterio *Sancti Zoili* Ordinis Sancti Benedicti, quæ extat in oppido de *Carrion*, ac ſuper cura animarum, quam in prædicta eccleſia ad ſe unicè, ac

Seſs. 7. cap. 7. de Reformat., & ſeſs. 25. cap. 11. de Regul.

ac libere pertinere propugnat monasterii Abbas, exercendam sive per unum ex suis monachis, sive per alium a se tantum adprobandos, suoque arbitratu vel retinendos, vel amovendos.

Sacra hæc Congregatio, cum monachi tunc sua jura non tuerentur, benignius cum iis agendum censuit. Causæ decisionem distulit, & rescripto addidit *ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem*.

Non usque adhuc de sua contumacia desiliunt monachi: hinc instantior factus Episcopus petit, ut modus tandem controversiæ, ac finis imponatur; maxime ut tumultus, ac turbæ vitentur, quæ ope monachorum, eo loci oriri possunt ex decreto, quo se inconsulto exerceri curam in illa ecclesia prohibuit, ac designavit popularibus ecclesiam aliam; quod decretum, reclamantibus monachis, Nuncius Apostolicus confirmavit.

Addit frustra eos expectari, qui ab initio hujus Sacræ Congregationis judicium, ut declinarent summopere enisi sunt. Et licet pro conscribendis causæ dubiis, ac ad conferenda hinc inde jura, pro ordinatione ejusdem causæ discutiendæ comparuerint; attamen judicium illico deseruerunt, & EE. PP. sententiam reformidant adhuc. Monitum (quæ mens hujus Sacræ Congregationis erat) jam satis superque de hoc fuisse Procuratorem generalem Ordinis, qui respondit sibi renuntiasse Abbatem *Sancti Zoili*, ut a paranda amplius defensione desisteret, nihilque de causa ageret.

Proponitur itaque. De ea videndum est *folium* diei 4. *Junii*, in quo & facti integra species, & expendenda utrinque rationum momenta late habentur. Nihil ultra adjicere necessum est. Eadem dubia sunt

I. *An Parochialis Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ unita regio monasterio Benedictinorum, sive regulari illorum ecclesiæ sub titulo Sancti Zoili in Villa de Carrion Ordinis Cluniacensis Ordinariæ Jurisdictioni sit subjecta, & Pastoralis illius Visitatio, omnesque actus Visitationem ipsam respicientes ad Ordinarium Palentinum pertineant?* & quatenus negative.

II. *An liceat Abbati dicti Regii Monasterii exerceri facere animarum curam supradictæ parochialis ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ per Presbyterum sive sæcularem, sive regularem ad ejus nutum amovibilem, sine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 18. *Februarii* 1764. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

EX Congregatione diei 28. ſuperioris menſis quatuor ſuperſunt cauſæ, quæ nunc cum aliis deciſionem expectant.

TARRACONEN.

An, & quomodo petitis ſit annuendum, in caſu &c.

Seſs.24. cap.12. de Reform.

Affirmative pro quatuor Capitularibus per turnum, & pro duobus menſibus tantum, & cum ſolitis clauſulis.

MARSORUM CAPELLANIÆ.

Seſs.22. cap.3. de Reform.

I. *An liceat Patribus Scholarum Piarum ſatisfacere per ſe ipſos celebrationi miſſarum, in caſu &c.*, & quatenus negative.

II. *An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro diſpenſatione, in caſu &c.*

Ad primum, & ſecundum negative.

CIVITATIS CASTELLANÆ FUNERUM.

Seſs.24. cap.13. de Reform.

I. *An cadaver Sylviæ Paglia potuerit aſportari ad eccleſiam cathedralem Civitatis Caſtellanæ, ad effectum funus peragendi,* & quatenus negative.

II. *An, & quæ emolumenta funeris Archipresbyter, ſeu Vicarius Curatus capituli cathedralis dictæ civitatis reſtituere teneatur eccleſiæ S. Franciſci, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius.
Ad II. Affirmative quoad integra emolumenta, excepta quarta canonica, & amplius.

PA-

Seſs. 7. cap. 7. de Reformat., & ſeſs. 25. cap. 11. de Regular.

PALENTINA JURIS VISITANDI.

I. *An Parochialis eccleſia S. Mariæ Magdalenæ unita regio monaſterio Benedictinorum, ſive regulari illorum eccleſiæ ſub titulo Sancti Zolli in Villa de Carrion Ordinis Cluniacenſis Ordinariæ Juriſdictioni ſit ſubjecta, & Paſtoralis illius Viſitatio, omneſque actus Viſitationem ipſam reſpicientes ad Ordinarium Palentinum pertineant?* & quatenus negative.

II. *An liceat Abbati dicti regii Monaſterii exerceri facere animarum curam ſupradictæ parochialis eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ per Presbyterum ſive ſæcularem, ſive regularem ad ejus nutum amovibilem, ſine Ordinarii Palentini licentia, approbatione, & examine, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative in iis, quæ curam animarum, & ſacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt.

Ad II. Negative.

Seſs,13. cap.5. de Reform.

EUGUBINA DISPENSATIONIS. Gabriel Triangoli anno 1754. poſt mortem Thomæ fratris hæredis uſufructuarii voluit, ut ex parte bonorum duæ Eugubii in eccleſia Collegiata S. Chriſtinæ erigerentur præbendæ canonicales. Canonicorum electionem Collegio dedit; ut eligerentur vero prælationem neceſſariam deſcendentibus utriuſque ſexus ex quatuor deſignatis familiis tribuit *di modo che eſſendovi uno, o più diſcendenti delle ſudette quattro caſe, uno di queſti debba neceſſariamente eſſere eletto, purchè poſſa eſſere promoſſo al ſacerdozio in termine d'un'anno*. Conditionem adjecit deficiente capacitate in vocatis, ut arbitrium Collegio eſſet eligendi civem, ſed ex primo vel ſecundo civitatis gradu: *e non eſſendovi alcuno capace di eſſere eletto ſia in arbitrio de' ſudetti ſignori Canonici eleggere come ſopra chi a loro parerà migliore per ſervizio di Dio, purchè ſia di primo, o ſecondo grado di queſta città.*

Anno 1759. vivente adhuc uſufructuario, neque erectis adhuc præbendis, Ubertus Giſmondi unus ex præferendis familiis, decimum ſeptimum tunc ætatis annum agens, preces obtulit pro diſpenſatione ſuper ætate ad aſſequendam præbendam, quæ poſt mortem uſufructuarii erigeretur. Sac. Congregatio, cui precum cognitio demandata erat, præproperam petitionem rejecit *die 24. Novembris ejuſdem anni*, reſcripſitque *ſupplicet poſt erectionem canonicatuum*.

Biennio poſt, defuncto jam uſufructuario, caſus erectionis venit, quæ tamen longius, quam par erat protracta eſt, ob varias controverſias obortas inter canonicos, atque ipſum Ubertum

tum Gismondi, & Carolum Sansigi alium ex vocatis familiis, super conditionibus, quæ utriusque præbendæ adjiciendæ essent. De his acta est causa in hac Sac. Congregatione *die 26, Martii anni proxime elapsi* super septem dubiis, quæ ad præsentem controversiam non faciunt.

Absolutis hisce litibus, mense Majo ejusdem anni erectio facta est. Collegium in duos novos canonicos nominavit eundem Carolum Sansigi, qui ea erat ætate, ut intra annum posset ad sacerdotium promoveri, & sacerdotem Carolum Perusini civem. Hinc Ubertus Gismondi, qui ab anno 1760. inhibuerat canonicis ne quidquam in sui detrimentum interea fieret, de duplici quæstione nunc Sac. Congregationem interrogat: de dispensatione scilicet super ætate sibi concedenda, & de nullitate eorum, quæ interim a Collegio gesta sunt.

Allegat se uti unum ex familiis, ac testatori ipsi conjunctissimum, cujus manu e sacro baptismatis fonte sublatus fuerat, cuicumque præferendum, & pene ipso facto patronorum non indigere *Rot. decis. 633. num. 2. coram Caprar. in Vicen. Beneficii 2. Junii 1725. §. Intentio coram Aldrovando*.

Neque affirmari posse vocationem familiarum unice esse directam Collegio, ut eam exequeretur, ideoque facto Collegii ejusdem opus esse, a quo merito tanquam incapax secundum legem testamenti exclusus sit. Propugnat etenim ex petitione dispensationis antea facta, & ex rescripto Sac. Congregationis illæsum sibi quodcunque jus mansisse, tam ut dispensationem opportuno tempore obtineret, quam ut postea eligeretur; multo magis cum ageretur de dispensatione, quæ deneganda non esset ex ipso jure, ex benignitate apostolica, & ex recepto hujus Sac. Congregationis usu: quæ vero a Collegio deinde facta essent, manifestum redolere hujus S. Congregationis contemptum, nulla esse intrinsecus, omnino abroganda.

Contra Collegium, ac Perusinus ajunt nullum jus habere Gismondum, qui neque rescripto usus est, dum nihil aliud opportuno tempore fecit, nisi quod ante erectionem per *citationem cameralem* novorum canonicorum nominationem inhibuit; ante nominationem vero super dispensatione non supplicavit. Jure dicunt egisse Collegium, quod deficiente capacitate primo loco vocatorum, elegit capacem ex testamento civem, cui legitimum jus illico quæsitum est, ut petitam postea ab incapace dispensationem impugnet: non expectandum a Collegio, quod aliquis beneficio Principis capax fiat, ut interim excludatur is, qui ex eodem testamento vocationem, & capacitatem electoribus repræsentat, & cui jus tempore electionis, quod habet, auferendum non est *Piton. in Parergon. num. 17.*

Maxime dum agebatur de qualitate non requisita a jure, sed ab

ab homine, quæ inspicitur tempore vocationis, vel saltem præsentationis. *Rota in Aretina Beneficii* 22. *Aprilis* 1749. §. 13. *cor. Canilliac.*. Dicunt enim, tempore, quo electio facienda erat, rem amplius non esse integram: injuriam tunc Collegium capaci facere non potuisse: neque dispensationem nunc concedendam. Certissimam hanc esse ajunt doctrinam Rotæ, & hujus Sacræ Congregationis. *Rot. in Comen. Jurispatronatus* 22. *Junii* 1744. §. 4. *& seq. coram de Vays*, *&* 14. *Julii* 1745. *cor. eod.* Sac. Congregatio *in Cremonen. Jurispatronatus*, *seu dispensationis* 8. *Julii*, *&* 9. *Septembris* 1702., de qua *Piton. in Parerg. num.* 14.

De reliquis vero se tuetur Collegium recte, ac legitime fecisse omnia: illam *citationem cameralem* ex ipsis Pontificiis constitutionibus impedimentum non præbuisse, super quo plurima cumulat.

Certe procedendum est caute in hisce dispensationibus concedendis; dum per dispensationem hanc, secundo loco vocati excluduntur, qui & ita excludentur semper, cum difficillimum sit, quod ex descendentibus tum ex masculis, tum ex fæminis quatuor familiarum, non reperiatur, qui dispensationem petere possit, atque interim dispensationis obtinendæ exitus a capacibus vocatis expectari debeat.

Perpendendum in casu, num hoc etiam sit contra manifestam testatoris voluntatem, qui deficiente ejus capacitatis conditione, videtur per annexam illico vocationem aliorum, tunc eo tempore incapacem omnino exclusisse; præsertim cum loqueretur de ea incapacitate, quæ in sola ætate erat, super qua facile dispensatio obtineri poterat.

Videndum, num etsi facta nominatio a Collegio nulla ob *inhibitionem* dici velit, hæc nullitas tale detrimentum actu jam capaci intulerit, ut nullum jus in re sibi jam acquisiverit, adeout nullum modo jus habeat ad dispensationem adversario incapaci impugnandam.

Proponitur

I. *An sit locus dispensationi ætatis necessariæ ad Sacerdotium, itaut in assecutione unius ex Canonicatibus ex dispositione Gabrielis Trianguli erectis in ecclesia collegiatæ S. Christinæ Ubertus Gismondi sit a capitulo præferendus, in casu &c.*

II. *An constet de attentatis, itaut nominatio ad unum ex canonicatibus a Gabriele Trianguli ordinatis facta a capitulo S. Christinæ in personam Gabrielis Perusini sit circumscribenda, in casu &c.*

Ad I., & II. Negative.

NE-

NEPESINA CONFIRMATIONIS CONCORDIÆ. Quatuor Capellani *di Conti*, *e Borelli* (nomina familiarum sunt, a quibus reditus veniunt) qui altare habent in ecclesia *Sancti Laurentii* terræ Formelli Nepesinæ diœcesis, dubia, & dissidia inter se orta, demum, auctore, & allaborante Episcopo, definiverunt, ac composuerunt solemni transactione. Hujus transactionis a S. Congregatione approbationem, quam instrumento expresse reservarunt, nunc postulant. Tota ejus rei cognitio in facto est.

Cap. 12. sess. 24. de Reformat.

Franciscus de Comitibus anno 1673. hæredem fecit Franciscam Borelli uxorem, dicta lege *di tutto quello, che della mia Eredità sopravanzerà alla detta mia moglie, sia obligata disporre a favore di quel Luogo Pio, che più le parerà con peso del frutto di celebrarne tante Messe, quante entreranno a ragione di giulii due per qualsivoglia in perpetuo per l'anima di essa mia moglie, e de miei antecessori, e successori.*

Superstes uxor secundum virum habuit Laurentium Manganelli, quem moriens suorum bonorũ hæredem usufructuariũ instituit: de bonis vero prioris viri ita scripsit *Erede universale istituisco, e nomino la cappella, o sia altare dell'anime del Purgatorio nella Chiesa di S. Lorenzo di Formello, ad effetto che colle rendite annue delli beni Ereditari di detto quondam Francesco Conti se ne celebrino in detto altare in adempimento della di lui mente tante Messe à ragione di giuli due per ciascheduna Messa dalli Cappellani da nominarsi.*

Post obitum autem sui hæredis usufructuarii, ita jusserat: *dopo la di lui morte, mio Erede universale proprietario istituisco il sudetto Altare, o Cappella dell'anime del Purgatorio* adiecta conditione, *che delle rendite, ed acquisti estradotali scudi cinquanta ogni anno servino per il sudetto Altare per la cera, oglio, paramenti sacri, ed altro bisognevole per il medesimo, ed Esposizione del SSño, che vi si farà ogni terza Domenica del mese, e quello avanzerà di dd. scudi cinquanta ogni anno si debba depositare nel S. Monte di pietà di Roma a credito di d. Altare, ed erogarli in rinovazione di dd. paramenti Sacri, ed altro secondo il bisogno, e per riparazione de beni stabili di d. Eredità Conti, e trovandosi moltiplicata, e depositata &c. somma maggiore di sc. 50. si debba rinvestire in censi stabili, o luoghi di Monti non vacabili a favore di d. Altare.*

Sed exinde de sacrorum numero variavit legem: *per la celebrazione delle messe a due giuli l'una secondo le rendite annue degli effetti Ereditari sud. di d. quondàm Francesco Conti debba esso S. Lorenzo mio marito eleggere, e nominare tanti Cappellani quanti ce ne entreranno, e si potranno a ragione di sc. 72. per ciascheduno ogni anno, quali debbano celebrare ogni settimana quattro Messe al sud. Altare mio dell'anime del Purgatorio, secondo l'intenzione del qu. Francesco Conti, e mia benche venisse ad importare piu di due giulii per messa.*

In eo autem casu, quo majores superextantes reditus ascen-

derent ad sc.36. voluit, quod altera institueretur capellania, iniuncto onere duorum sacrorum qualibet hebdomada; addiditque, quod secuto obitu sui secundi viri *tutta la mia eredità si debba accumulare colla sudetta Eredità Conti, e secondo le annue rendite, che cresceranno dell' Eredità mia, si debbano accrescere anco li Cappellani sudetti coll'istesso annuo assegnamento di sc.72. per ciascheduno, quali douranno celebrare per settimana quattro Messe al sudetto Altare, e debba osservarsi in tutto, e per tutto quella di sopra è disposto dell'*Eredità *Conti, e mia.*

Quatuor hinc primos nominavit capellanos, postmodum jus nominandi dedit Laurentio suo viro, ac eo defuncto Prioribus Communitatis Formelli; præscripsitque, quod bona omnia administrarentur per antiquiorem capellanum, cui stipendium annuum dedit sc.12.

Laurentius Manganelli secundus vir renunciavit usufructui ab uxore relicto, retinuitque tantummodo quartum dotale in sc.937.50. Ita quatuor capellaniæ anno 1693. constitutæ sunt auctoritate Ordinarii Nepesini: *Quatuor Capellanias, seu beneficia erexit, & instituit, & pro dd. quatuor Capellanis, seu beneficiatis sic erectis supradicta bona stabilia, census &c. spectantia tam ad hæreditatem quondam Francisci de Comitibus, quam quondam Franciscæ Borelli, & in Inventario descripta perpetuo assignavit, & semper vocentur Capellani de Comitibus, & Borelli, & propterea Capellani, seu beneficiati pro tempore existentes teneantur, & obligati sint celebrare tot Missas ad rationem iuliorum duorum pro qualibet Missa in hebdomada secundum reditus, & proventus dd. hæreditatum de Comitibus, & Borelli, & si augeantur reditus dd. hæreditatum, augeatur etiam numerus missarum ad formam dispositionis dictæ quondam Franciscæ dè Borellis, mandavit nec non, ut quilibet eorum ex quatuor Capellanis una vice pro quolibet interesse teneatur cum cotta, & bireto in functionibus faciendis in dicta Ecclesia S. Laurentii pro quolibet die festo in hebdomada, & Capellani obligati sint quolibet anno ex reditibus, & proventibus bonorum extradotalium dictæ Franciscæ depositare ad favorem dicti Altaris scuta quinquaginta, quæ stare debeant, & erogari in emendo oleum indumenta sacra &c. &c. & Capellano antiano pro eius salario administrationis assignavit quolibet anno sc.12. juxta dispositionem &c.*

Decursu temporis capellani animadvertentes male sibi Laurentium Manganelli reservasse quartum dotale, illud ab ejus hæredibus una simul cum fructibus recuperarunt. Ita aucto patrimonio dubitatio orta est inter eos, ac dissidium, an numerus sacrorum, juxta auctos reditus maior esse deberet; existimantes se quatuor sacra singulis hebdomadis celebrantes, nihil percipere nisi 41.60., cum contra testatrix eorum cuilibet sc.72. assignaverit. Præcipua dubitandi ratio oriebatur ex parum distincta ratione patrimonii *Franciscæ Borellæ*, ab ea *Francisci de Comitibus* prioris viri

Hinc

Hinc primum S. Congregationem adiverunt. S. Congregatio Episcopum interrogavit, qui dixit hereditatem Francisci de Comitibus esse debuisse in bonis stabilibus *valor sc.2500., ac in mobilibus, & credit. valor. sc.8000. juxta ea, quæ erui potuerunt ex confusis scripturis*. Addidit, quod defuncta uxore reperta tantum fuerunt bona valor. *sc.3057. circiter*, quæ *quum non æquarent valor. bonor. relict. a suo viro*, censebat quod *omne augmentum, quod intervenire potest adscribi videtur ad Patrimonium Francisci de Comitibus respiciens piam causam Missarum circa quas clara est littera erectionis, quæ voluit celebrationem Missarum ad rationem juliorum duorum pro qualibet Missa in hebdomada secundum reditus, & proventus, ut etiam ordinatum fuit in erectione Capellaniarum*.

Verum posthæc omnia, anno 1761. annuente, & probante Episcopo concorditer capellani transactionem iniverunt. Stipulatio in hæc pacta concepta est.

Primieramente, che si debbino accumulare tutte l'entrate provenienti dall'Eredità Conti, e Borelli, e formato il conto dell'entrate esatte in fine dell'anno, debba la detta Ven. Cappella avere per antiparte la somma di sc.50. lasciati dalla quondam Francesca Borella per spenderli nelle suppellettili, mantenimenti di fondi Borella, e Conti, e per le liti, come anche debba avere per antiparte li frutti del Censo in sorte principale di scudi 621. creato in maggior somma di scudi settecento trenta dal detto Filippo Ravarini a favore della medesima Cappella, come anche provenienti dalla cessione fatta dalla Reverenda Fabrica a condizione di dovere anche li frutti di tal Censo per la rata sudetta di scudi 621. cumulare con dd. sc.50., ed impiegarli in tutto, e per tutto come sopra a tenore anche del Testamento della detta quondam Francesca Borella, come ancora debbano detraersi dall'intiero nell'Eredità, cioè dal suo frutto scudi dieciotto annui per li emolumenti dell'Amministratore; che sarà pro tempore.

Che dedotte le sudette partite, il soprapiù dell'annua entrata debba pagarsi, e sborsarsi, cioe sc.50. per ciascun Cappellano col peso solito delle Messe quattro per ciascheduna settimana, e sopravanzando alla somma oltre li scudi 200. annui, come sopra, debba anche ripartirsi fra Cappellani sudetti coll'obbligo di celebrar tante Messe, quante ne entreranno alla ragione di due paoli per Messa dentro l'anno, che siegue.

Che tutto il soprapiù degli emolumenti si debba rilasciare, e donare a favore della causa pia sudetta per il qual'effetto rinunciano anche a qualunque nihil transeat, e respettivamente ad ogni impedimento, eccezzioni, e pretensione, che potesse ostare all'approvazione del presente contratto.

Che ricuperandosi qualunque altro corpo, e credito di dd. Patrimonii il tutto debba cedere a favore della Pia Causa sudetta per fare la celebrazione di tante Messe a tenore del Testamento del prenominato Francesco Conti.

Convengono finalmente, che debbasi a nome comune di essi Signori

RR. Cappellani presentare a Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo loro Vescovo la supplica da darsi in S. Congregazione del Concilio coll'inserzione del presente atto per ottenere la dovuta approvazione per la perpetua, ed inviolabile osservanza di esso.

Antequam petitio in S. Congregatione proponeretur, denuo interrogatus Episcopus est. Is necessariam transactionem dicit, se omnia laudare, ac probare integre, ut ex ejus *relatione*, quę dabitur.

Capellani necessariam fuisse contendunt, utilem *operi pio*, pinguius impleri voluntatem Francisci de Comitibus, cujus hęreditatis vires impares essent ad injunctum onus ferendum; utilitatem sua industria partam eidem *operi*, quod recuperarunt quartum dotale, & fructus; atque utriusque patrimonii confusionem exaggerant; aliaque addunt, quę in scriptis videnda erunt.

Sacra Congregatio cum intercesserit necessaria causa, ejusmodi contractus alias probavit. Viden. *Caputaquen. concordiæ* 28. *Februarii* 1733., & *Leodien. Concordiæ* 2. *Junii* 1742.. In hac, de qua agitur, quilibet capellanus habebat jam annua sc.41. 50. augmentum est solum in sc.8. 40.

Quid sit respondendum EE. PP. edicent.

Dub. *An sit locus approbationi Transactionis in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess.22. decret. de evitan. & observ. in celebrat. Miss.

SANCTI SEVERINI ELEEMOSYNÆ MISSÆ CONVENTUALIS. Septempedana, seu *Sancti Severini* ecclesia nunc duodeviginti præbendas numerat. Non autem una earum ætas, non una conditio. Antiquitus septem habebat, nimirum duas dignitates, & quinque canonicatus. Horum usque ad hæc tempora vetus commune ærarium est. Sixtus V., qui cathedralem fecit, quinque præbendas addidit, quæ alia pecunia gaudent; sed iisdem honoribus potiuntur, eadem onera ferunt. Octoginta post, & ultra annos duæ adjectæ sunt ex legato *Valerii Pellici*, quas capitulum admisit, data lege, quod adlecti tenerentur *cantare la messa nella sua eddomada, assistere alle processioni, fare l'eddomade, come gli altri Canonici;* quodque nullum jus haberent *a prendere frutti, nè di prebende, nè di distribuzioni del capitolo vecchio, nè del capitolo nuovo*. Secutis temporibus aliæ quatuor admissæ sunt; sed conditionibus iisdem, & speciatim, quæ ex legato *Amantiæ* Margarucci anno 1700., & quæ ex legato *Caroli Casciani* anno 1713. erectæ sunt.

Usus tulerat, ut quilibet canonicus, qui sua hebdomada *missam conventualem* celebrare debebat, eam, quasi pro digni-

gnitate, die festo tantum caneret, reliquas suæ hebdomadæ quatuor capellanis, qui in ecclesia sunt, mandaret, soluta tamen a quolibet proprio ære, eleemosyna. Hinc fortasse factum, ut aliqui ex canonicis postea existimarent onus hoc capellanorum proprium esse, atque eleemosynam denegarent; hinc, ut non data eleemosyna, celebratio negligeretur. Huic malo providit Episcopus suo decreto anno 1761., quo neglectas celebrandas jussit, & in posterum a singulis omnino celebrandas edixit.

Obtemperarunt cæteri præter duos, & quidem novissimæ erectionis *Margarucci*, & *Casciani*, scilicet *Severinum Margarucci*, & *Ludovicum Fidi*, qui a decreto Episcopi reclamarunt. De eorum querelis causa agitur, contradicente tum capitulo, tum capellanis.

Ajunt duo, qui repugnant, capellanos servire ecclesiæ nullo eisdem circumscripto onere, ideoque hoc celebrandi *missam conventualem*, ad quam omnes tenentur, qui ecclesiæ inserviunt, eis jure ipso injunctum videri: contrarium tantummodo habere locum ubi certis limitibus definitum servitium sit, ultra quos extendi nequeat; atque ita literam encyclicam Benedicti XIV. intelligendam. Præter hæc tenuitatem suorum redituum ostendunt, qua ex ipsa lege Benedictina ab hoc onere liberantur.

Ubi vero eleemosyna capellanis danda esset, illam propugnant eis dandam ab antiquiori capitulo septenario, cui ex liberalitate *Innocentii VIII.* conspicui reditus accesserunt anno 1489. unione commendæ duorum monasteriorum Sancti Benedicti, cum onere eos capellanos retinendi; capitulum ipsum capellanos eligere, illos suo arbitrio removere: convenire hoc literæ Encyclicæ Benedictinæ, qua cavetur *Beneficiatos*, seu *Mansionarios ad missam conventualem teneri eleemosyna desumpta ex massa distributionum*.

Contra hæc capellani se tuentur, sibi etiam oblata eleemosyna liberum esse hoc officium præstare canonicis: se nullum titulum perpetuum ecclesiæ habere, arbitrio veteris capituli admitti, arbitrio retineri; propterea nullo jure cautum, ut hoc onus aliis injunctum impleant: sufficere novis canonicis, & præsertim hisce duobus novissimis, si videant ex majori numero ecclesiasticorum melius decori, & servitio ecclesiæ consultum sine ulla eorum impensa: injuriam esse, ut alios non legitimo onere gravent, quo suo necessario seipsos liberent.

His, quæ capellani viriliter afferunt, addit vetus capitulum, omnes novos, & præsertim sex adlectos post erectionem cathedralis expresse admissos cum onere adimplendi omnia onera; ideoque ad hoc a jure expresse impositum onus teneri: reditus ex beneficentia Innocentii VIII. ipsi capitulo speciatim addictos; suos esse integre; ex his unicam

cam consuetam mercedem dandam capellanis: capellanos ipsos suo arbitratu accipi, pro libitu dimitti; eos veluti ecclesiasticos quosdam habendos, quos pro decentiori cultu ecclesiæ servando recipi constitutum usque ab initio fuerit: præterea incivile propemodum esse, ut nullo querelas excitante, contra id, quod antea ab omnibus factum est, quod modo omnes faciunt; hi solum, & novissimi exsurgant.

Episcopus multa dicit, quo decreti sui justitiam ostendat, multa de recepto usu ante ipsum decretum, quod tantummodo abusum abstulit; tenuitatem redituum excludit, ut patet in ejus *relatione*, quæ circumferetur.

Ad rem facere videtur *Lucana Missæ Conventualis* 4.*Maji* 1750. Quæritur

I. *An Capellanis, seu Mansionariis ecclesiæ cathedralis Sancti Severini celebrantibus, & applicantibus missam conventualem in diebus ferialibus debita sit particularis eleemosyna, & quatenus affirmative.*

II. *An, & de quibus reditibus ea sit præstanda, in casu &c.*

Sess.24. cap.13. de Reform.

ANDRIEN. Ex multis obortis, quæ actitantur litibus inter Episcopum, & capitulum Andrien., controversia, de qua est sermo, unice respicit curam habitualem animarum, an penes Episcopum, vel capitulum sit. Die 23. Aprilis superioris anni proposita est sub dubio *an Ecclesiæ Cathedralis unicæ in Civitate Andriæ Parochialis, Parochus sit Episcopus, & ad quos effectus, seu potius Capitulum ejusdem Cathedralis*. Responsum est *affirmative ad primam partem quoad omnes effectus, negative ad secundam.*

Denuo proposita est *die* 30. *Julii* ejusdem anni, sed capitulum de sua sorte fortasse expavescens, dilationem, & simul *compulsoriam* petiit. Dilatio concessa est, rejecta *compulsoria*. *Die* 24. *Septembris* in *folio* erat, sed ob temporis angustiam proponi non potuit, ac ad primam post autumnales ferias dilata est. Hinc capitulo salutis initium. Nam interposita mora diligentissime usum est; novam defensionem, ac nova monumenta sibi paravit. Iis artibus, ea legitima industria, quod difficillimum existimabatur, obtinuit, nimirum, ut Sacra Congregatio variaret sententiam, ac *die* 26. *Novembris* decerneret *curam animarum habitualem esse penes Capitulum*.

Nunc Capitulum arridentem sibi fortunam hilari fronte persequitur. Instat, ut annosam hanc litem sibi tandem detur videre extinctam. Redit itaque ad judicium EE. PP. causa. Finis certe imponendus esset huic controversiæ utrique litiganti exitiosæ, ac, ob diversas animorum partes in ea civitate, magnarum irarum conservatrici.

Ca-

Capitulum iis, quæ post editum *folium* tunc proposuit, cumulum nunc accessisse existimat ex testimonio notarii, qui acta consistorialia pro novis Episcopis conficit. Ait probationem, quæ ex hisce actis venit, certissimam esse: Episcopos ipsos curare, ut acta conficiantur; testes seligere, atque inducere; absolutis actis ea Sacro Collegio distribuere.

Præter ea affirmat, quod Joseph Damiani, Januarius Savelli, & Vitus Leonetti testes pro iisdem actis adhibiti ann. 1695. 1706. 1718. 1743. canonici erant collegiatæ S. Nicolai, quæ acriter capitulo contradicit; propterea que omni exceptione majores esse, ac in re, de qua agitur, uti classicos testes habendos.

Expectandæ sunt Episcopi responsiones. Proponitur *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis.*

URBANIEN. PRIMICERIATUS. Ad vacantem primiceriatum, quæ quarta est dignitas ecclesiæ cathedralis Urbaniæ jurispatronatus familiæ de Miniis *Vincentia Giannini Ripa*, uti ex ea familia, præsentavit die 14. Aprilis anni 1762. sacerdotem *Zenonem Gatti* extraneum. *Doralix Minia*, uti ex familia, præsentavit biduo post *Franciscum Zucchi* filium ætatis decimum tertium annum agentem, sub conditione Apostolicæ dispensationis obtinendæ. Hujus favore supplicatio signata est. Sed cum altera supplicatio favore Gatti super derogatione medietatis vocum signata fuerit; hinc totius negocii cognitio ad hanc S. Congregationem remissa est.

Sess. 7. cap. 4. de Reform.

Franciscus Zucchi allegat, quod sibi descendenti ex ea familia competat jus passivum ex ipsa litera fundationis, & quod nullum competitorem ex illo sanguine habeat; ac propterea dispensatio ætatis sibi deneganda non sit *Sacra Congregatio in Lucana Beneficii, seu Capellaniæ* 17. *Maji* 1749., *in Osnabrugen. Canonicatuum* 7. *Aprilis*, *&* 21. *Julii* 1753., *Neritonen. Abbatiæ* 19. *Aprilis* 1760., *Balneoregien. dispensationis* 21. *Junii ejusdem anni*, *Tudertina Capellaniæ* 29. *Augusti* 1761., *Anconitana Capellaniæ die* 12. *Junii* 1762.

De sua descendentia asserit controversiam non esse; de jure vero patronatus passivo favore descendentium ambigi non posse; ultimum statum clarum esse, in quo anno 1751. Franciscus Rota, uti ex familia institutionem obtinuit; clarissimum statum antecedentem, in quo Hector Ripa nominatus a Vincentio patre, uti e familia, licet ætatis annum ageret decimum septimum, Apostolicam dispensationem impetravit, & eam dignitatem retinuit: convenire etiam priores status, in quibus nemo admissus videtur, qui e familia non fuerit: se nominatum fuisse a persona legitima, ni-

nimirum a *Doralice* matre, quæ in ſtatu præcedenti ſimul cum *Vincentia* Giannini Ripa ad nominandum admiſſa fuit.

Addit ſupplicationem ſacerdotis Gatti ſubreptionis vitio infectam, quia reticuit ipſum Zucchi fuiſſe nominatum legitime; aliaque congerit, quæ in ejus ſcriptis videnda ſunt.

Epiſcopus hiſtoriam texuit erectionis hujus dignitatis, ejuſque primæ originis ex duabus capellaniis illius familiæ, ut ex ejus *relatione*, quæ inter ſcripta habetur.

De jurepatronatus paſſivo, defectis agnatis familiæ Miniæ, fortaſſe dubitatio nulla eſt, ſi intrinſecus inſpiciatur etiam fundatio primæ capellaniæ, quam aliæ fundationes præ oculis habuerunt. Dubitari non incongrue poſſet de jure nominandi in *Doralice*, quæ ex linea ſecundogeniti eſt, cum *Vincentia* ſit ex linea primogeniti: juſpatronatus vero activum ad primogenitum ſpectare videtur; licet favore Doralicis aliquid faciat, quod in præcedenti admiſſa fuit. Cæterum Zucchius nominatione fortaſſe non indiget. Sed hoc caſu controverſiæ aſpectus mutaretur omnis; nam hoc caſu paſſive vocatus non idoneus, contenderet pro diſpenſatione obtinenda, contra extraneum, ſed idoneum, & ab unica patrona nominatum. Decidendum eſt

An, & quæ ſupplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.

Die Sabbathi 24. Martii 1764. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor tantum cauſæ in proxime acta Congregatione die 18. Februarii proponi non potuerunt, quæ nunc proponuntur.

NEPESINA CONFIRMATIONIS CONCORDIÆ. *Seſs.44. cap.12. de Reform.*
An ſit locus approbationi Tranſactionis, in caſu &c.

Negative, & ſerventur diſpoſita in Erectione, & amplius.

SANCTI SEVERINI ELEEMOSYNÆ MISSÆ CONVENTUALIS. *Seſs.22. Decret. de obſervan. & evitan. in celebrat. Miſs.*

I. *An Capellanis, ſeu Manſionariis eccleſiæ cathedralis Sancti Severini celebrantibus, & applicantibus miſſam conventualem in diebus ferialibus debita ſit particularis eleemoſyna*, & quatenus affirmative.

II. *An, & de quibus reditibus ea ſit præſtanda, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative a ſingulis Canonicis ex reditibus Parochialibus, & amplius.

ANDRIEN. *Seſs.24. cap.13. de Reform.*
An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis.

Dilata ad primam poſt Agnos omnino etiam unica.

Sess. 7. cap. 4. de Reform.

URBANIEN. PRIMICERIATUS.

An, & quæ supplicatio sit relaxanda, in casu &c.

Relaxandam esse supplicationem Francisci.

Sess:24. cap.1. de Reform. Matrim.

VALENTINA NULLITATIS MATRIMONII. Anno 1746., non adhuc elapsis duobus mensibus, *Vincentia Navarro* in curia Valentina, conquerens *Ignatium Rubium* virum inutilem, neque esse aptum conjugio, illud secundum canones dissolvi petiit. Contradixit maritus. Curia decrevit, ut per triennium simul habitarent conjuges. Reclamante muliere, ad hanc Sacram Congregationem pervenit causa. *Die* 24. *Augusti* 1754. Sacra Congregatio rescripsit concordi suffragio *esse locum cohabitationi triennali*.

Moras primum variis ex causis nexuit maritus; tandem imperio obtemperavit. Jam nunc quatuor ab annis triennii tempus, quo simul vixerunt conjuges, elapsum est. Modo mulier controversiam instaurat, ac dissolutionem matrimonii postulat. Omnia per se explevisse ait, quæ debebat; omnia in causa expleta esse, quæ canones ad matrimonii dissolutionem requirunt. De exceptionibus, quas affert maritus, contendit eas spernendas esse; non probari, nisi ex testimonio ejusdem; nihil ei fidendum semper vario in suis dictis, mendaci, & perjuro: si quid de experimento etiam circa intermedium tempus defuerit, vel minimum id fuisse, neque immutare suam bonam causam, vel viri culpæ tribuendum; ex culpa autem alterius, alteri damnum venire non posse. Demum, quod rei caput est, se integram adhuc esse inquit non dubitari, viro autem nulla medicorum auxilia profuisse. De Ordinarii judicio deinde conqueritur.

Pro matrimonio *defensor ex officio* multa diserte ad ejus firmitatem cumulat. Proponit integri triennii habitationem cum individua vitæ consuetudine, & eo præsertim modo, quo requirebatur, non intercessisse: maritum de hoc conquestum fuisse pluries; morosam, atque infensam sibi mulierem de hoc accusasse; juramento confirmasse omnia, eique de jure potius, quam mulieri credendum esse: obstetricum de muliere judicium nihil facere ad probandam viri imbecillitatem, quæ probatio necessaria est: præterea eas in suis dictis parum sibi constantes, inter se discordes, judiciali examini subjici saltem debuisse: alia denique omnia, quæ canones in ejusmodi casibus statuunt, ac canonistæ confirmant, fuisse omissa.

Archiepiscopus suam sententiam aperit, sibi non adhuc vi-

deri, quod constet de legitima dissolutionis causa. Videnda sunt omnia ex scriptis, quæ circumferentur, & ex causæ monumentis, quæ exscribere necessarium non est, & hic non exscribuntur consulto.

Nexus matrimonii rite, & secundum Ecclesiæ leges contracti solvitur ex vitio, seu impedimento alterius ex conjugibus, dum alter querelam de eo proponit, ea præcipua ratione nimirum consensus, qui initio defuit, ut patet ex ipsa litera *cap.* 1. *de frigid. & malefic.*, nam alioquin, si impedimentum, aut vitium antea esset notum, actio non daretur ad dissolvendum matrimonium *cap. consultation. eod. tit.* uti ob eam fortasse potius rationem, quam ex iis, quas refert *gloss. in cap. quod sedem*, nimirum consensus, qui initio non defuit, matrimonia, quæ ineuntur cum senio confectis non dissolvuntur. *c. de nupt. sancimus* 27. *quæst.* 1. & 31. *quæst.* 1. & 100. *quod si dormierint*.

Horum judiciorum fundamentum, ac basis universa est, ut primo, & manifeste constet de matrimonio agi non consummato; aliter in quocunque dubio tanquam de re interdicta, & supra humanam potestatem posita canones non loquuntur. Hinc interdum inspectiones peritorum ab initio; hinc juramenta conjugum; hinc septima manus propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ; hinc alia in eam rem per canones præscripta sunt.

Rite inquiritur postea num impedimentum, aut vitium illud sit, quod evidenter pateat, & nulla unquam venturo tempore medicorum ope juvari possit. Eo casu mitius agitur, & tanquam de certa, & per *verum judicium* probata re, certum judicium non differtur.

Sin vero res dubia appareat, aliter res procedit; multoque magis si solum præsumptionibus innitatur. Tunc ut conjuges canonicum habitationis experimentum faciant, necessarium omnino est, spatium triennii. Hoc experimentum etiam in repudiis leges civiles requisiverunt, biennii primum, postea triennii tempore. *vid. l. in causis Cod. de repudiis*, *ac novell.* 22. *de nuptiis*.

Expleto sic triennio, si per *rectum judicium* de matrimonio adhuc non consummato evidenter constet, tunc demum de vitio, quod nonnunquam naturæ, & reapse irreparabile est, nonnunquam respectu tantum personæ, & de matrimonii legitima dissolutione sententia dicitur; præsertim si alia accedant, quæ de jure necesse est, ut serventur. Hæc summatim Ecclesiæ doctrina est, qua semper in judiciis est usa, & quam semper in hisce controversiis Sac. Congregatio retinuit. Videndæ resolut. in *Mediolanen. Matrimonii* 4. *Decembris* 1728., *Marsicen.*, *seu Caputaquen. Matrimonii* 17. *Decembris* 1726., *Sancti Severini Matrimonii* 14. *Decembris* 1737., *Narnien. Matrimonii* 27. *Augusti* 1746., & *Forolivien. Dissolutionis Matrimonii* 8. *Augusti* 1761.

Enimvero dispensationes super matrimonio non consummato ad hanc judicii classem non referuntur: extra ordinem sunt, & perraro, & non nisi ex certis cognitis, probatisque causis conceduntur. *Sanchez de Matrimon. lib. 2. disput. 16. De Just. disput. lib. 2. cap. 10. num. 20. Sac. Congregatio in Romana 28. Martii 1699. in Eystetten. Dispensationis 15. Maji 1716. in Pragen. Matrimonii 7. Julii 1731. & in Barchinonen. Matrimonii 22. Maji 1734.*

His ita præmissis, nunc agi de postrema controversiæ specie clarissimum est; nam Sac. Congregatio necessarium hoc credidit experimentum, & partes Sac. Congregationis iudicium acceptarunt, ejusque mandato paruerunt.

Venit itaque inquirendum modo num experimentum legitime peractum sit. Affirmat mulier, negat maritus, dubitat Ordinarius, qui neque de integritate virginis existimat claram probationem haberi.

Num ideo causa ad eam maturitatem pervenerit, ut tute in unam, vel alteram partem decidi possit, sive aliquid allatis probationibus addendum supersit, EE. PP. sua doctrina cognoscent perpensis omnibus, quæ apud *acta* causæ extant, ac sapientissime suo more diiudicabunt. Dubium

An sit locus dissolutioni matrimonii in casu &c.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

IMOLEN. Petrus Tedeschi e terra Massæ Lombardorum diœcesis Imolen. anno 1647. filiis hæredibus præcepit de quadam domo, quam habebat ex patrimonio *Rustici*, ut venderetur, & ex pretio, deducto ære alieno, reditus acquirerentur, ex quorum deposito aliæ deinceps acquisitiones fierent; sicque multiplicarentur omnia, donec in patria monasterium pro mulieribus erigeretur: *in caso di erezione di monastero di Suore, o Monache in questa terra della Massa il detto capitale, e frutti debbano applicarsi alla fabrica di detto Monastero. Volendo che li suoi Eredi nè altri mai in alcun tempo in modo alcuno non possino pretendere nè avere sopra detto capitale, e suoi frutti cosa alcuna, ma siano a disposizione come sopra.*

Multiplicatio horum redituum durat adhuc, quorum sors ad conspicuam summam conscendit jam sc. 17000. & ultra, reditus pene scuta annua octingenta attingunt, licet æris alieni quatuor & ultra scut. millia insint, cum annuis fructibus: casus autem erectionis monasterii non adhuc venit. Hinc publicus ejus loci magistratus anno 1762. supplicavit *di voler surrogare in vece del Monastero da erigersi le Mastre Pie.*

Harum precum cognitio huic S. Congregationi demandata est; de eaque nunc agitur.

Ma-

Magistratus contendit rem non esse de vere commutanda, sed tantum interpretanda, imo declaranda voluntate testatoris, qui respexit ædificium monasterii *di Suore*, *o Monache*; sub appellatione autem di *Suore*, juxta ejus regionis communem loquendi usum, venire non solum moniales sed etiam *le altre Suore anche dette di Casa, cioè Terzine, o simili, che convivono, e insieme coabitano in ritiro separato, quantunque non abbiano clausura, a differenza del nome di Monache, che suole appropriarsi solamente alle Religiose, che hanno per obligo la perpetua clausura*, ut indigenæ testes affirmant: propugnatque testatorem ab illis non abhoruisse, imo le *Suore* primo loco nominasse.

Quando vero non de interpretanda, & declaranda mente, sed de commutanda voluntate ageretur, asserit intercedere pro commutatione necessariam causam; utilitatem vero commutationis evidentem, ac manifestam esse. Primum aiunt patere ex facto, cum post centum, & ultra annos monasterium claustralium adhuc erectum non sit; impugnari autem non posse utiliorem esse domum pro educandis puellis loci sub cura mulierum, quæ honeste, ac laudabiliter in eam educationem unice incumbunt ex suo instituto, quod plurimis in locis receptum, ubique ex secuta utilitate summopere commendatur, gratumque habetur: monasterio monialium uti posse perpaucas puellas, & quidem ex magna parte exteras, cum indigenæ non sufficerent: hanc autem domum apertam esse puellis omnibus ejus loci, & cujuscunque conditionis: hinc puellas eam morum institutionem accipere posse, ut optimæ deinde matres familias sint, quod maximum & omnibus præferendum reipublicæ emolumentum est.

Addit summum momentum ad eam commutationem obtinendam haberi ex testamento *Achillis Tedeschi* Petri testatoris ex filio nepotis, qui casu, quo vice monasterii sanctimonialium impetraretur facultas erigendi conservatorium puellarum, eidem legavit subministranda *à spese dell'Eredità pietre 50.m. e coppi 6.m. per impiegarle in detta fabrica del Conservatorio, che sarebbe più facile ad effettuarsi, ed opera più pia e necessaria*. Hinc infert, ipsum testatoris nepotem hanc commutationis necessitatem, ac utilitatem agnovisse, eamque exoptasse: hinc ait proficisci, quod Marchio *Paulus Tedeschi* successor nunc contradicat, ne scilicet legatum præstet.

Contra autem Tedeschi pugnat contrariam mentem testatoris esse apertissimam, qui unice monasterium sanctimonialium voluit: pauco annorum spatio ex reditibus æs alienum, conflatum causa construendi monasterium, dissolvi posse: monasterii ædificium jam cœptum; sufficientes postmodum reditus esse pro eo perficiendo, instruendo, ac in omnibus, si opus sit, sustentando: similia monialium plenissima cænobia conter-

terminis in locis haberi maximo commodo civium, augeri ex iis loci frequentiam, gratiam, ac dignitatem.

Episcopus commutationi favet; ac multa in eam rem dicit, quæ in ejus relatione videnda sunt.

Quod agitur de mente ac voluntate testatoris, certe de his mulieribus non cogitavit, neque eas cognovit; quarum recens institutio est, & quæ nulla certa vestis forma, sed familiari regula in domum conveniunt, in ea simul vivunt, puellas educandas domi recipiunt, quotidie domum venientes puellas instruunt, unde iis *magistratum* nomen quæsitum est.

Appellatio *di Suore*, *o Monache* secundum receptam vocum significationem per ea, quæ testator dixit, dubitandum videtur, num solum comprehendat claustrales fæminas. Quidquid enim sit an vox *Suore*, quod nativum nomen consanguinitatis est, & ad communem inter claustrales charitatem significandam translatum, etiam latiorem aliquando significationem accipiat; *sorores* etenim dicuntur, quæ domi suæ vivunt, & vulgo *tertiariæ* vocitantur; *sorores*, quæ alicui sodalitio adscriptæ sunt; ad intelligendam vero mentem testatoris oportet præcipue inspicere non verba ab oratione abstracta, sed ipsum orationis circuitum, continuationem, ac circumscriptionem, ut ex scripta periodo videatur quid dixerit, quid intellexerit.

Maxime cum non incongrue diceretur *sorores* vera, & communi significatione præcipue appellari eas claustrales, quæ sub regulis Mendicantium vivunt, quæ proprie *sororum* nuncupatione utuntur; *moniales* vero eas, quæ sub regulis Monachorum.

In eam rem faceret quod testator ipse de suis tribus filiabus, quæ claustralem vitam profitebantur, dum iisdem legata fecit, dixit *alla molto Reverenda Ludovica Monaca in Ferrara, alla molto Reverenda Suor Fede Vittoria professa nel Monastero della Madonna del Fuoco in Faenza: alla molto Reverenda Suor Teresa professa nel Monastero di Modigliana tre figliole &c. volendo che dette paghe annuali si dupplichino a favore delle dette Monache, o Suore*. Inferius vero loquens de aliis tribus filiabus innuptis: *E facendosi Suore, o Monache le sudette Signore sue Figlie, o alcuna di esse gli Eredi gli debbano dare la dote, conforme al monastero, nel quale faranno o farà professione con tutti li suoi suppellettili e mobili conforme lo stile del monastero, e di più ogni anno di 18. scudi per ciascheduna finche viverà, o viveranno, dovendo anche dare il legato delle sudette monache* (eæ sunt, quas supra appellavit *Suore*, *o Monache*) *durante la loro vita naturale dovendo fare la renuncia del residuo in tal caso di monacarsi.* Hæc plane demonstrant testatorem promiscue utramque vocem pro claustralibus usurpasse. Ex littera testamenti inquiri veritas debet, ea solum est legitima interpretandi ratio; cætera subtilitatem redolent, ac ut plurimum ve-

veritati adverſantur. Cajus reſpondit: *De his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, neque tranſigi, neque exquiri veritas aliter poteſt, quam inſpectis, cognitiſque verbis teſtamenti leg.6. de tranſact.*

Inquirendum eſſet poſtea, num eæ cauſæ neceſſariæ proponantur, quæ, licet contradicat executor teſtamentarius, qui ex teſtatoris familia eſt, legitimam eſſe hanc commutationem ſuadeant,

EE. PP. perpendent quid ſit reſpondendum dubio

An multiplicum ordinatum a bon. mem. Petro Tedeſchi pro erectione Monaſterii in Terra Maſsæ Lombardorum ſit erogandum in erectione Conſervatorii puellarum ſub directione piarum Magiſtrarum in caſu &c.

Negative, & amplius, & ad D. Secretarium.

PLACENTINA FESTIVITATIS. Familia Teſta ex oppido *Caſtri novi Foliani*, alias *Tertiorum*, Placentinæ diœceſis, ruri, quod in oppidi agro poſſidet, oratorium habet *SS. Franciſco, & Vvenceslao* dicatum, etiam commodo accolarum patens, uſque ab anno 1697. auctoritate legitima extructum, approbatumque, ac congrua dote auctum. Mille circiter paſſibus diſtat ab eccleſia parochiæ, quæ intra oppidum eſt. Viæ arduæ, & imperviæ, præſertim pluvio tempore, atque hyeme ſunt. Quotidie ibi ſacrum agitur, & etiam ſolemnioribus anni feſtis, ex privilegio ſan. mem. Benedicti XIV., qui præſcripſit tamen, *ut Cappellanus vel in medio miſſæ, vel poſt celebrationem ſingulis diebus feſtis, maxime quando frequens populus fuerit, fidei rudimenta explicando proponere teneatur*. Feſtum inibi Sancti Franciſci titularis, ea familia ex majorum voluntate celebrat: ſacrum canitur ſine tamen diacono, & ſubdiacono; ſeptem tantummodo ſacerdotes eo die choro aſſiſtunt.

Seſs.24. cap. 4. de Reform.

Ignatius Rovaldi Archipresbyter, & parochus Caſtri novi de plurimis antea conqueſtus eſt apud Sacram Congregationem, de quibus nunc cauſa non eſt. Unice nunc agit, ut cogatur familia patrona ad eum die feſto Sancti Franciſci invitandum, ut ſolemnia celebret, & quod occurrente eodem die feſto Roſarii Beatæ Mariæ Virginis, quod in ſua eccleſia ſolemniter agitur, feſtum oratorii transferatur, vel aliter ſaltem provideatur, ne ſuis ſolemniis aut ſacerdotes, aut populus deſit.

De primo controverſiæ capite pro ſe allegat conſtitutiones ſynodales, quibus cavetur, ut liceat parocho *oratorium cujuslibet ſodalitatis intra parochiæ ſuæ fines conſtructum ingredi*,

di, missæ sacrificium facere absque ullo impedimento, & ubi in eo missæ, seu vesperæ decantandæ, vel officia pro mortuis celebranda essent, ipse præ-cæteris invitetur, locum primum obtineat, missam si voluerit cantaturus, & officium directurus. Addit has leges observatas fuisse semper, imo præcipue de oratorio, de quo agitur, profert exempla: nec dici posse missam, quæ sine diacono, & subdiacono canitur, non esse solemnem; constitutiones etenim de hoc nullum discrimen facere; deinde rationem invitandi parochum esse ipsam dignitatem parochi intra parochiam; ac præterea ex receptis ritibus in missa minus solemni eas ceremonias adhiberi omnes, quæ in solemnioribus requiruntur.

Propugnat consentaneum esse juri, ut invitetur parochus, qui dignior cæteris omnibus in sua parochia est, ac sui gregis dux, & custos præcipuus *Donat. rerum regular.tom.3.n.1. de Confrater.*Laic. *quæst.19.num.9.*, *Ricciul.var.lucubrat. lib.4. cap.6. de Confrater.*

Asserit regulam hanc limitari unice, quando oratorium publicum non sit; vel quando urbanum fuerit, non rusticum; vel quando proprium rectorem legitime institutum habeat; vel quando de ecclesia agatur, quæ ad Regulares pertineat, & jurisdictioni ipsius Episcopi, aut parochi non subsit: contrariam theoricam his tantum casibus habere locum: decreta vero Sac.Congregationis Rituum, quæ contra allegantur, vim constitutionum synodalium, & peculiares locorum consuetudines non infringere.

De secundo autem quæstionis momento contendit rem claram esse: præferendum scilicet festum ecclesiæ parochialis; præferendum festum Rosarii, quod ritu duplici majori, ac de præcepto toto terrarum orbe celebratur, quod antiquius in oppido est, ac de majoribus, quæ inibi aguntur: sodalitium ibi esse, quod eidem altari inservit: ex duobus festis eodem die æmulationem progigni, pietatem populi, ac frequentiam minui: commode posse festum Sancti Francisci transferri in sequentem diem, quo festum agitur Sancti Wenceslai, cui simul oratorium dicatum est.

Hinc de tertio capite parum laborat; & omni casu unicum tantum sacrum in oratorio permittendum; ne alias sacerdotes in parvo oppido suæ ecclesiæ desint, in qua octo sacra eo die ex piorum hominum legatis necessario celebranda sunt. Hæc, & alia in ejus scriptis videnda erunt, & ex monumentis, quæ usque adhuc apud acta parochus edere noluit.

Contra patronus propugnat, non agi de ecclesia cathedrali: suum oratorium itaque de jure non subjici parocho etiamsi intra limites ecclesiæ parochiæ sit, nisi ex fundatione, privilegio, præscriptione, aut alio legitimo titulo id parochus acquisiverit: vetare in ejusmodi oratoriis parochum

chum tantum poſſe, ne *functiones* parochiales agantur: rem præſentem eſſe de celebratione miſſæ. quæ canitur ſine diacono, & ſubdiacono; nihil de ea parochum habere agere; nihil parocho opus eſſe; parocho eam prohibere non permiſſum.

Conſtitutiones vero ſynodales aſſerit non afficere, eas loqui de juribus parochialibus; eas ipſas conſtitutiones Placentinas non loqui de oratoriis, quæ ſub dominio, & adminiſtratione patronorum ſunt, ut declaravit *Rot. in Placentina Oratorii* 2. *Octobris* 1702. *coram Muto*: eas itidem inefficaces declaraviſſe Sacram hanc Congregationem in *Placentina* 27. *Junii*, & 17. *Auguſti* 1725.

De eo autem, quod affertur, parochum nimirum alias invitatum fuiſſe, ait id referri ad urbanitatem; non exinde parochum hanc novam *de invitatu* ſervitutem acquiſiviſſe; neque tempus ipſum in omnem caſum ad eam præſcriptionem idoneum intercеſſiſſe.

Quod reſpicit feſti translationem, allegat ſui favore juris regulam, nullam nempe eccleſiam, neque ipſam cathedralem vetare poſſe, ne in alia eccleſia feſtum Titularis, quo die occurrit, celebretur; timendum non eſſe ne populus die feſto Roſarii, quod ſolemniter agitur, & cum publica ſupplicatione ſodalium, ex oppido rus divertat pro feſto parvi oratorii, itinere arduo, ac difficili. Circa horam autem celebrandi feſtum concludit in jure cautum tantum eſſe, aliquibus caſibus, quod miſſa non celebretur ante miſſam parochialem reclamante parocho; quod locum non habet in oratoriis diſſitis, & præſertim, quæ in agro ſunt, *Gavat. in manual. Epiſcop. in verb. miſſa*, *Barboſ. de Paroch. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 3.

Epiſcopus ſuam ſententiam pandit: *Joſeph Teſta manutenendum fore, & eſſe in poſſeſſione prænarrati Indulti celebrare faciendi ſacrum in ejus oratorio diebus ſolemnioribus autumnali, & hyemali temporibus. Quo autem ad celebrationem feſti S. Franciſci dicti oratorii titularis invitandum quidem eſſe parochum, qui ſi accedere nequeat, vel recuſet, alterum ſacerdotem mittere poterit, aliter quemcumque ſacerdotem ſacram functionem peragere poſſe. Verum quotieſcumque idem feſtum inciderit die dominica, qua celebratur feſtum Sanctiſſimi Roſarii Beatæ Mariæ Virginis in eccleſia parochiali, expediens fore videretur demandare ſupradicto Joſepho Teſta, ejuſque filiis, & deſcendentibus ſacram functionem, & miſſas omnes explere debere per binas horas ante meridiem.*

Certum eſt hic non agi de oratorio privato, ſed publico. De hoc omnem quæſtionem perimit, quod in brevi Pontificio publicum dicitur. Videndum itaque num referri debeat ad jura parochialia celebratio miſſæ cum ſimplici cantu ſine diacono, & ſubdiacono. Videndum, ſi non agatur de juribus parochialibus, quid in jure præſidii habeat pa-

parochus, ut necessario invitetur; aliter ut vetet ne sine ipso quid fiat. Videndum quid de his dixerit *Rot. Placentina Oratorii 2. Octobris* 1702. *coram Muto*, *& in Faventina Jurium Parochialium* 7. *Martii* 1738. *§.* 4. *coram Vicecomite*. Sacra Congregatio Rituum in resolut., quas refert *Monacell. formul. legal. tit.* 13. *formul.* 1. *num.* 116. Sacra Congregatio *in Thelesina Anniversarii, & missæ solemnis die* 9. *Februarii* 1732.

Considerandum quid dicendum sit circa vim constitutionum synodalium: videndum quid eorum sanctio jubeat in casu: insuper, quid pro parocho faciat consuetudo, num ei proficiat saltem ad constitutiones synodales interpretandas: ponderandum denique, an novum videri possit, ut in ejusmodi circumstantiis, & cum iis, quæ afferuntur tantummodo causis, festorum translationes indicantur.

Advertendum tamen, quod resolutio, quæ affertur *in Placentina* 27. *Junii*, & 17. *Augusti* 1725. agit de ecclesia, quæ dependebat a Regularibus.

Ad EE. PP. pertinet responsum dare

I. *An Patroni publici Oratorii S. Francisci occasione ejus festivitatis teneantur invitare Archipresbyterum ecclesiæ parochialis Castri novi Fossanorum pro celebratione missæ cum cantu, & interventu sacerdotum in choro, sine tamen assistentia diaconi, & subdiaconi, in casu &c.*

II. *An in prima Dominica Octobris, in qua celebratur Festum Beatæ Mariæ Virginis Sanctissimi Rosarii in parochiali ecclesia occurrente festo S. Francisci celebrando in dicto oratorio, teneantur Patroni illud transferre in aliam diem; & quatenus negative.*

III. *An missarum celebratio in oratorio prædicto debeat ea die absolvi duabus horis ante meridiem.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 14. *cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.*

TAURINEN. IRREGULARITATIS. Causa est de sacerdote Gaspare Giannella Taurinen., an irregularitatem contraxerit ex secuta morte hominis, quem antea percusserat, an saltem dispensatione dignus sit.

A retexenda facti, morbique ejus, qui interiit, integra historia non incommode abstinendum. Ea inter monumenta causæ, quæ circumferuntur aperte habetur. Summatim tamen exponenda hæc sunt.

Mense Julio *anni* 1759. Sacerdos Giannella *Antonium Falla*, qui consequendi a domestica ancilla alicujus crediti causa domum venerat, conviciis primum, deinde manibus, pedi-

dibusque ita male habuit, ut ad fugam coegerit. Toto die Antonius sine ullo incommodo, ac dolore per urbem ivit; noctu autem suam domum se recipiens aliqua parte corporis se condolere conquestus est; biduo post occubuit.

Curia Taurinen., quæ acta super causa mortis, tum vivo adhuc, tum defuncto postmodum ægroto confecerat, mense *Septembri ejusdem anni* contra Giannella contumacem sententiam tulit: *Sententiamus supradictum sacerdotem Theologum Gasparem Giannella inventum fuisse, & esse culpabilem, reumque homicidii in personam Joannis Antonii Falla commissi, ac propterea in irregularitatem incidisse, nec non condemnandum fore, & esse ad resarcienda omnia damna hæredibus occisi obventa, & ad diutius, continuoque permanendum per quinquennium, & loco carceris in aliquo monasterio, seu in domo religiosa a nobis statuenda, prout irregularem declaramus, & ad restauranda dicta damna, & ad habitandum in monasterio condemnamus, sicuti etiam in expensis.*

Lata sententia, Giannella, qui prius faciem judicis perhorruerat, ad se defendendum remigravit Taurinum. Ibi tandem soluta prius pœna, ad defensiones admissus est. Acta super mortis causa instaurata sunt, quibus probatum credidit Giannella Antonium non illo ictu pedis, sed veteri, ac lethali intestinorum morbo, quo laborabat, interiisse. Curia mense *Februario anni* 1762. novam sententiam protulit: *definitive sententiamus inhibendum fore, & esse ulteriores molestias dicto sacerdoti theologo Gaspari Giannella reo inquisito super, & pro delicto, de quo in actis, prout inhibemus solutis expensis*. De irregularitate autem, de qua in priori sententia, nullum judex in hac posteriori verbum fecit.

Primum Giannella pro dispensatione, si necessaria esset, sacram Pœnitentiariam adivit, quæ cum ageretur de facto judiciali, & publico se abstinuit. Hinc propterea Sacram Congregationem petivit. Allegat nunc se nullam mortis causam dedisse; nunquam eo integro die condoluisse Antonium; neque ipsum aliquod doloris argumentum exhibuisse; e domo omnino incolumem evasisse; urbem integram peragrasse: constare de morbo, quo multis ab annis laborabat; pro quo decennio ante proximus morti fuerat; pro quo tunc certo occubuit; patere hæc omnia ex affirmatione peritorum, ex testibus, ex ipso curiæ testimonio, ex actis omnibus, & secunda sententia.

Ait itaque se prius immerito declaratum fuisse irregularem, *cap. ad audientiam cap.* 12. *de homicid. voluntar.*, *vel casual.*; neque irregularitatem venire ex nota infamiæ, quæ nulla est, ubi deest delictum, vel saltem integre deleta est, postquam suam innocentiam comprobavit judex idem, qui præcedentem dederat, exinde eam revocando. Sac. Congregatio *Bisaciarum* 11. *Aprilis* 1742.

Demum contendit acriter, propugnatque saltem homici-

dium voluntarium non esse ; ideoque se dignum dispensatione, quam hisce casibus Sacra Congregatio concessit semper, *Montis Falisci irregularitatis 26. Maii* 1739., *Cassanen. irregularritatis* 14. *Decembris* 1748.

De percussione Antonii non dubitatur : an ex ea obierit pensitandæ sunt probationes primum a fisco, ac deinde a reo cumulatæ.

Advertendum num obstet prior sententia, qua Giannella declaratur irregularis, quæ adhuc viget. Videndum num posterior comprobaverit, ac declaraverit rei innocentiam, vel potiùs post quadriennium pro delicto, cujus non modicas pœnas luerat, ulteriores molestias remiserit.

Hæc de primo quæstionis capite. De secundo autem unice advertendum non afferri ullam probationem de emendatione vitæ. Eminentissimus Archiepiscopus de irregularitate suam sententiam non profert, nec de concedenda dispensatione : solum de ejus præsenti angustia, nulla tamen inclinatione animi, vel favore erga petentem, loquitur.

EE. PP. viderint

I. *An constet de irregularitate, & quatenus affirmative.*

II. *An, & quomodo concedenda sit dispensatio, in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

CATACEN. APPROBATIONIS CONCORDIÆ. Petitur approbatio transactionis faciendæ inter Vitalianum Barberj *Abbatem Sancti Gregorii Magni* Catacen. diœcesis, & Josephum Rotella possessorem bonorum, quorum quartam partem ecclesia S. Gregorii uti suam vindicat.

Facti species est. In agro Tabernati, qui intra diœcesim Catacensem est, adsunt montosa prædia *nelle difese della montagna della sudetta Città appellate la Poverella Racisi, Fossa di Cosenza, Monaco Cocejo*. Tempore, quo possidebantur a familia de Poeriis usque ad Joannam Poerii, & Ignatium Majoranam virum, nulla quæstio orta est de pertinentia quartæ partis eorum bonorum ad *Abbatiam Sancti Gregorii*.

Anno 1749. conjuges prædicti bona vendiderunt Josepho Rotella, cui ex pretio summam *ducatorum* 162. reliquerunt, quousque dignosceretur an Abbatia eadem jus quartæ haberet super duobus tantum ex prædiis venditis, nempe *Racisi, e Fossa di Cosenza*, super quibus tunc primum de jure Abbatiæ dubitari cæpit.

Anno 1757. conjuges venditores jus Abbatiæ legitimum esse agnoverunt, ac ob eam rationem residuum illud pretii solemni instrumento condonarunt emptori, qui pecuniam, quam veluti depositam habebat, eo postmodum nomine

uti

uti suam retinuit. Antea emptor Rotella, ab emptionis tempore, summam *ducatorum* 37. ipsi Barberio Abbati S. Gregorii quotannis persolverat; quos postea per quatuor integros annos ad *ducat.* 40. adauxit.

Mens tamen deinde ei incidit litibus experiendi sua jura contra Abbatem, eumque adigere ad demonstrandum clarum super his duobus prædiis dominii titulum: contendens præterea loca omnia suis laboribus, & industria, non minus quam suo impendio, multo melioris, quam acceperat conditionis fecisse, etiam cum recisione, & ustione arborum, quæ cum in iis locis lege publica prohiberetur, ideo non modica damna hinc tulerit, & pecuniam non modicam erogaverit. Ajebat idcirco cuncta, quæ meliora fecerat, sua esse integra; nihil inde augeri posse Abbatiæ reditus.

De his quæstionibus hodiernum Abbatem apud diversa Regni tribunalia interpellavit. Hinc causa ineundæ transactionis, de cujus approbatione nunc agitur, profecta est. Hujus pacta sunt, recessus a lite, solutio *ducatorum* 160. pro præterito debito, & quod in posterum Abbatibus S. Gregorii sine ulla exceptione *ducat.* 25. tantum quotannis solvantur.

Fortasse non recta minuendi proprium debitum ratio videri posset creditorem litibus divexare, & præcipue possessores beneficiorum, quorum summopere interest ne per litium ambages, ac moras, reditus omnes, quos in præsentia habent, insumant, ac lites non raro sua pecunia pro successoribus tantum vincant.

Ponderandum in casu, an dominium ecclesiæ ullo antea tempore vel dubium, vel controversum fuerit: an ea lege Rotella emptor partem pretii retinuerit, ac, jure Abbatiæ solemniter agnito, & approbato, sibi proprium fecerit; itaut de re clara, & non transigenda negocium sit.

Perpendendum, an si quid impensum est postea, si quid melioratum in claro nunc sit, & num cedat alieno solo; atque omni casu, num pro impenso suam ratam tantum ecclesia teneatur contribuere, adauctis ita pro parte fundi communi compendio reditibus, qui ex communi fundo percipiuntur.

Ordinarii sententia super utilitate transactionis certa non est. EE.PP. de re cognoscent, ac respondebunt

An sit locus approbationi Concordiæ, in casu &c.

Die Sabbathi 14. Aprilis 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRoponuntur modo cum aliis eæ tres causæ, quæ in novissime habita Congregatione diei 24. Martii decisionem non habuerunt.

Sess.24. cap.4. de Reform.

PLACENTINA FESTIVITATIS.

I. *An Patroni publici Oratorii S. Francisci occasione ejus festivitatis teneantur invitare Archipresbyterum ecclesiæ parochialis Castri novi Fossanorum pro celebratione missæ cum cantu, & interventu sacerdotum in choro, sine tamen assistentia diaconi, & subdiaconi, in casu &c.*

II. *An in prima Dominica Octobris, in qua celebratur Festum Beatæ Mariæ Virginis Sanctissimi Rosarii in parochiali ecclesia occurrente festo S. Francisci celebrando in dicto oratorio, teneantur Patroni illud transferre in aliam diem*, & quatenus negative

III. *An missarum celebratio in oratorio prædicto debeat ea die absolvi duabus horis ante meridiem.*

Ad I. Negative. Ad II. Negative, & amplius. Ad III. Affirmative arbitrio Episcopi, & amplius.

Sess.14. cap.7. & sess.24. cap.6. de Reform.

TAURINEN. IRREGULARITATIS:

I. *An constet de irregularitate*, & quatenus affirmative

II. *An, & quomodo concedenda sit dispensatio, in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.

CA-

CATACEN. APPROBATIONIS CONCORDIÆ.
An sit locus approbationi Concordiæ, in casu &c.

Sess.24. cap.12. de Reform.

Negative.

TIBURTINA VICARII CAPITULARIS. Episcopo Tiburtino R.P.D. Castellini translato ad ecclesiam Ariminensem, de eligendo Vicario capitulari in diversas partes *die 26. Decembris* præteriti anni iverunt canonicorum suffragia. Duo devigiuti erant. Unus canonicum de Sanctis Tiburtinum, alter sacerdotem Stefanini extraneum, sex canonicum Josephum Regnoni, decem elegerunt sacerdotem extraneum Donatum Oliverium jam Episcopi Vicarium generalem; qui, licet unus ex canonicis ante electionem expresse electionis nullitatem denuntiaverit sociis, si ex gremio Vicarius non eligeretur, & appellaverit postea, munus accepit, quod adhuc retinet.

Sess.24. cap.16. de Reform.

Controversia nunc est cujus electio legitima dicenda sit. Qui Oliverio contradicunt, asserunt certissimam esse regulam, quod canonicus idoneus, *ceteris paribus*, preferendus sit extraneo *Barbos. ad Concil. Trident. sess.*24. *cap.*16. *num.*5. *de Reform. & cap.*42. *num.*32. *de Canon. & Dignitat. Scarfanton. ad Ceccoper. tom.*2. *lib.*4. *tit.*7. *num.*34. Eamque juris regulam obtinere, etsi extraneus esset dignior; cum sufficiat, ut in capitulo aliquis existat idoneus, ne extraneus eligatur, ex ipsa Sac. Congregationis sententia *in Neritonen.* 24. *Julii* 1643. quam refert *Scarfanton. tom.*2. *lib.*4. *titul.*7. *num.*34.

Hinc allegant se inter suos habuisse Josephum Regnoni philosophiæ, ac theologiæ laurea ornatum, de cujus meritis plura dicunt, & cui Oliverius præferendus non erat. Hinc contendunt nullam rationem habendam majoris eligentium numeri *argum. in cap. dudum* 22. *de elect. Rot. in Colonien. Abbatissatus* 25. *Aprilis* 1757. *coram Francipan.* Aliter theorica numquam haberet locum.

Hinc demum propugnant reputandum esse uti electum ipsum Regnoni, qui posita nullitate electionis in personam extranei, habet pro se universam vocem capituli, quæ tota coaluit in eos, qui legitimam electionem fecerunt, & qui taxari nequeunt de negligentia, quæ unica facit, ut eligendi jus amittant capitulares. Necesse non est, ut hic regerantur omnia, quæ ex scriptis circumferendis petenda sunt.

Oli-

Oliverius nihil pro se affert, neque adversus contradictores. Pro eo stant duodecim canonici, qui preces obtulerunt *di voler rigettare a limine judicii una tal'istanza, mentre essi Oratori non solo non pretendono di concorrere in modo veruno all'indebita lite, ma anzi intendono ratificare l'elezione da essi fatta.*

Tridentinum sanxit *omnino* capitulum teneri, *Officialem, seu Vicarium infra octo dies constituere, vel existentem confirmare, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus.* Nil ultra de eligendi meritis quæsivit, neque de cive, neque de capitulari, neque de extraneo; imo extraneum videtur non exclusisse dum confirmationem prioris Vicarii permisit.

Sac. Congregatio æquitatem secuta est; primum censuit esse capitularem præferendum extraneo *ceteris paribus*; postmodum etiam utcunque digniori. *In Neritonen. die* 24. *Julii 1643. cum alias Sac. Congregatio censuerit in Vicarium capitularem eligi posse etiam aliquem extra capitulum; si tamen quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum ceteris paribus esse præferendum. Ideo canonici ecclesiæ cathedralis Neritonen. ad evitandas in hujusmodi electione controversias supplicant declarari quomodo intelligenda sint verba illa cæteris paribus, itaut si in capitulo adesset habilis eligi posset, etiamsi alius extra capitulum esset magis habilis. Sacra Congregatio respondit, ita esse intelligenda, ut sufficiat capitularem habere qualitates a Sac. Concilio requisitas, quod sit doctor, vel licentiatus in jure canonico, vel alias idoneus.* Hæc ipsissima verba extant *in lib.* 17. *decret.*, quæ reapse ambiguitate carere non viderentur; nam aliud plane esset *posse eligi habilem* e Capitulo, posthabito digniori extraneo, aliud nullam per se esse extranei dignioris electionem. Ambiguitatem tollunt præcedentia verba decreti.

De eo vero quod attinet, an posita nullitate electionis in personam extranei, electus capitularis a minori parte canonicorum, retinendus sit; notandum est, quid Sac. Congregatio dixerit in *Acernen. Vicarii Capitularis* 23. *Februarii* 1709. Species facti erat: *sequuta vacatione sedis episcopalis capitulares octodecim numero decem deputarunt in Vicarium capitularem Decium Oliverium immediate jam existentem Vicarium generalem defuncti Episcopi, reliqui vero octo suffragati sunt Vito Fredæ doctoris privilegio decorato a collegio prothonotariorum participantium urbis. Freda provocavit sub fundamento, quod electio Oliverii fuerit nulla uti facta contra dispositionem Sac. Concilii in personam non doctoris, neque licentiati in jure canonico* Sac. Congregatio jam sub *die* 15. *Decembris* 1708. rescripserat: *exerceri Vicariatum per Archidiaconum nomine Sac. Congregationis sine præjudicio ambarum partium usque ad exitum causæ in Sac. Congregatione.* Proposita deinde causa super dubio: *an, & quæ electio sustineatur, in casu &c.* censuit

sen-

neutram electionem sustineri, *& satis provisum in personam Archidiaconi lib. decret. 59.*

Ad EE. PP. spectat decernere

I. *An electio Vicarii capitularis in personam Donati Oliverii sustineatur*, & quatenus negative

II. *An habendus sit pro electo Joseph Regnoni Canonicus*, *in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Provisum in primo.

NUSCANA. Montellæ oppidum Nuscanæ diœcesis, quod undeviginti pagos continet, non minus quinque millia hominum incolunt. Olim novem ecclesiæ parochiales habebantur; præter unam, quæ in oppido, cæteræ in pagis, unius lapidis distantia, itinere alpestri, & arduo ob interpositos montes, unde fortasse oppidi nomen est. Leo X. anno 1515. erectionem collegiatæ factam ab Episcopo de ecclesia *S. Mariæ del Piano*, quæ est intra oppidum, cum unione reliquarum octo parochialium, septemque non parochialium confirmavit suis literis. in quibus expresse habet *omnes*, *& singulas Ecclesias cum omnibus juribus*, *& pertinentiis suis perpetuo unimus*, *annectimus*, *& incorporamus*. Statuit quod collegium *eisdem Ecclesiis unitis per aliquem*, *seu aliquos Presbyteros Sæculares ad nutum ponendos*, *& amovendos in Divinis deservire*, *& Curam Animarum Parochianorum dictarum Parochialium Ecclesiarum exerceri faceret*, . . . *& quod dictæ Ecclesiæ unitæ debitis propterea non defraudentur obsequiis*, *& animarum cura in eis*, *quibus illa immineat nullatenus negligatur*, *sed earum congruè supportentur onera consueta*.

Sess. 7. cap. 7. de Reformat.

Non inopportunum fuit initio exscribere quæ controversiam omnem concludunt, atque dilucidant. Omissa historia quæstionum, quæ capitulum, & Nuscanos Episcopos hoc sæculo exercuerunt; hoc unum modo est, ad capitulum spectare *curam habitualem*, atque *actualem* animarum ex decreto S.C. Episcoporum, & Regularium *anni* 1708., unum sacrum pro populo ab una ecclesia collegiata diebus festis peragendum esse ex decreto S. Congregationis *anni* 1756. Præsentis vero controversiæ capita sunt, de impensa pro custodienda in ecclesiis unitis Sacra Eucharistia; de earum ecclesiarum custodia, reparatione, & refectione, & de electione presbyterorum pro cura animarum in iisdem ecclesiis, quos Episcopus ex lege Tridentina ab se perpetuos deputandos contendit.

Promotor curiæ propugnat omnino Sac. Eucharistiam in ecclesiis, in quibus cura animarum exerceri debet, esse ser-

 van-

vandam; aperte id esse in jure cautum; multo magis in ecclesiis dissitis ab oppido: neque ut id negligatur præsidium haberi ex unione; claram esse unionis legem, *quod animarum cura in eis, in quibus immineat nullatenus negligatur*; hoc autem ad curam animarum in eis exercendam certissime pertinere.

Neque aliquid facere eam, quam capitulum pro se asserit, contrariam consuetudinem: abusum illum esse adversus perspicuam censuram juris, adversus apertissimam literam unionis: præcipuam habendam esse salutem populi: ex eo abusu multos sine sacramentis obiisse, certumque id esse ex testibus, & ex actis in curia multoties contra parochos confectis. Hinc venire, quod si necessario servanda sit, impensa pro ea servanda necessaria ad capitulum earundem ecclesiarum patronum pertineat: neque excusandum ob inopiam redituum, quam veram non esse probat.

De ecclesiarum conservatione, contendit eamdem rationem habendam esse: non esse dubium quin ecclesiarum conservatio patrono incumbat *Rot. in Urbevetana Restaurationis Ecclesiæ 2. Maii 1752. §.3. coram Vicecomite*: preterea eamdem recurrere unionis legem *earum congrua supporteutur onera consueta*: nec ab suo onere levari capitulum, quia huc usque ex largitionibus populi omnia expleta sunt. Curet capitulum, ut eæ largitiones durent, conservet ecclesias, aliena ope restauret, bene erit: ni sequatur, de suo faciat.

De deputandis autem ab Episcopo vicariis perpetuis claram esse dicit sanctionem Tridentinam *sess.7. cap.7. de Ref.* quæ posterior est, atque unice observanda *Barbos. ad Concil. Trid. sess.7. cap.7. num.15. Garz. de Benef. par.11. cap.2. num.5. Rot. decis.5. num.2. part.7.* Congruam vero juxta Pianam Constitutionem a capitulo iis capellanis esse præstandam autumat.

Contra capitulum, de servanda Sacra Eucharistia onus non esse in ecclesiis *subiective accessorie, & extinctive* unitis: solam post unionem mansisse parochialem ecclesiam, in qua servari debeat *Petra ad Const. Urb. IV. sess. unic. num.15. Rot. in Borgen. Paroch. Auxiliar. 20. Aprilis 1742. §.5. cor. Calcagnino*, Sac. Congregatio *in Amalphitana asservationis Sacramentorum 29. Aprilis 1713.*: propterea unum sacrum pro populo, non vero quot ecclesiæ sunt, esse agendum declaravisse hanc S. Congregationem *anno 1756.*

Neque obstare ait verba unionis *ne defraudentur ecclesiarum obsequia, nec minus negligantur cura animarum, & onera*; aliud enim esse, quod in ecclesiis unitis cura animarum exerceri debeat; aliud quod eæ ecclesiæ post unionem parochiales sint: retinendi autem Sac. Eucharistiam unius parochialis onera simul, & jura esse: id agnovisse ipsam Sac. Congregationem in *Catacen. die 2. Octobris 1706.* quæ sub dubiis I. *an decreta facta ab Ordinario Catacen. super asservatione SSmæ Eu-*

cha-

-charistiæ in Ecclesia S. Mariæ de Meridie, & S. Stephani sustineantur: II. *an Parochi seu Capellani Curati teneantur in eorum Ecclesiis asservare SSmum Eucharistiæ Sacramentum, & quatenus affirmative*: III. *ad quem pro hujusmodi effectu spectet onus subministrandi expensas*; respondit *prævio recessu a decreto provisionali SSmum asservetur in Ecclesia Cathedrali donec aliter a S. Congregatione provideatur, & in reliquis audiri Capitulum super deductis in S. Congregatione*.

Addit de hoc perpetuum, & inconcussum extare usum; ac si aliquid paucis abhinc annis de tribus tantum ecclesiis immutatum fuerit, accidisse profecto ad preces populi, cum ejusdem expresse assumpta obligatione de præstandis sumptibus. Multa adiicit de distantia, quæ talis non est, ut hoc novum onus contra legem, & contra usum, nunc novissime iniungatur capitulo inopi: verum non esse quod plures ob eam rationem sine sacramentis obierint: accidisse solummodo vel ob morbi violentiam, vel ob negligentiam consanguineorum.

De secundo quæstionis capite, iterat plurima de sua inopia, quam summopere exaggerat: eam ipsi Episcopo perspectam esse; patere ex ejus *relatione* transmissa ad S. Congregationem *anno* 1756.; perspectam populo, qui propterea onus conservationis ecclesiarum tanto tempore libentissime subiit.

De tertia, & quarta quæstione parum laborat: claram esse literam unionis, in qua Pontifex tribuit capitulo hoc jus deputandi presbyteros sæculares ad nutum: injuria nunc agere Episcopum, qui veterem, ac præscriptam legem labefactari postulat; contra id, quod ipsi decessores Episcopi perpetuo agnoverunt, imo jusserunt fieri; nam cum usus invaluisset deputandi canonicos, factum est Episcoporum imperio, ut nonnisi presbyteri secundum unionis legem a capitulo deputarentur.

Hæc aliaque ex utriusque partis scriptis, & ex *relatione* Episcopi videnda erunt. Interea advertendum, quod *in Catacen. die* 2. *Octobris* 1706. agebatur de ecclesiis intra civitatem positis. Species facti erat: *in Civitate Catacen. septemmille animabus constante ultra Ecclesiam Cathedralem principalem Parochiam, octodecim aliæ numerantur Capellæ, quæ censentur ejusdem filiales, in quibus nunquam Sacra Synaxis asservari consuevit. Quarum sane rectores Capellani nuncupati prius servitio Cathedralis addicti, postmodum deputati in iisdem Capellis, licet in eis nunquam resederint, exhibent nihilominus Sacramenta necessaria Parochianis præcipue SSmi Viatici, quod desumere solent e contiguis Ecclesiis*. Episcopus præceperat Sacram Synaxim in iis ecclesiis servandam, capellanos ad residendum teneri *lib. decret.* 56.

Ponderandum an inopia faciat, tametsi ea probetur, ut capitulum perpetua lege ab suis oneribus nunc exemptum di-

catur, vel potius, probata in aliquo peculiari casu inopia, jure suo secundum canones uti debeat.

Quid sit capiendum consilii, quid sit censendum, EE. PP. accurate, ut solent, dispicient. Dubia

I. *An Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ del Piano Oppidi Montellæ teneatur ad impensam necessariam pro custodienda SSma Eucharistia in Ecclesiis Parochialibus sibi unitis in casu &c.*

II. *An idem Capitulum teneatur ad integram earumdem Ecclesiarum manutentionem in casu &c.*

III. *An ad idem Capitulum privative spectet deputare Presbyteros sæculares ad nutum amovibiles in dictis Ecclesiis Parochialibus sibi unitis, & quatenus negative*

IV. *An spectet ad Episcopum deputare Vicarios perpetuos in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative, & amplius. Ad III. Affirmative. Ad IV. Provisum in tertio.

Sess. 21. cap. 4. de Reformat.

LUNEN., SEU SARZANEN.. Soragii locus Mutinensis dominii in diœcesi Sarzanen. quinque pagis constat *la Rocca*, *Villa*, *Metello*, *Bricca*, *e Collevecchio*, qui inter se vel quingent. pass., vel mille, vel bismille circiter distant. Primus eorum *la Rocca* semper habuit, quæ una est pro omnibus, parochialem ecclesiam: parochia autem 142. familias numerat.

Anno 1745. aliorum pagorum incolæ, asserentes ecclesiam fatiscentem, ac ruinosam præsenti reparatione indigere, ad contribuendum autem pro ea se nihil paratos, ob ejus distantiam ab aliis pagis, atque inde secuta populo incommoda, ac detrimenta, ecclesiam cum suis juribus, & sacris, & ornamentis omnibus ad pagum *Villæ* transferendam expostularunt; commodiorem ita extituram universis: se novam ecclesiam sua impensa ædificaturos.

Sacra Congregatio exquisivit sententiam Episcopi, qui vera omnia esse dixit; præter homines *Arcis*; & quatuor aliorum pagorum familias, cæteras in id convenire; se probare omnia. Præfixo termino familiis dissentientibus, in illarum contumaciam *die 6. Maii* 1747. scriptum est Episcopo, ut *procederet pro suo arbitrio, ac prudentia.* Episcopus edixit *die* 24. *Februarii* 1748. faciendam translationem post novæ ecclesiæ ædificium. Eo sic octo post annos absoluto, decreta edidit super modo translationis agendæ, & super deinde servandis juribus tum novæ, tum veteris relictæ ecclesiæ.

Tunc primum querelæ hominum *Arcis* auditæ sunt. Hinc super

super iis rescriptum est Episcopo. Conquieverunt postmodum. Hinc instantibus aliis pagis, iterum de translatione decretum est.

Defuncto priore Episcopo redierunt clamores. Auditus novus Episcopus in Urbe, sententiam decessoris probavit. Propterea, conquiescentibus denuo contradictoribus, mandatum est *die* 2. *Decembris* 1758., ut translatio fieret. Ea tunc expleta, tandem experrectæ familiæ *Arcis*, sua sacra ex oculis præripi, atque abstrahi conquestæ sunt. Longiorem facti historiam ex scriptis repetendam relinquimus. Hæc dixisse satis superque erit.

De hisce querelis itaque agendum modo est, nullo modo suam causam tuentibus contrariis familiis, licet legitime monitis, quæ partis spoliis contentæ sunt. Narrant reclamantes violentissime facta omnia, suum antecedens silentium excusant; negligentiam non fuisse; nunquam in ea translatione permittenda se acquievisse; cuncta dolo adversariorum, & manifesta fraude confecta; nihil eorum, quæ agebantur certo sensisse; mala arte monitos semper tempore hyemis, cum patria aberant; præterea neque potestatem usque adhuc, neque ipsum animum reclamandi liberum habuisse.

Ad hæc allegant jure substineri translationem non posse: claram esse sanctionem Concilii, quæ solummodo translationem permittit, si ecclesia, quæ proximam ruinam minetur, reparari nequeat ex propriis reditibus, vel ex parochianorum subsidiis: satis sibi esse si primæ ipsorum adversariorum oblatæ preces introspiciantur, ut videatur hanc necessitatis causam pro translatione, adversariorum commentum esse. Exposuerunt etenim se nolle contribuere ad reparationem communis matris ecclesiæ; se autem paratos ad aliam ædificandam: poterant ergo. Nolebant; cogendi erant, ut ipsum Concilium expresse jussit.

De incommodis prioris ecclesiæ, ea cuncta inania, & ambitionis fuisse plenissima, quæ afferebantur: regionis situm a natura prius constitutum, illum esse eumdem, nihil inde immutatum, nihil novi esse: priores parochianos omnes tot sæculorum fluxu a priori ecclesia non abhorruisse: in ea majores baptismate lotos, de fidei rudimentis instructos, de religione, ac pietate monitos, sacramentis Ecclesiæ refectos; in ea conditos; nullam unquam de hisce incommodis, & periculis auditam vocem; nullas excitatas querelas: posse nunc delicatos successores ea rata habere, quæ eorum majores, nihil ipsis deteriores, longævo usu, atque experientia probaverant.

Addunt saltem certum esse necessariam causam juris legitimam pro translatione ecclesiæ non intercessisse: eam esse in omnem casum potuisse *pro dismembratione*, quę minus odiosa est, populum sua ecclesia non privat, neque priorem ecclesiam

clesiam suis sacris expoliat : ita sanxisse Concilium Tridentinum, quando aliter provideri datum non sit: hanc Ecclesiæ esse veterem disciplinam.

De reliquo objectas causas non solum inutiles, atque inefficaces ad id obtinendum fuisse, sed omnino veras non esse contendunt; affirmatione plurium testium contrarium probari; ipsum hodiernum Episcopum, dum in re præsente de controversia cognovit, non veras eas causas fuisse testari nunc, qui prius deceptus diversa dixerat; hoc Episcopi, qui adversariis tantopere favit, testimonium classicum esse, ac nulli exceptioni obnoxium. Rursus respectu aliorum pagorum eadem perdurare incommoda, eandem itineris longitudinem, ac difficultatem; eam ipsam distantiam esse a pago *Arcis* ad ecclesiam parochialem alio translatam, quæ erat a pago *Villæ* ad *Arcem*: cur mutandæ nunc sortes, & veteres possessores exspoliandi? æmulatione tantum, & injuria, nihil jure, nihil ordine peractum conspici.

Neque ad rem facere, ajunt, quod major pars populi id expetebat: æquale esse de ea re jus omnium uti singulorum; meliorem semper habendam, ac judicandam possessorum conditionem. Quemadmodum nec objici posse verentur tot Sacræ Congregationis rescripta; Sacram Congregationem justitiæ esse custodem præcipuam; consuetum esse, ut melius re perpensa, ad sua jura restituantur, ignorantes præsertim, ac miseri potentiorum violentia fracti.

Rogant demum, ut, si ad exterminanda dissidia, aliquo modo providendum sit; eo provideatur modo, quo minus suæ ecclesiæ lædantur jura: restituantur, quæ ablata sunt: parochus in prima resideat: vicarius capellanus a parocho deputetur pro nova: & si postremo etiam placeat *dismembratio*, eaque admittenda videatur, primum consulatur indigentiæ prioris parochi, & suus ipsi honor servetur: qui erit adjungendus ex voluntate aliarum familiarum, de jure esse, ut eæ familiæ alant, ac necessariis rebus ad vitam, & ad cultum ecclesiæ servandum instruant, provideantque.

Episcopus in sua, quam transmisit, *relatione*, multa de propositis tunc ad translationem obtinendam causis dicit, easque sane non veras esse comperiisse suis oculis: *parochialem ecclesiam non æquè indecenter habitam, ut mihi fuerat descripta, adeo ut quanquam aliqua indigeret restauratione, non tamen ex hoc capite necessitas translationis insurgeret &c. tectum non minabatur ruinam, at restaurationem poscebat, quod ex periti artificis ad hoc vocati relatione impensa scutorum circiter viginti monetæ romanæ perfici poterat. Ab hac vero impensa quanquam renuissent aliorum pagorum incolæ ipsi tamen subeundæ pares esse poterant homines Arcis, quoties istis injuncta fuisset. Turris sacra neque ipsa ruinæ proxima erat, ut fuerat mihi relatum. at imperfectum opus adeo ab ecclesia distans, ut ab illius ruina nul-*

lum

lum foret ecclesiæ damnum pertimescendum. Inter descriptas autem difficultates viarum, fluminum, atque torrentum pleræque, ac majores sunt pagis Briccæ, atque Metelli, qui præter flumen Serchium existunt, ast eadem superest fluminis difficultas post translationem ecclesiæ quanquam illis ablatum sit in modum itineris milliarii circiter dimidii, atque torrentis, quod inter Villam antiquam ecclesiam intercedit. Num autem difficultates istæ, atque incommoda, quæ minabantur, aut omnino cessabant post translationem talia essent, ut ipsam necessario requirerent tunc temporis judicare non potui, erat enim æstas, majoresque difficultates hyemali tempore occurrunt. Quod autem certi, & inconcussi comperi, est novam parochialem ecclesiam omnibus familiis præter quam incolis Arcis commodam esse.

Videnda omnino est integra ejus *relatio*, quæ circumferetur; quemadmodum & alia Vicarii capitularis Lucen., cui, responsum non adhuc dante Episcopo, Sac.Congregatio mandaverat, ut de re cognosceret, atque referret.

De translatione ecclesiarum Concilium statuit *sess.22.cap.7.de Reformat.*; quod si collapsæ refici, & restaurari non possint *ex fructibus, & proventis quomodocumque ad eam pertinentibus, & Parochiani, qui omnibus suis remediis cogendi sunt, nimia egestate laborent, ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur.*

Sacra Congregatio ex proposita sola commoditatis causa, sed consentiente, & rogante parocho, & populo, ab summo, & prærupto monte ecclesiam in planitie collocandam permisit, ut in *Amerina translationis die* 8. *Maji* 1706. In eam rem facit *Mediolanen. translationis parochialitatis* 3. *Aprilis* 1734. Cæteroquin juris rigorem servavit, ac translationes, nisi intercedente necessaria, ac legitima causa, omnino prohibuit. Videndæ resolutiones in *Januen. Translationis Parochiæ* 25. *Januarii* 1724., *& in Parmen. Translationis Parochiæ* 12.*Decembris* 1732.

De divisionibus vero, aut *dismembrationibus* ecclesiarum diversa ratio habenda esset nonnunquam. Nam præter necessarias causas, admitti fortasse possent etiam ob præmaxima incommoda vel distantiæ, vel viarum, præsertim si a flumine, vel torrente intercipiantur, itaut accessus ad ecclesias periculo non vacet *cap.ad audient.de eccles.ædifican.*

S.Congregatio has divisiones, seu *dismembrationes*, ideo aliquando admisit ex rerum perpensis circumstantiis, aliquando denegandas censuit. Videndæ resolution. in *Aquen. dismembrationis* 13.*Julii* 1720., *&* 2. *Augusti* 1721., *Imolen.dismembrationis* 8. *Junii* 1720., *Lunen. Sarzanen. dismembrationis* 8. *Martii*, *&* 27.*Septembris* 1732., *Asten. dismembrationis* 6.*Decembris ejusdem anni*, *Derthonen. dismembrationis* 24.*Julii* 1738., *Asculana dismembrationis* 11.*Aprilis* 1739., *Firmana dismembrationis* 15. *Decembris* 1759.

Rota

Rota in hanc æquitatis pleniſſimam inclinavit ſententiam, ut ſi ſatis neceſſitati conſultum eſſe poſſit cum capellano coadjutore, ſive vicario parochi in adminiſtratione curæ animarum, hoc remedium, ſine ulla diviſione eccleſiæ, ſit adhibendum. Viden. *deciſ.*178. *num.*4. *part.*19. *tom.*2. *recent.*, *Leodien. diſmembrationis* 15. *Februarii* 1712. *coram Falcover.* 3. *Julii* 1713. *coram Criſpo*, & 22. *Julii* 1714. *coram Lancetta*.

Ne aliquid prætermittatur, advertendum, quod Sacra Congregatio antequam diviſionem, & ideo novæ parochiæ erectionem vel approbaverit, vel demandaverit, primum de congruæ quantitate aſſignanda quæſivit, ut teſtatur *Fagnan. in cit.cap.ad audient.num.*16. Iccirco *in Aquen.diſmembrationis die* 15.*Maji* 1723. reſcriptum fuit *Dilata*, & *doceatur de libera dotis aſſignatione*.

Quid jus poſtulet, quid rei circumſtantiæ in præſens ferant EE.PP.ſua doctrina cognoſcent, ſua prudentia expendent. Quæritur

I. *An ſuſtineatur translatio parochialis ad novam eccleſiam Villæ, vel potius ſit locus illius reſtitutioni ad antiquam eccleſiam Arcis, & quatenus affirmative.*

II. *An ſit decernenda illius diviſio, ſeu diſmembratio, & quomodo, in caſu &c.*

Dilata, & interim deputetur Vicarius pro Eccleſia Arcis, & in reliquis ad Eminentiſſimum Præfectum ad mentem.

Seſs.22. decret. de obſervat., & evit. in celebrat. Miſs.

COLONIEN. TRANSLATIONIS. Quæ cauſa ſit, videndum eſt ex *folio diei* 14. *Januarii* nuper elapſi. Cum eo die proponi non potuiſſet, delata eſt ad Congregationem *diei* 28. ejuſdem menſis. Tunc Sodalitium rogavit dilationem, quæ conceſſa eſt *ad primam poſt Cineres etiam unica*. Ultra quam datum fuerat, expectato contradictore, nunc amplius protrahenda non eſt. Quæ erant dubia, eadem ipſa nunc ſunt

I. *An ſervanda ſit translatio facta ab Adulpho de Neſſelvoth in Ebereſcoven, & Anna Catherina de Sboeteren conjugibus de anno* 1633, *in caſu &c.*, & quatenus negative.

II. *An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro approbatione translationis factæ a Comite Carolo de Neſſelvoth de anno* 1759. *in caſu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quomodo applicandi ſint floreni* 2000. *annui, in caſu &c.*

Non propoſita, cum ſequentibus.

ME-

MELEVITANA PAROCHIALIS. Ad concursum pro ecclesia parochiali *S. Philippi de Argilione* in oppido *Zebbug* Episcopus Melitensis ex quinque admissis selegit, atque instituit *Felicem Borgh*. Non placuit judicium competitori *Josepho Agius*, qui primum ad Sac. Rotam appellavit; deinde vero mutato consilio, tanquam de re ad Sanctam Sedem devoluta, literas apostolicas pro se obtinuit, quarum executio A. C. commissa est. SANCTISSIMUS totum negocium *instante Borgh* ad hanc Sacram Congregationem detulit. Hinc disputat *Agius*, concursum esse nullum, ut suæ literæ ita executionem habeant; sin minus male examinatores retulisse, male Episcopum judicasse.

Sess.24. cap.18. de Reform.

Nullitatem concursus certam ait, quia examinatores synodales non erant; patere id facto ipso; Episcopum enim nunquam cogisse synodum diœcesanam; a postrema per decessorem coacta quadraginta quinque, & ultra annos effluxisse; hodiernum Episcopum consuetam facultatem Sacræ Congregationis alios examinatores deputandi ad annum loco demortuorum, antequam eos deputaret, non exhibuisse, imo omnino non habuisse; apertissimam proinde de hac nullitate esse legem Tridentini *sess.* 24. *de Reformat. cap.*18. Constitutionem *Clementis VIII. anni* 1593., ac communem canonistarum sententiam.

Addit relationem non fuisse subscriptam a notario concursus; eam neque examinatores simul, atque illico subscripsisse, sed separatim, ac triduo post: id notorium in loco esse; si impugnetur, literas postulat, ut de eo testes, quos proferret, examinentur.

Itidem nullum esse, ex quo examinatores de *Michaele Angelo Sant* uno ex concurrentibus judicium non dederunt; quod necessario dari debebat postquam admissus fuerat, licet legitimas probationes non exhibuerit de suis meritis, tum quia de hoc nihil in edicto erat cautum, tum quia notissima erant tum examinatoribus, tum Episcopo, qui ad curam animarum illum prius approbaverat: rursus cancellarium episcopalem non tradidisse antea examinatoribus epitomen monumentorum, quæ de suis meritis concurrentes ediderant: concursum non unico tempore expletum; sed factam potestatem discedendi, ut sero redirent competitores: earum responsiones, neque ab examinatoribus, neque ab Episcopo, neque ab ejus cancellario, uti fieri oportebat, subscriptas. Nec quidquam vero prodesse autumat contrarium usum, quem Episcopus non probat, quem contra apertissimum jus esse manifestum est; cum hujusmodi subscriptio requiratur *pro forma* omnino adimplenda utcunque fraudis suspicio absit.

De secunda autem quæstione affirmat ex ipsis actis cognosci male examinatores se gessisse in approbanda doctrina *Felicis Borgh*, male Episcopum uti digniorem selegisse illum,

 licet

licet duo ex examinatoribus eum *de qualitatibus mediocriter* approbaverint: immerito, atque injustissime se posthabitum, qui approbationem de omnibus, atque ab omnibus unica voce commeruit: satis sibi fuisse testimonium Episcopi ipsius, & præcipue de cura animarum, quam quindecim annorum spatio exercuerat.

Respondet *Borgh* debere *Agius* uti odiosum impetratorem, omnia probare evidenter: Vicarium generalem ante examen monumenta omnia per competitores allata coram Episcopo, atque examinatoribus perlegisse; ideoque meliori modo impleta esse, quæ constitutio Benedictina præscribit: nihil facere, quod defuerint cancellarii, Episcopi, atque examinatorum subscriptiones in responsionibus datis, ut præscripsit Sac. Congregatio in suis decretis *anni* 1721.; id enim, ait, consilium fuisse, ut quæcumque cancellarii fraus vitaretur: satis cæteroquin provisum ab Episcopo, qui omnia concurrentium scripta penes se retinuit, uti antea factum in ea curia semper fuerat, de quo probationes sunt ab *anno* 1630. usque ad præsens.

De secunda controversia asserit Concilium Tridentinum sanxisse unice, quod peracto examine, renuncientur *quicunque idonei judicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis*: hinc spectandum esse quid examinatores non solum de doctrina, sed de aliis meritis retulerint: monstrandam alioquin esse certam falsitatem, vel certum errorem. Cæterum ad examinatores unice pertinere approbare, aut reprobare competitores: abunde pro se haberi, quod ab examinatoribus juste approbatus fuerit: de reliquo judicium Episcopi esse.

Hinc postea de judicio Episcopi, propugnat nunquam de jure irrationabile dici posse, si unum ex approbatis in concursu eligat; neque idcirco ab eo recedendum: certissimam hanc esse juris canonici regulam *Barbos. de paroch. part.*1. *cap.* 2. *num.*92., *Passerin. de elect. cap.*3. *num.*104., *adden. ad Buratt. decis.*635.*num.*13., *Rot. coram Cerro decis.*710.*num.*9. *dec.*423. *num.*7. *coram Rembold.*, *& in Firmana Parochialis* 26.*Jun.*1752. *§.*3.*cor.Emo Molino*: Constitutionem vero Benedictinam nihil de ejusmodi re immutasse.

Inde de suis meritis sermonem habet; de sua ætate quadragenaria, de laurea juris, de potestate sibi facta ab *anno* 1752. docendi grammaticam, philosophiam, atque theologiam; inservisse plures annos collegiatæ Divi Pauli; decennio integro præfectum, & œconomum seminarii fuisse, triennio dedisse operam instruendis clericis cathedralis jubente episcopo, & capitulo; in pastorali visitatione sacras missiones peregisse; se confessarium monialium, concionatorem in ecclesia cathedrali insulæ *Garulos*; quinquies in aliis concursibus ad ecclesias parochiales approbatum. Addit præ-

sen-

sentia merita, post obtentam ecclesiam; erga se esse totius populi studium, ac benevolentiam: taxat deinde contradictorem, dum vice alterius curam animarum aliquando exercuit, ac profert testimonium parochi, qui eum a cura removit, aliorumque.

Episcopus tuetur omnia, quæ egit, recte, atque ordine, ac more veteri, & legitimo suæ ecclesiæ facta esse: laudat electi mores, *& signanter prudentiam, charitatem erga pauperes, atque summam pastorali munere fungendi patientiam, his quippe ab ipso pareciæ possessione adeptæ lites cessarunt, animique discordes in unam eorum parochi voluntatem convenere, itaut inibi regnet pax magna, summa quies, atque tranquillitas*. Videnda ejus *relatio* est.

Borgh multa, quæ opponuntur non præsensit. Expectandæ sunt itaque ejusdem responsiones. Cæterum de nullitate si agitur, considerandum an aliquod discrimen intercedat inter acta, quæ in curia conficiuntur pro parochiali, cujus collatio ad ipsum ordinarium ibi præsentem pertinet, & ea acta, quæ Episcopus conficit, ut ad Sanctam Sedem transmittat integra; num scilicet eodem juris rigore utraque censenda sint; licet etiam priora legitima esse debeant, ut judicii æquitas inde pateat, atque appellationis beneficium inutile non reddatur: videndum num si aliqua ex præscriptis non adamussim servata sint, ea statim intrinsecus nullitatem concursus pariant.

Duo autem inter ea, quæ afferuntur, præcipuam considerationem requirerent: quod nempe in litera encyclica Sacræ Congregationis *anni* 1721. habetur, omnibus concurrentibus proponendas esse easdem quæstiones, eumdem textum; apparere tamen ex actis de eodem textu hoc servatum non fuisse: alterum, quod si examinatores legitimi non fuerint, licet unus eorum tantummodo non sit, concursus funditus corruit, & parochialis ad Sanctam Sedem devoluta dicitur, ut respondit *Sacra Congregatio Episcopo Carthaginensi*. Viden. *Fagnan. in cap. cum sit de ætate, & qualitate num.* 15.

Sed de hoc, operæ pretium est advertere in facto, quod ex libris Sacræ Congregationis patet Episcopo Melitensi *die* 28.*Februarii* 1761. datas literas ad annum super potestate eligendi de consensu capituli sex examinatores synodales, aliasque similes literas datas fuisse *die* 12.*Martii* 1763. Receptum autem ex usu est annum incipere a die electionis, quod ex ipso literarum tenore apparet, quæ habent *impartiuntur facultatem eligendi de consensu capituli sex examinatores synodales ad annum duraturos*; præfixus enim terminus durationi electorum apponitur, qui aliter integrum annum non perdurarent. Videndum itaque esset num *die* 14.*Maii anni* 1762., quo concursus habitus est, terminus electionis ab Episcopo antea factæ expiraverit.

De eo vero, quod attinet ad secundum quæstionis caput, exploratum est in jure non unam esse spectandam in parochis eligendis doctrinam, neque peccare examinatores, si, qui minus docte responderit, inter approbatos numerent. Certissimum autem est liberum esse Episcopo, eum, qui minora suffragia habuerit, præferre: si aliter constitueretur, non Episcopus, sed examinatores eligerent; quod esset contra universæ Ecclesiæ receptam doctrinam, quæ episcoporum de hoc judicio, & de hac electione conscientiam, ac religionem reposcit, quibus animarum cura mandata est, & e quorum manibus sanguis ovium deperditarum, a Principe animarum Pastore, & Redemptore Christo exquiretur.

Propterea Tridentinum aperte dixit *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*; & paulo post adjunxit, quo tantum casu teneatur *digniorem* eligere. Superfluum esset plura adjicere. Apertæ sunt de hoc Conciliorum, canonum, constitutionum pontificiarum, ac canonistarum, & theologorum sententiæ, quæ prima librorum revolutione ubique patent. Unice de hoc inquiri solet an dolus adsit, qui non præsumitur, an manifestus error, an manifesta iniquitas, atque injustitia judicii pateat.

EE. PP. sua, qua eminent doctrina pronuncient

I. *An constet de nullitate concursus, itaut literæ apostolicæ sint exequendæ*, & quatenus negative

II. *An constet de mala relatione examinatorum, & respective de irrationabili judicio Episcopi*.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

TERRACINEN. Parva ecclesia S. Nicolai Barensis in agro Somneni est Terracinen. diœcesis. Bis mille & ultra pass. ab oppido distat: ad Moniales Cistercienses S. Mariæ *delle Canne* pertinet; asperrima situ ad rupem montis; qui Regnum Neapolitanum a ditione Pontificia dividit. Eremitæ custodienda persæpe data est. Ad eam quolibet anno feria secunda Pentecostes fit supplicatio; capitulum cum parte cleri accedit, sed nullo decenti ritu, ac nullo ordine ob difficiles vias: ibi tria sacra celebrat, quorum unum cum cantu: quibusque diebus feriæ sextæ mense Martio sacrum agitur, nescitur an veteri tantum more, vel piorum hominum antiqua largitione: perpetuis direptionibus obnoxia; necquicquam multoties reparata impensa monasterii, nam devastatur iterum: receptaculum sæpenumero pecori, non raro hominibus facinorosis perfugium.

Moniales anno 1761. supplicarunt SSmo ut profanaretur, translatis sacris, aliisque oneribus ad propriam ecclesiam monasterii, quod quingent. tantum pass. ad oppidum numerat. Rei cognitione ad S. Congregationem delata, auditus Episcopus omnia probavit, confirmavitque: *spectat Ecclesia*

quæ-

quædam parva ruralis ad usum Eremi sub titulo S. Nicolai Barensis, a dicta Terra distans per spatium duorum milliariorum circiter; & hac de causa, ut plurimum pro refugio inservit Banditorum, aliorumque hominum perditorum, qui maxima cum irreverentia utuntur eadem pro parandis, & coquendis cibis, & pro aliis usibus sibi benevisis. Ad ipsam Ecclesiam solent Canonici, aliique de Clero sæculari Terræ præfatæ in feria secunda festivitatis Pentecostes cujuslibet anni processionaliter ut aiunt accedere, sed revera confusè, absque ullo ordine, & devotione, sedentes non sine scandalo plures eorum super jumentis, & ibidem perventis tres missas celebrant, unam videlicet cum cantu, & duas alias lectas, & Monasterium solvit eisdem scuta quinque, quæ inter præsentes distribuuntur loco prandii, quod prius subministrabat, & in singulis quoque diebus Veneris mensis Martii celebratur pariter alia missa lecta cum eleemosyna juliorum trium pro qualibet ab eodem monasterio persoluta. Hujusmodi autem Ecclesia reperitur modo totaliter ferè devastata, signanter in Tecto, & Portis combustis a prædictis hominibus, causa quorum impossibilis profecto redditur ejus manutentio cum suo debito, & decenti decore, ac proinde expediens crederem profanatio ejusdem prævia tamen translatione Imaginis divi Nicolai ad ecclesiam monasterii, ad quam imposterum clerus facilius, & cum populi ædificatione processionaliter accedere, & celebrare missas præfatas valeret, tanto magis quia ipse Clerus a me auditus nullam opposuit difficultatem, sed potius suum præstit consensum.

Sed uti res secundum ordinem juris cognosceretur, ei rescriptum est, *ut procederet prout de jure ad confectionem processus super abusu ecclesiæ de qua agitur, & defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni.*

Pervenerunt acta. De precibus monialium nunc est inquirendum. Moniales iterant ea omnia, quæ prius dixerant, quæ ex actis probari omnia affirmant, ex quibus repetenda sunt. Necessarium esse ajunt, ut profanetur: de jure in ejusmodi casibus ita esse cautum: nihil inde imminui, imo augeri cultum sacræ Imaginis, ac pietatem, & religionem populi: consuetam eleemosynam se præbituras clero; solumque petunt, ut quæ erat mense Martio pro quolibet sacro in *ob.*30., fortasse ob longi itineris incommoda, reducatur ad quindecim, quo major sacrorum numerus sit.

Concilium Tridentinum *sess.*21. *cap.*7. *de Reform.* post demandatam Episcopis ecclesiarum restaurationem, si ea expleri nequeat *mandat ut profanato non tamen ad sordidos usus loco in Matrices, aut alias Ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo, atque in iisdem ecclesiis erigant altaria, vel capellas sub iisdem invocationibus vel in jam erecta Altaria, vel capellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus Ecclesiis impositis.*

Id ipsum non raro fieri mandatum est, si aliæ rerum circum-

stan-

ſtantiæ id poſtulent, ut ædiculæ præſertim in agris profanentur, quæ plerumque perditis hominibus uſui ſunt. Ita Sac. Congregatio Immunitatis faciendum edixit: Videm. *Card. de Luc. diſcurſ.* 17. *ad Seſs.* 21. *cap.*7. *Concil. Tridentin. num.*3.

Ad rem facit reſolutio Sac. Congregationis in *Firmana Ædiculæ die* 12. *Decembris* 1761. Quæritur.

I. *An ſit locus profanationi eccleſiæ ruralis S. Nicolai de Bario a Monialibus Ciſtercienſibus in territorio oppidi Sommeni poſſeſſæ, in caſu &c.* & quatenus affirmative

II. *An ſacræ Imagines, ſupellectilia, & onera quæcunque in eadem eccleſia exiſtentia transferri, & reſpectivè adimpleri valeant in eccleſia propria dictarum Monialium, in caſu &c.*

Die Sabbathi 12. Maji 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PLuribus a mensibus ad cognoscendum de *Viterbiensi Synodo* dictus hic dies est. Hinc de ea primum agitur. Post de *Andriensi* causa, cui ex Congregatione *diei* 24. *Martii* idem præfinitus est dies. Inde de iis tribus, quæ ex novissima Congregatione *diei* 14. *Aprilis* sunt. Demum de aliis, quæ prima vice nunc proponuntur.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

VITERBIEN. SYNODI. Qua praditus est religione, ac pietate Eminentissimus Episcopus Viterbiensis, & Tuscanensis *Cardinalis Jacobus Oddi*, de celebranda dioecesana suarum ecclesiarum Synodo, post diuturnam rerum, quibus provideri oportebat, & quæ emendanda deinceps, aut vitanda essent, observationem, atque experientiam, deliberavit. Eam mense *Septembri anni* 1762. indixit pro futuro mense *Novembri*. Statutis ejus mensis *diebus* 7. 8. & 9. coacta in ecclesia Viterbiensi Synodus, celebrata, ac promulgata est. Jam antea constitutiones edendas, utrique capitulo, ut utriusque haberetur consilium, patefecerat.

Res ita feliciter absoluta multos primum, ut omnis novitas solet, sermones præbuit; qui deinde paucos post dies in apertam totius cleri Sæcularis, ac Regularis appellationem eruperunt. Sequenti mense reclamantes adiverunt *Sanctissimum*, cujus imperio preces ad Sac. Congregationem delatæ sunt. Conquerebantur de nullitate Synodi, ejusque legum, nemine prius audito, conditarum. Eas ut communicarentur sibi, ac ad æquitatem redigerentur petebant. Sacra Congregatio *die* 26. *Februarii* 1763. rescripsit *non esse locum communicationi, & ad Emum Præfectum ad mentem, & amplius*.

Novem interim diæcesis loca, capitulum cathedralis Tuscanensis, ac plures ecclesiastici Viterbienses rejecerunt interpositam ab aliis appellationem. Actum de ea est iterum *die* 26. *mensis Martii* ejusdem anni. Sac. Congregatio respondit *delendas esse appellationem, & protestationem, & ad Emum Præfectum ad mentem*. Etenim censuit apertam esse postmodum appellantibus eam viam juris, quæ legitima esset; non autem ab administratione suæ ecclesiæ prohibendum interea Episcopum.

Hinc

Hinc typis Synodus edita est mense *Julio*, apposito edicto, *ut elapso mense a publicatione edicti ad valvas &c. omnia, & singula acta, & decreta omnes obligent, atque afficiant perinde, ac si unicuique personaliter intimata fuissent*. Atque imperatum est, ut intra eumdem mensem ecclesiastici omnes librum editæ Synodi statuto pretio ob.90. compararent.

Protinus increbuerunt clamores. Postulabant ut executio decretorum omnium retardaretur. Sacra Congregatio, antequam præfixus terminus mensis elaberetur, *die 30. Iulii* suo decreto providit, *quoad decretum emptionis Synodi dilata, in reliquis lectum, & partes utantur jure suo, non retardata interim executione decretorum Synodalium, & deleatur ex actis Sac. Congregationis protestatio sub die 23. Julii currentis anni*.

Quoniam vero indigesta moles, atque immanis precum, & querelarum offerebatur, Sac. Congregatio, secuta exemplum eorum, quæ anno 1722. gesta fuerunt super Synodo Fulginatensi Episcopi Baptistelli, quorum meminit in suo libro *de Synod.* immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV., qui tunc temporis *Secretarium* Sacræ Congregationis agebat, integram de hisce querelis, & precibus Viterbiensibus consultationem ad *Secretarium* rejecit, qui controversias cognosceret, quas posset componeret, secerneret tandem quas in ipsa Sac. Congregatione proponi, ac disceptari necesse esset, de iisque veteri more referret. Ita moniti defensores sunt, ut in scripta censuras conferrent ex una parte, ex alia vero responsiones darentur, uti factum est.

Cæpta est deinde disquisitio ab ea parte Synodi, quæ respiciebat monasteria monialium, ac moniales ipsas, quarum nomine Synodi obiurgatores, commodissime sibi arrepta occasione, conquestionibus, lamentationibus, desperatione, lacrymis complebant omnia. Multo magis quia Episcopus ipse, qui artem præsenserat, ut sacrarum virginum animi a graviori sic iniecta religione, atque anxietate levarentur, jam subito suis edictis permulta declaraverat, quæ de ea re perplexa, quæ dubia videri poterant; nonnulla, quæ rigori proxima videbantur, opportunissime temperanda esse crediderat.

Re hac omni itaque animadversa, patuit, post eas declarationes nihil occurrere circa moniales, quod emendandum intrinsecus esset; oportere tamen ut de duabus pœnis nova quædam Episcopi declaratio intercederet, qua conscientiæ & tranquillitati earum consuleretur magis. Emus Cardinalis de Rubeis Præfectus in eamdem sententiam venit. De omnibus certior est factus *SSmus*, cujus Oraculo facile quieturas moniales creditum est. Emus Episcopus libentissime assensus novæ declarationi, eam publici juris fecit. Sic auctoritate ejusdem *SSmi* disceptatio omnis de monialibus transacta est.

De aliis non ita facile erat omnia in unum concludere, ut nihil reliquum esset, quod non quererentur. Hinc dispu-

putatio hodierna ad quindecim capita redacta est, quæ ipsius S. Congregationis primum, ac potissimum requirere videbantur judicium. Ea distincte apponuntur inferius.

Novem ex iis capitibus nempe I. II. VI. VII. VIII. X. XI. XIII. XV. de *multis* agunt, quas reclamantes, vel injustas omnino, vel immodicas esse prædicant; eas vero Episcopus justas, opportunas, ac necessarias fuisse affirmat. Inter eas peculiari aliqua animadversione indigere videtur quæ tertia pars *Magistris Cæremoniarum* addicta est.

Reliqua *sex* respiciunt ipsam substantiam decretorum, pœnasque impositas, ut III. IV. V. IX. XII. XIV.

Non illud sane facimus, ut Episcopos ab administrandis suis ecclesiis quodammodo deturbemus, a cogendis Synodis, & ferendis legibus deterreamus, sive aliquo impedimento iis simus, quominus suo fungantur munere, & proprio in officio, uti existimant, maneant, ac suo ingenio ministerium suum, ad canonum tamen normam, adimpleant. Imo, dum ipsam ad Sanctam Sedem appellationem necessario admittimus, ac populorum conquestiones, & postulata acerbe non reiicimus, executionem latarum legum, nisi quas evidenter injustitia arguit, non retardamus. Multa quidem in Synodis sæpe inveniuntur, quæ ambiguo sermonum circuitu conscripta sunt; multa quæ non necessariis abundant. Hinc facile arripiunt, quod male animati postmodum reprehendant. Multa aliquando duritiem non modicam sapiunt. Plura ad rigorem persæpe inflectunt, non locis, neque temporibus accomodatum. Ea abrogamus unice, quæ statutis Ecclesiæ legibus, ac receptæ disciplinæ adversantur. Ea nonnunquam temperamus, quæ adeo inescusabili immoderatione notantur, ut præscribendum expresse modum requirant. Cætera Episcopis ipsis de suo officio monitis, pro sua cujusque prudentia, ac pro rerum occurrentium opportunitate, moderanda relinquimus. Hunc morem tenuit Sacra Congregatio; hanc justitiæ simul, & æquitatis regulam secuta est semper.

Plenissime hic omnia speciatim oppugnata, ac defensa sunt. Operæ esset omnino perditæ de iis disserere. Ea omittuntur consulto, ne duplici legendi onere graventur EE. PP., ad quorum judicium integre servari debent; qui pro sua doctrina, & accurate, ut suo more faciunt, viderint quid de his sit censendum. Quæritur.

I. *An substineatur multa aureorum trium Fabricæ Cathedralium applicanda pro qualibet vice contra Camerarios negligentes in statim comparando libro, & describendis in eo qui Fidei professionem emiserunt.* — *Ex Synodo Tit. 1. cap. 1. n. 8. de Fide.*

II. *An substineatur multa unius aurei singulis vicibus eo modo, quo præscribitur, contra retinentes Officinas omnes, & tabernas apertas, tempore quo Conciones fiunt in Quadragesima.* — *Tit. 2. cap. 2. n. 10. de verb. Dei pred.*

Tit. cap.2. n.23. de Doctr. Christ. — III. *An substineatur decretum, quo sub pena suspensionis trium dierum, ipso facto incurren., Sacerdotibus Curam Animarum non habentibus imponitur onus diebus festis in ecclesiis ruralibus emittendi alta voce tempore Missæ ad instructionem populi actus virtutum Theologalium.*

Tit.2.cap.1.n.14. de Bapt. — IV. *An substineatur decretum de Infantibus natis in aliena Parochia non baptizandis ab aliis Parochis.*

Tit.2.cap.2.n.11. de SS.Euch.Sac. — V. *An Vicario Curato amovibili Hospitalis Viterbien. liceat benedicere mulieres post partum, & ova tempore Paschali.*

Tit.2.cap.2.n.37. & seq. de SSmo Euch. Sacram. — VI. *An substineatur assignatio tertiæ partis multarum favore Magistri Cæremoniarum.*

Tit.2.cap.2.n.50 de Sacrific. Miss. — VII. *An substineatur multa aureor. decem, aliæque pœnæ etiam suspensionis contra permittentes celebrationem Missarum a Sacerdotibus vagis, & ignotis sine legitimis testimonialibus.*

Tit.2. cap.5.n.4. de Matrim. Sacram. — VIII. *An substineatur multa quinque aureorum pro actore, & duplicata pro reo, super sponsalibus initis sine syngrapha subscripta per Parochum, & duos testes in casu judicialis controversiæ super eisdem.*

Tit.2. cap.5.n.19 de Matrim. Sacram. — IX. *An substineatur pœna excommunicationis ipso facto incurren. contra sponsos, qui rem simul habuerint ante Matrimonii celebrationem.*

Tit.3. cap.3. n.8. de Eccles. reparat., & Venerat. — X. *An substineatur multa aureor. decem contra Canonicos, & Ecclesiasticos locantes Laicis Domos Canonicales, seu alias sitas intra septa Immunitatis, & duplicata contra recidivos.*

Tit.3. cap3.n.10. de Eccles. reparat. & venerat. — XI. *An substineatur multa aureorum trium ob sonitum Campanarum in Ecclesiis Sæcularibus præter modum præscriptum, occasione festivitatum.*

Tit.3.cap.6.n.12. de funerib. & sepult. — XII. *An substineatur decretum de funeribus Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum de residentia; faciendis in propria Ecclesia, & de omnibus funeris obventionibus eidem Ecclesiæ addictis, etiamsi sepultura alibi electa fuerit.*

Tit.3.cap.3.n.19 de Funerib. & sepult. — XIII. *An substineatur multa aureorum decem contra Capitulum, pro funere Canonici, vel Beneficiati pauperis non decenter facto.*

Tit.3.cap.6.n.22. de funerib. & sepult. — XIV. *An Parochi in associatione Cadaverum, in quo Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Collegialiter interveniunt, teneantur adire eorum Ecclesiam.*

XV. *An*

XV. *An substineatur multa aureor. decem contra Ecclesiasticos, qui sine licentia docent mulieres, legere, scribere, canere, aut quocumque musicum instrumentum pulsare, sive qui intersunt conviviis nuptialibus.*

Tit.4. cap.1.n.10 de Vit. & honest. Cleric.

Dilata & ad mentem.

ANDRIEN.. Quæ adhuc fuerit causæ fortuna, quam habuerit vicissitudinem, quis status nunc sit, patet *ex folio diei* 18. *Februarii* currentis anni. Eo die proponi non potuit. Relata est *die* 24. *Martii*, sed petente Episcopo, qui Urbem advenerat, dilationem, ad hanc, quæ habenda erat post *agnos*, Congregationem remissa est. Hinc post Synodum Viterbiensem, prima ponitur.

Sess.24. cap.13. de Reform.

Episcopus satis distincte, ac diserte de suis juribus agit, eaque majori conatu repetit, propugnat, ac cumulat. Ut ab onere probationis faciendæ se relevet (quod præcipuum hujus altercationis caput est) retorquet contra capitulum, quod si admittit capitulum a sæculo sexto in ipsa ecclesiæ erectione unicam fuisse parochiam; si eam parochiam unicam sæculo decimo quarto fuisse capitulum non impugnat; hinc ad capitulum pertineat modo probare evidenter, quod tempore intermedio diversus ejus ecclesiæ status fuerit, & quod ea distinctio parochiarum habita sit Andriæ, quæ postea interciderit.

Hoc jacto fundamento, probationes a capitulo allatas ad trutinam revocat, easque minus idoneas ad id probandum asserit: de ipsa Dionisii epistola dubitari a pluribus eruditis viris: eam autem nihil facere, cum facto ipso pateat, non generaliter in ipsa Italia eam receptam, atque executam; propterea que parochiarum divisionem demandasse Tridentinum. Quæ afferuntur de antiquis repertis lapidibus incerta esse: posse inde tantum inferri, quod aliæ ecclesiæ extiterint Andriæ auxiliares unius parochiæ.

Nihil autem præsidii capitulo afferre vagas, & ambiguas, sive Episcoporum Andriensium, sive Metropolitani Tranensis *relationes*. De reliquo inutiliter hanc quæstionem in facto agi; cum jure ipso Episcopus unicus parochus sit; etiamsi aliæ in civitate veræ, & distinctæ parochiæ habeantur. Non deesse tamen sibi facti pro suo jure clarissimas probationes, quas lato calamo exornat.

Præscriptionem vero haud quaquam juvare capitulum. Affirmationes deinde testium, quæ habentur in actis consistorialibus nihil ad rem conferre; posse ex iis probari unice, quod testes viderint, ut asserunt, capitulum curam tantummodo exercuisse.

Prætcrea teftes illos mendaces effe, Sacram ipfam Congregationem agnoviffe, quæ parochialem non effe ecclefiam S. Nicolai declaravit, quam parochialem effe ipfiffimi affirmarunt teftes.

Res effet plena otii omnia regerere, quæ in fcriptis Epifcopi circumferendis congefta funt. EE. PP. diligentia, qua folent, expendent omnia, atque edicent

An fit ftandum in primo, vel fecundo loeo decifis.

In fecundo loco decifis & amplius.

Tres fequuntur caufæ, quæ ex poftrema funt Congregatione *diei* 14. *Aprilis*.

Sefs.22. decret. de obfervat, & evit. in celebrat. Mifs.

COLONIEN. TRANSLATIONIS.

I. *An fervanda fit translatio facta ab Adolpho de Neffelvoth in Eberefcoven, & Anna Catherina de Sboeteren conjugibus de anno* 1633. *in cafu &c.*, & quatenus negative.

II. *An fit confulendum SANCTISSIMO pro approbatione translationis factæ a Comite Carolo de Neffelvoth de anno* 1759. *in cafu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quomodo applicandi fint floreni* 2000. *annui, in cafu &c.*

Non propofita cum fequentibus.

Sefs.24. cap.18. de Reform.

MELEVITANA PAROCHIALIS.

I. *An conftet de nullitate concurfus, itaut literæ apoftolicæ fint exequendæ*, & quatenus negative.

II. *An conftet de mala relatione examinatorum, & refpective de irrationabili judicio Epifcopi.*

Sefs.21. cap.7. de Reform.

TERRACINEN.

I. *An fit locus profanationi ecclefiæ ruralis S. Nicolai de Bario a Monialibus Ciftercienfibus in territorio oppidi Somneni poffeffæ, in cafu &c.* & quatenus affirmative

II. *An facræ Imagines, fupellectilia, & onera quæcunque in eadem ecclefia exiftentia transferri, & refpective adimpleri valeant in ecclefia propria dictarum Monialium, in cafu &c.*

AUXI-

Sess. 25. cap. 4. de Reformat.

AUXIMANA. *Franciscus Corradini* Auximanus anno 1738. supremis tabulis cavit, ut multiplicarentur fructus bonorum, quæ ex venditione suæ hæreditatis acquirerentur, ad comparandum fundum idoneum *per la prelatura Corradini*, quam constituendam jussit, quamque hæredem instituit. Primum alternis vicibus vocavit descendentes ex masculis *Theresiæ* nuptæ Francisco Dittajuti Auximano, & *Lauræ* nuptæ Francisco Paci Æsino sororum. Substituit descendentes ex fœminis; iisque defectis omnibus, unum ex nobilitate Auximana qualibet vice ab Episcopo eligendum.

Anno 1757. cum reditus hæreditarii ad scuta 362. ann. ascenderent, *Theresia*, & *Laura* sorores, propterea quod existimabant nimis longam esse expectationem fundi ex testamento constituendi, supplicarunt SANCTISSIMO, ut voluntas testatoris in duas capellanias perpetuas laicales commutaretur, cum certo sacrorum numero, & cum eodem jure pro descendentibus, & substitutis, quod erat conscriptum in testamento. Negocii cognitione ad hanc Sacram Congregationem delata, partes addiderunt, si id, quod antea petitum fuerat, minus placeret, ut saltem duo *subsidia* pro studio scientiarum in Urbe constituerentur favore vocatorum; quod videri fortasse poterat magis consentaneum voluntati testatoris; qui, casu quo nemo adesset ob ætatem aptus ad *prælaturam*, juveni, qui illam consequi deberet, scuta 200. annua, ut interim ad studia incumberet præstari voluit. Facti species *ex folio diei* 27. *Junii* 1761. repetenda est.

Sacra Congregatio die 18. *Julii* ejusdem anni proposito dubio *An sit locus commutationi ultimæ voluntatis Francisci Corradini, & quomodo in casu*, respondit *negative*. Iterum rediit causa 12. *Junii* 1762. sub dubio *an sit standum, vel recedendum a decisis, & quatenus affirmative ad secundam partem, quomodo sit locus commutationi ultimæ voluntatis Francisci Corradini, in casu*. Sacra Congregatio primam repulsam aliquo modo temperandam existimavit; scilicet, ut ex fructibus multiplicandis aliqua tantum pars certo tempore daretur juveni, qui pro studiis in Urbe moram traheret, salvis reliquis pro *prælaturæ* fundo secundum testamenti legem constituendo: ideo rescripsit, *prævio recessu a decisis affirmative juxta modum: modus est, quod assignentur annua scuta* 120. *juveni studenti in Urbe juxta ordinem vocationis ad prælaturam ad decennium*.

Placuit rescriptum partibus. Hinc Hieronymus Dittajuti *Theresiæ* filius Romam venit; sed statim de largitionis tenuitate conquestus est. Summum Pontificem propterea adiit pro augmento ad annuam summam scutorum biscentum. Petitio primum *die* 3. *Decembris* elapsi anni apertissime rejecta, postea ad Sacram Congregationem remissa est. De ea nunc agitur.

Al-

Allegat nimis tenue esse, nec ullo modo, quod sibi pr æbetur, ad vitam ducendam sufficere victus nomine, in quo & habitatio, & vestes, cæteraque ad vivendum necessaria de jure continentur. Quod major impensa requireretur, si in aliquo Urbis collegio degeret. Nihil sibi sperandum ex censu familiæ multis oneribus, ac filiis onustæ.

Addit, quod petitum augmentum proxime ad testatoris voluntatem accedit, qui scripsit *in caso, che per mancanza de' soggetti dell'una, e l'altra linea dovesse restar vacante detta prelatura, allora intendo, che scudi 200. annui si abbiano ad impiegare per il mantenimento del giovane, che aspirerà a detta prelatura, affine si possa applicare alli studj.* Hinc nihil se postulare præter testatoris ipsius judicium. Hinc ait, si id locum haberet quandocunque in remotis, multo magis obtinere pro sororis filio. Hæc, aliaque ex ejus scriptis videnda sunt.

EE.PP. viderint, num aliquid discriminis inter unum, atque alterum casum intercedat: num testator post constitutum jam *prælaturæ* fundum, uti ante omnia præceperat, victum integrum, vel adjumentum aliquod ad decentius se interim habendum, mox jam futuro *prælato* præbendum tantummodo existimaverit. Viderint quid Sac. Congregatio intellexerit de hac nova largitione, quam tribuendam esse arbitrata est, edita lege, quæ etiam in posterum servanda erit. Proponitur

An sit locus augmento annui assignamenti, in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

PERUSINA. *Paulus Silvagni* Perusinus anno 1758. post mortem uxoris in universa hæreditate substituit *ecclesiam, & altare Beatæ Mariæ Virginis nuncupat. del Giglio in bonis testatoris erectam, & ab ipso peculiari pietate veneratam*: sunt verba Episcopi in *relatione*. Bona hæc in suburbio Perusino extant, quod a civitate mille, & ultra passibus distat. Capellaniam ex his constituendam voluit. Certam eleemosynam statuit pro sacris agendis, quæ tot fierent in annum, quot bonorum reditus ferrent. De capellano ad nutum eligendo, eoque removendo legem dixit. Domos rurales a capellano incolendas, & custodiendas, & si aliquid detrimenti ejus culpa caperent, ejus impendio sarciendas, ac restaurandas. Præcipuos, & quidem non paucos dies nominatim præscripsit pro sua in Beatam Virginem, & aliquot Sanctos pietate, in quibus sacra fierent: quæ abundaret eleemosyna, pro aliis diebus festis, ac feriæ sextæ, & sabbathi esset.

Quod præcipue ad quæstionem, de qua sermo est, pertinet, voluit, *che il capellano non possa per qualunque motivo celebrare le sudette messe in altra chiesa sotto pena &c., e ne pure li sarà le-*

cito

cito sotto qualsivoglia pretesto far celebrare, ed adempire dagli altri Sacerdoti li sudetti oblighi di messe, ma voglio, che tutte esattamente l'adempia da se stesso, intendendo, che sia obligato per l'adempimento la sua persona propria, presenza, e sagrificio da celebrarsi da lui stesso: solo bensì potrà farlo adempire in caso di malatia, o da' PP. Cappuccini, o da' PP. di S.Spirito, e facendo diversamente, tante volte, che lo farà, altretante sarà caduto nella pena &c.

Adjunxit, ut præferretur, imo remoto etiam capellano, si existeret, admitteretur ad capellaniam unus ex filiis *Caroli Colacicchi*, si eam peteret, *il quale non meno degli altri sarà tenuto, ed obligato al totale adempimento di tutto quel tanto, che da me sopra si vuole sotto le pene sudette di poter esser rimosso, e pagamenti delle mancanze*.

Constitutam jam capellaniam cœpit filius Caroli *Angelus Colacicchi*. Hic juratus ejusdem se leges servaturum promisit; sed cum postea inter presbyteros Oratorii Perusini se receperit, supplicavit, ut sibi potestas fieret celebrandi per alium diebus festis in suburbana ecclesia cum eleemosyna manuali, diebus aliis celebrandi per se ipsum in propria ecclesia Oratorii; atque ut derogaretur etiam de lege incolendi suburbanas domos. Rem sane difficilem postulans, suam fortunam in ipsa SacraCongregatione periclitari exoptavit.

Ait se a testatore præcipue dilectum elegisse meliorem partem: nec præsumi testatorem eximia pietate hominem ab hoc aborruisse, ac caducitate legati ab ejusmodi instituto capessendo deterruisse amicissimi viri filium.

Pro instituto autem suo impossibile esse, ut leges capellaniæ, ac conditiones legati adimpleat. Nihil detrimenti venturum domibus, quas sæpissime inviset. Non imminui sacra: nihil a consueta expiatione animæ fundatoris detrahi: prodesse sibi, quod aliis non noceat: Apostolicam hinc benignitatem implorat. Quod inde retineat emolumentum non in profanos, & inutiles usus impendi, sed ut sustentetur necessariis ad vitam rebus, qui certe laudabilius vivendi genus amplexus est, in laudatissima Congregatione Oratorii, jam Perusiæ ad paucos redacta. Sibi assentiri Episcopum, expresse favere parochum, non adversari executores testamentarios.

Videnda est *relatio* Episcopi, qui censet *ejus petitioni, prævia absolutione a juramento in actu stipulationis præstito, attentis peculiaribus casus circumstantiis annui posse*. Consensus executorum testamenti ita habet: *in ciò che risguarda particolarmente il nostro particolare interesse della nomina di altro capellano in caso di vacanza, e non in altro, acconsentiamo, che possa ricorrere*.

Parochus vero, ad quem parum quidem ea res pertinet, cum non agatur de ejus ecclesia, non solum consentit, sed petitio-

tionem collaudat. Ait diebus ferialibus inutiliter in ecclesia testatoris sacra agi; ruriculas illis non interesse: diebus festis ex sacro illius ecclesiæ imminui frequentiam suæ, cum maximo sui populi detrimento, *e ciò proveniente non da altro, che da quelle commodità, che si hanno, che toltone via questa, allora dovrebbero per necessità frequentar la mia chiesa, e così partecipare, ed approfittarsi di quel bene.* Ratio parochi fortasse probat nimis: claudantur oportet tot ædiculæ, tot sacella, quæ opportunissime in agris pro ruriculis extructa sunt, claudantur aliæ ecclesiæ etiam in civitate, quin, & in ipsis parochialibus alia sacra prohibeantur; unum diebus festis parochi sacrum facerent necesse esset.

Commutationes voluntatum fieri nequeunt nisi *justa, & necessaria causa*, ut dixit *Concilium Tridentinum*. Causa autem justa non ea est, quæ aliquam rationem secumfert, sed quæ *justitia* suadente postulat, ut *necessario* commutetur voluntas, cujus interpretatio quædam potius quam integra, & absoluta mutatio sit. Aliter jus illud læditur testamentorum, quod licet a jure civili proficiscatur, latissime adeo apud omnes gentes receptum, ac sancte servatum est, ut idcirco juris gentium esse non indocti viri existimaverint. Videnda esset *dissertatio de Jure Testandi, quæ anno* 1747. *Romæ prodiit*.

Ponderandum, num in commutationibus permittendis proclivitas, opportuna sit, præcipue in causis piis; ne propterea ab iis testatorum animi abalienentur.

Ponderandum postea num hic agatur de commutanda voluntate, seu potius, ut de testamenti expressa lege derogetur, imo de toto testamento abrogando negocium sit. Testamenti litera inspicienda est. Proponitur

An Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.

NULLIUS MONTIS CASINI. *Die* 12. *Decembris* 1761. præter alia proposita de precibus Bernardi Evangelistæ canonici theologi collegiatæ Sancti Germani Nullius Montis Casini, qui ex Apostolico privilegio artem medicinam exercuerat, super dubio *an sit locus prorogationi indulti*, exiit rescriptum *affirmative ad annum tantum*, contradicentibus ejus loci medicis. Videndum est *ejus diei folium*.

Sess. 22. *cap.* 1. *de Reform.*

De nova prorogatione nunc agitur. Exoptat, imo eam postulat loci Ordinarius, *easdem ob causas penuriæ scilicet medicorum adhuc perdurantis, & maximæ dicti Bernardi peritiæ, qua edocti sumus, enixè precamur pro gratia novi indulti.*

De ea supplicat capitulum, & clerus, ob eam nempe rationem, *benchè vi siano alcuni pochi medici, pure l'Università non tiene, nè hà tenuto mai alcun di loro condotto per sollievo, e soc-*

corso

corso della povera gente, la quale nelle malattiè più delle volte non ha chi le curi, per non poter pagare il professore.

Suas preces pro cumulo addit publicus magistratus, ac populus: *esercitandosi dal sacerdote Evangelista la professione di medicina con applauso del publico, e sollievo universale delle persone, e fameglie di essi supplicanti, maggiormente de' poveri, e communità religiose, ne risultarebbe danno notabile quante volte cessasse per l'avvenire a motivo ben anche della penuria de medici, che attualmente si soffre in una città abitata da* 4000., *e più anime, oltre del casale di Pignatara, e Caira, e del numero grande de' forastieri abitanti nella campagna per la cultura de' campi.*

Medicinam ægroto facere suapte natura inter opera pietatis est; multo magis si solo caritatis instinctu, & sine ulla mercede, inopi, & misero auxilium feratur. Medicinam artem exercere clericis rectissime canones prohibuerunt; tum ne convertant animum ad extranea studia, ii, qui habere *debent in manibus pro solatio sanctos libros*, tum quia exercitatio hujus artis, licet liberalis, & ad salutem humani generis accomodata, profana est subito, si ut solet, mercede agitur; tum quia periculi est plenissimum opus naturam mortalium hominum oculos fugientem persequi, ut medici coguntur facere, quamobrem non raro pro salutari pharmaco paratur venenum. Hinc medicinam, & venenum in promiscuo vocabula aliquando veteres habuerunt. *Non est in medico semper relevetur ut æger.*

Justius vero eam medicinæ partem vetarunt canones, quæ ustione, sectione, ac tota manibus administratur; atque idcirco chirurgiæ nomen sortita est. Ea clericos omnino dedecet.

Verum enimvero, necessitate urgente, inductum est æquitate canonica, quod aliquando indulgeatur, ut clerici priorem medicinæ partem exerceant; ex penuria scilicet medicorum, & adjecta potissimum conditione, ne aliquid petant, imo nonnunquam, ut nec, etiam a sponte dantibus, aliquid mercedis accipiant.

Videndum num eæ circumstantiæ in casu proponantur, ut jam antea datum privilegium prorogetur, & quidem pro longiori tempore, ut petitur, ne quotannis hæc quæstio cum medicis redeat.

Evangelista adhuc suo muneri in ecclesia non defuit, de quo luculenta testimonia dantur.

Plurimum certe videretur facere, quod medicus publica mercede conductus in loco non sit, qui pauperes curet; ii vero sine ulla stipe, qua carent non raro, paratum quaqua hora, medicum facile non invenient. Petitur

An sit locus novæ prorogationi indulti, in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ASSISIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci, quod Assisii est, ob defectos primo institutos, ac substitutos, hæreditatem *Rosmi de Rosmis* ex testamento acquisivit, quam non parvo a tempore retinet. Preces dat nunc, ut commutetur testatoris voluntas de quodam testatoris legato. De hac commutatione agendum est.

Testatoris voluntas his verbis concepta est, *resta, che io faccia un' altro legato pio, e perpetuo, il quale primo in intenzione, ma in esecuzione hò riservato per ultimo, acciò tenacemente sia più impresso nella memoria del mio erede pro tempore. Lascio dunque si diano per carità annuatamente scudi venticinque ad un giovane, che sia abile, ed abbia volontà di attendere alli studii di filosofia, e teologia in Perugia, e finito il corso dei predetti studj voglio, e lascio, che nell' anno immediate seguente gli si diano parimente per elemosina scudi trenta, quali secondo la consuetudine, ed esperienza sono appieno sufficienti per detta funzione .... Di più avverto, che se dopo il corso delli studj alcun legatario non volesse dottorarsi, voglio, che sia tenuto in foro conscientiæ a restituire al mio erede pro tempore quanto ha ricevuto in virtù di questo mio legato, e si distribuisca a poveri della città abitanti nella parochia della chiesa catedrale col consiglio delli Signori Esecutori, ed intervento delli due Curati di detta parocchia, avendo però riguardo alla qualità delle persone in far questa elemosina. E quando occorresse il caso, che nel tempo opportuno di far' elezione del nuovo studente per gl' anni futuri non si trovasse per allora soggetto idoneo, voglio per quello spazio di tempo vacante di legatario si diano per elemosina pro rata, cioè scudi due il mese si distribuiscano ai poveri sopradetti, facendone ancora parte alli PP. Riformati, e Cappuccini.*

Secundis quas fecit tabulis legatum hoc confirmavit; præstationem annuam ad scuta triginta adauxit, sexennio duraturam pro quolibet juvene, qui eligeretur, fidejussionem ab eo præstandam voluit de adimplendis iis, quæ jusserat, & casu quo lauream non acciperet, de restituenda omni pecunia, *e questa moneta sia applicata dal mio erede pro tempore per dote di una povera zitella, ma onorata, ed in tanto, che nasce l'occasione si depositi nel Monte della Pietà.* Iis autem, qui omnia impleverant Perusiæ, etiam legatum habitationis perpetuæ in propria domo Assisiensi legavit.

Supplicat itaque Sodalitium hæres, cui comitem se adjicit civitas Assisiensis, *acciò commutando la volontà del testatore Rosmi la sudetta annua somma di scudi trenta possa in avvenire erogarsi in annua provisione di un maestro di legge civile, e canonica da eleggersi dai fratelli ogni anno per voti segreti.*

Causas commutationis sodalitium proponit, *esser riuscita di poco, o niun valore la buona intenzione del testatore, mentre molti dei giovani nominati hanno preso la detta annua somma di sc. 30. per gl' anni sei stabiliti senza aver presa la laurea dottorale ri-*

chie-

chiestasi principalmente dal testatore medesimo; altri poi, che si sono laureati per il poco profitto cavato dalla partecipazione di detto legato non hanno recato quasi verun giovamento al publico, o perche li fratelli della Congregazione oratrice nel nominarlo non hanno avuto riguardo all'idoneità del soggetto ricercata dal testatore, ma hanno soltanto risguardato di provedere qualche giovane loro congionto per sangue, o per amicizia per altro non idoneo, overo perche il soggetto nominato non hà avuto volontà di approfittare.

Addit in magis utile opus converti relictam pecuniam: studia philosophiæ, ac sacræ theologiæ haberi in civitate, quę plurimis Regularibus, & quidem doctis abundat; deesse studium juris civilis, ac canonici, quod cuique bene constitutæ civitati permaxime opportunum, imo necessarium omnino est. Ipsum testatorem prospexisse bono patriæ, ut viros doctos haberet; nihil magis consentaneum huic menti, quam ut studia, quæ desunt, instituantur. Multo magis quia quantitas legata pro sustentando juvene extra propriam patriam non sufficit: hinc inutile evadit legatum, atque legitima commutandi causa intercedit.

Hoc ipsum, adjicit, affirmare Episcopum in sua *relatione*, quę datur: *Unde non solum inutilis, sed ut ita dicam etiam damnosa prædicta Rosmi de Rosmis dispositio dici potest, & potissimum ex eo, quia summa scutorum 30. ab eodem testatore legatariis suis singulis annis assignata minime sufficiens ad substentationem unius adolescentis extra patriam reputari potest nisi cum maximo familiarum hujus civitatis, ut plurimum curtissimæ supellectilis præjudicio (quod ad moralem impossibilitatem reducitur) suppleatur.*

Episcopus certe votis suis omnibus petitioni huic favet. Videnda ejus *relatio* est, quæ summam venturam civitati, ac curiæ suæ utilitatem ex hac commutatione prædicat. Cætera in scriptis, quæ circumferentur, habentur.

Non juvat profecto de his commutationibus, quæ turmatim petuntur, eandem tota die crambem recoquere. Juvat certe exscripsisse testamenti, & precum ipsissima verba. Nemo it inficias testatores aliquando potuisse melius, atque utilius de rebus suis legem dicere; leges vero omnes per universas gentes probatæ edixerunt, ut testatorum voluntates pro legibus habeantur, non consultores defunctis testatoribus adhibuerunt. Ab hac regula ex justa tantum, & necessaria causa recedi potest, & quidem *extraordinarie*. Videndum num ea sit, quæ proponitur modo.

Non prætermittendum tamen, adesse puellas dotandas; adesse pauperes certæ parochiæ; adesse *Reformatos*, & *Capuccinos*, quibus omni tempore emolumentum quodcunque ex testamento obventurum, & emolumenti spes omnis aufertur, nihil tale commeritis, neque auditis. Quæritur

An sit locus commutationi voluntatis Rosmi de Rosmis, in casu &c.

Die Sabbathi 2. Junii 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEptem ante alias notantur causæ, quæ ex Congregatione sunt, die 12. Maji proxime habita.

Sess.22. Decret. de observan., & evit. in celebrat. Miss.

COLONIEN. TRANSLATIONIS.

I. *An servanda sit translatio facta ab Adolpho de Nesselvoth in Eberescoven, & Anna Catherina de Soheteren conjugibus de anno 1633. in casu &c.*, & quatenus negative.

II. *An sit consulendum SANCTISSIMO pro approbatione translationis factæ a Comite Carolo de Nesselvoth de anno 1759. in casu &c.*, & quatenus negative.

III. *An, & quomodo applicandi sint floreni 2000. annui, in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative. Ad III. Provisum in antecedenti.

Sess.24. cap.18. de Reform.

MELEVITANA PAROCHIALIS.

I. *An constet de nullitate concursus, itaut literæ apostolicæ sint exequendæ*, & quatenus negative.

II. *An constet de mala relatione examinatorum, & respective de irrationabili judicio Episcopi.*

Ad I. Affirmative in omnibus, & amplius. Ad II. Provisum in primo.

TERRACINEN.

Sess.21. cap.7. de Reform.

I. *An sit locus profanationi ecclesiæ ruralis S. Nicolai de Bario a Monialibus Cistercienfibus in territorio oppidi Somneni possessæ, in casu &c.*, & quatenus affirmative.

II. *An sacræ Imagines, supellectilia, & onera quæcunque in eadem ecclesia existentia transferri, & respective adimpleri valeant in ecclesia propria dictarum Monialium, in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi. Ad II. Affirmative, & quoad onera scribatur Episcopo juxta Instructionem.

AUXIMANA.

Sess.25. cap.4. de Reform.

An sit locus augmento annui assignamenti, in casu &c.

Negative.

PERUSINA.

Sess.22. cap.6. de Reform.

An Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.

Negative.

NULLIUS MONTIS CASINI.

Sess.22. cap.1. de Reform.

An sit locus novæ prorogationi indulti, in casu &c.

Affirmative ad Triennium, non accepta mercede etiam a sponte dantibus.

ASSISIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Sess.22. cap.6. de Reform.

An sit locus commutationi voluntatis Rosmi de Rosmis, in casu &c.

Dilata.

Sess. 22. cap. 4. de Reformat.

DERTHONEN. DISMEMBRATIONIS. Inter asperiora Apennini juga sex loca *Fontis Voracis*, *Cassoni*, *Vallis Obscuræ*, *Montis Alti*, *Mesoni*, & *Reisoni*, Derthonensis diœcesis, ad hæc usque tempora parochialem ecclesiam in oppido *Casanovæ* unicam habuerunt. Nondum elapsum triennium est, quo incolæ *Fontis Voracis* providentia Episcopi capellanum, seu vicarium parochi pro se, aliisque pagis obtinuerunt; a Principe vero ab Auria pagorum domino, ut domum pro capellano ædificarent, impetrarunt. In meliorem proinde spem erecti, illico nunc divisionem veteris parochiæ, ac novam inibi fundandam postulant. Contradicit parochus *Casanovæ*, cum populo; & gravis, ut de his controversiis solet, altercatio orta est, de qua nunc disceptatur.

Ad divisionem veteris, ac novæ parochiæ erectionem allegant omnia, quæ de jure ad eam demandandam statuta sunt: maximam nempe locorum distantiam ab ecclesia parochiali; scilicet ex proximiori loco *Fontis Voracis un miglio, & un terzo*, ex aliis *Casoni*, *Montis Alti*, & *Vallis Obscuræ si può dire miglia cinque*, ex alio *Mesoni poco meno, che quattro miglia*, ex illo demum *Reisoni due miglia e due terzi*. Constare id ajunt ex peritia mensoris publici Derthonensis; eamque testificationem quascumque contrarias affirmationes prævertere.

Immensam prædicant asperitatem viarum; prægelidos æterna nive, ac præruptos montes; periculi plenissimum iter ob torrentem *Pescia*, cui pons impositus duplici tantũ, & quidem fragili, trabe contextus. Innumera inde incommoda, ac damna evenisse narrant. Exuberare hæc omnia pro divisione *cap. ad Audientiam de Eccles. ædific. Concil. Trident cap. 4. sess. 21. de reformat. Barbos. ad. Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. num. 11. Sac. Cong. in Derthonen. Dismembrationis 18. Ianuarii 1736.*

Addunt auctam multitudinem populi: parochialem ecclesiam *Casanovæ* ei recipiendæ non aptam: continua jurgia, ac dissidia ob diversas jurisdictiones locorum: parochum habere quotannis summam *scut. 290.*; satis superque esse, si biscentum ei relinquantur; alios parochos in ea vicinitate minores reditus habere; reliqua nonaginta, quæ ex primitiis, & decimis ipsorum sex locorum facile colliguntur, novo parocho dari posse. In his circumstantiis non admittendum vicarium parochi, sed de jure novam parochiam constituendam.

Ad hæc parochus, & populus *Casanovæ* reponunt divisionis remedium odiosum, atque *extraordinarium*, postremum esse. Adhibendum *ordinarium* deputandi vicarios adiutores parochi juxta sanctionem Tridentinam. Episcopum hoc remedio jam providisse: nondum perspecta nova incommoda.

Hinc

Hinc ambitionis pleniſſimam eſſe petitionem, quam non jure faciunt. Poſſe nunc ſucceſſores antiquæ matris eccleſiæ jura pati, quæ eorum maiores, per tot antea decurſa ſæcula, ſine ulla querela pati non detrectarunt.

Cæterum falſa eſſe omnia, quæ exadverſo affirmantur. Non veram diſtantiam, cum a *Fonte Vorace ad Caſanovam* nonniſi *ſexcent. paſſ.* intercedant, neque difficilis, aut periculoſi itineris. Non vera damna, quæ perperam exaggerantur. Eccleſiam capacem eſſe. Non veros reditus, quos ejuſdem eccleſiæ afferunt.

Epiſcopus repugnat acriter. Neceſſitatem novæ parochiæ excludit multo ſermone; deinde ait: *Non igitur animarum zelus, non inſtructionum facilitas, non Sacramentorum miniſtratio Oratores ad eorum Spiritualis matris uterum ſcindendum excitat, ſed ſpiritualibus, & falſis ſervata præſentibus independentię prurigo, obſtinata ſuperbia, & perduelis in matrem animus contra propria promiſſa, contra principis Decreta diſmembrationem ab EE.VV. efflagitant. Ego vero pro veritate pro juribus Parochialibus pro utilitate illiuſmet populi, ut meum fert debitum nedum relator, ſed ſupplex Orator accedo.*

Explorata jura habentur de vicariis parochorum deputandis; ſive cum vicarii deputandi non ſint, de diviſionibus, ſeu *diſmembrationibus* demandandis. De his abunde actum eſt in cauſa *Lunen. Sarzanen. die* 14. *proxime elapſi Aprilis*.

Ponderandum, an, etſi expediat novæ parochiæ erectio, utilis ſit in loco *Fontis Voracis*, vel potius in loco *Meſoni*. Inſpicienda eſſet deſcriptio ſitus, quæ datur.

EE. PP., perpenſis omnibus, quæ hinc inde proponuntur, ſua, qua eminent juris ſcientia, prudentiaque, dijudicabunt

I. *An ſit locus diſmembrationi Eccleſiæ Parochialis Caſænovæ, & erectioni alterius Fontis Voracis, & quatenus negative.*

II. *An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequenti.

FIR-

Sess.22. decret. de observat., & evit. in celebrat. Miss.

FIRMANA ONERUM MISSARUM. Anno 1655. *Michael Angelus Monti* Firmanus, post institutos hæredes *Stephanum*, ac *Decium* fratris filios, eorumque descendentes, cum perpetuo fideicommisso, ita scripsit: *che non essendo alla morte di esso Testatore finita la cappella, ed altare della Madonna del Carmine nella Chiesa della Fraternità di Fermo, che ha cominciato a fare, si faccia finire, e compire dalla Signora Sofonisba sua moglie* (quam hæredem, si secundo non nuberet, in certo aliquorum bonorum usufructu voluit) *e Signori Stefano, e Decio suoi nipoti, ed eredi, come sopra, istituiti, e vi spendino tra quadro, e indoratura scudi 300., e non più, e finito sarà detto altare, e cappella li sopradetti Signori Sofonisba sua moglie, Stefano, e Decio suoi nipoti debbano mettere a censo scudi 500. presso idonea persona ad effetto, che colli frutti di quelli si mantenga un cappellano, che celebri ogni giorno messa in detto altare, e per l'anime de' morti, li quali scudi 500. si cavino, e debbano cavare dalli frutti de' censi di esso testatore, e l'elezzione di detto cappellano spetti, e si debba perpetuamente fare dalli sudetti Signori Stefano, e Decio suoi nipoti, ed eredi, e loro eredi, e successori, li quali dovranno aver cura, e pensiere in caso d'estinzione di detto censo di nuovo farlo rinvestire, acciò colli frutti di quelli possa mantenersi detto cappellano in perpetuo.*

De fundo perpetuæ capellaniæ ex fructibus censuum constituendo voluntas adhuc impleta non est. Sacra autem quotidiana ad hanc diem a capellano peracta sunt, cui bona fide testatoris hæredes scuta annua quadraginta persolverunt, quot reditus essent census scut. quingent. constituendi, ad annua scut. octo pro singulis cent., ut tempore obitus testatoris census omnes constituebantur.

Superiori anno *Antonius*, & *Joannes Baptista Monti*, testatoris successores, ut hoc onere, quod intolerabile forsan existimabant, se eximerent, deliberarunt capellaniæ suum fundum dare in ea quantitate, quam testator præscripserat. Cum vero census constituendus pares injuncto oneri nunc reddere non posset fructus, hinc postularunt oneris imminutionem; ac simul, ut consultius pro *opere pio* pecunia in acquisitionem bonorum stabilium erogaretur. An hoc liceat, & quomodo remissio oneris facienda sit, quæstio itaque cognoscenda proponitur.

De prima quæstionis parte contendunt legitimam esse causam commutandi voluntatem; census enim creari debebat ex fructibus censuum hæreditariorum, qui hodie non existunt; census ideo demandatus fuit, ut crearetur, quo tot reditus haberentur, quot ad capellaniam perpetuam sufficerent, quod hodie non est sperandum.

Rursus, ex bonis stabilibus eam securitatem, ac redituum perpetuitatem capellaniæ acquiri, quam ex censibus non haberet. Hinc Sacram Congregationem *in decretis generalibus*

libus anni 1725. statuisse, ut ex pecuniis pro celebratione *missarum* census non acquirerentur, qui pro hujusmodi effectu inter bona stabilia recensendi non sunt *Card. de Luc. ad Concil. Trid. disc.* 21. *num.* 9., *Sac. Congregatio in Policastren.* 17. *Augusti* 1726.

De reliqua quæstionis specie, statutam ajunt esse pecuniam in certa quantitate pro capellania scutorum quingent. Legatum incipere a re, non autem ab onere; *taxative*, non *demonstrative* appositum fundum: quamobrem certum esse hæredes ad aliud non teneri *Sacra Congregatio in Feretrana Capellaniæ* 19. *Decembris* 1744.

Nec posse objici, quod teneantur ob culpam non impletæ ab initio voluntatis. Nam primo respondent nesciri an vere culpa primorum hæredum intercesserit; propterea quod fundus constituendus erat ex fructibus censuum, qui fortasse illico post testatoris mortem extingui poterant: poterant debitores morosi esse; fieri ad solvendum non idonei. Deinde hanc majorum culpam non sequi ipsos possessores, qui nunc sunt; qui jure suo bona hæreditatis fideicommissaria integra acquisiverunt, ac retinent.

His positis remissionem, seu reductionem oneris necessariam esse propugnant. Consuetum esse, ut concedatur, perpetuis exemplis demonstrari. Hanc autem fieri debere ad rationem *perpetuæ*; cum agatur de capellaniæ fundo nunc primum constituendo. Si vero placeat fieri ad rationem *manualis*, detrahendam saltem esse impensam pro *utensilibus*.

Ordinarius censet *reductionem* faciendam ad *manualem*: *quumque testator a fundi designatione, cujus annui reditus in oneris implementum converti deberent suam dispositionem exordiendo ad missarum numerum definiendum progressus inde fuerit, imminutis annuis fundi taxative constituti fructibus, missarum reductionem non immerito oratores postulare videntur. Quæ reductio tamen non ad rationem perpetuæ, ut ipsi petunt, sed ad rationem eleemosynæ manualis componi debet, ut tot imposterum celebrentur missæ, quot annui erunt capellaniæ reditus.*

Addit *Indemnitati magis, ni fallor, faveret si tot bona hæreditaria testatoris, quæ scutorum quingentorum valori respondeant pro legati fundo perpetuo assignentur loco ea in tot censibus investiendi, quamvis testator ita mandaverit, vel quia census facile pereant, vel quia nova investimenta dum extinguuntur facile ab hæredibus negligi contingat, ut in casu præterita experientia satis evincit.* Videnda est *relatio*.

Ad rem faciunt resolutiones *in Romana* 10. *Maji* 1727., *Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1727., *Nepesina reductionis onerum* 3. *Julii* 1734.

Advertendum, an argumentum, quod dupliciter afferunt, scilicet majorum culpam se ipsos non sequi; & quod ipsi

 suo

ſuo nomine hæredes ſint, ac libera ab his oneribus bona teſtatoris ſibi habeant, fortaſſe probet nimis. Quæritur

I. *An, & quomodo fundus capellaniæ quotidianæ ſit conſtituendus in bonis ſtabilibus valoris ſcutorum 500., ſive in cenſibus, in caſu &c.*

II. *An ſit locus reductioni miſſarum*, & quatenus affirmative.

III. *An reductio fieri debeat ad rationem perpetuæ, ſeu potius manualis, deductis tamen deducendis, in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 23. Junii 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUÆ proponuntur, quæ reliquæ sunt causæ ex Congregatione die 2. hujus mensis coacta.

DERTHONEN. DISMEMBRATIONIS.

Sess.22. cap.5. de Reform.

I. *An sit locus dismembrationi Ecclesiæ parochialis Casænovæ, & erectioni alterius Fontisvoracis*, & quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit providendum, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Bene provisum per Episcopum, & amplius.

FIRMANA ONERUM MISSARUM.

Sess.22. decret. de observat., & evit. in celebrat. Miss.

I. *An, & quomodo fundus capellaniæ quotidianæ sit constituendus in bonis stabilibus valoris scutorum 500., sive in censibus, in casu &c.*

II. *An sit locus reductioni missarum*, & quatenus affirmative.

III. *An reductio fieri debeat ad rationem perpetuæ, seu potius manualis, deductis tamen deducendis, in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & constituendum esse certum Fundum Capellaniæ in bonis stabilibus. Ad II. Affirmative. Ad III. Ad rationem manualis.

Sess.24. cap.18. de Reform.

URBANIEN. PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. Acerrima, a quinquennio, & ultra, concertatio est inter *Philippum Gatti*, & *Petrum Aloysium Bajardi*, super præbenda theologali Urbaniensi; pro qua *die 19. mensis Aprilis* 1759. ambo ad concursum venerunt, quam clericus *Bajardus* obtinuit, quæ *Gattio* canonico negata est. Quatuor examinatores ab Episcopo deputati erant: hi omnes reprobaverunt *Gattium*; *Bajardum* vero Episcopi Urbaniensis fratris filium mira unanimitate omnes approbaverunt.

Gattius, ne Bajardus adolescens æmulus dispensationem super ætate obtineret nequicquam conatus est; qui idcirco, expeditis super ea literis apostolicis, præbendæ ab Episcopo possessionem obtinuit, eamque retinet. Hinc nulla Gattio relicta est via, quam conquerendi in S.Congregatione, ut facit, quod examinatores male retulerint, vel irrationabile Episcopi judicium sit.

Multa de utroque, quod assumit, cumulat. Præmittit ex constitutione *Pastoralis officii* Benedicti XIII. in concursu theologalis eadem servanda, quæ in concursu parochialis sunt; propterea que digniorem, magisque idoneum eligendum esse. Id ipsum censuisse Benedictum XIV. in *Synodo diœcesana cap.9. num.16.*

Digniorem vero, ac magis idoneum esse, non eum, quem sola scientia commendat: spectandas esse alias eligendi qualitates: de ætate maximam habendam rationem; de moribus, de prudentia, de existimatione, quam de eo habeat clerus, & populus; *Rota in Barchinonen. Canonicatus Pœnitentiarii* 11. *Maji* 1726. *§. Item inMelphiten.Canon.Pœnitentiar.* 4. *Februarii* 1733. §. 4. *coram Calcagnino*, *Imolen. Canonicatus Theologalis* 2. *Aprilis* 1713. *coram Molino*. S.Congregatio *in Cremonen.erectionis Præbendæ Theologalis* 2. *Julii* 1729., *& nuperrime in Cathacen. Præbendæ Theologalis* 14. *Januarii currentis anni*.

Quando hæc omnia animadvertantur, certat probatum nunc esse evidentissime, quod probandum erat. Ac primum de sua doctrina nullam probationem meliorem esse ea, quæ patet ex responsionibus ad quæstiones in concursu oblatas datis. Easdem profert.

Rursus, non minus de sua doctrina, quam de sua pietate, spectata morum integritate, inculpato anteactæ vitæ cursu, sine ullius unquam querela, & offensione, amplissima præberi testimonia a capitulo, & clero omni Urbaniensi; necnon a publico magistratu.

Addit se juris studio in Urbe triennium integrum dedisse operam, in eo *licentiatum* esse, quemadmodum & in sacra theologia: confessarium monialium: canonicum esse jam ab anno 1732: Episcopis qui præcesserunt acceptissimum, summo in honore apud eos, non minus, quam apud finitimos habitum. Pluries etiam ab hodierno Episcopo examinato-

rem

rem synodalem renunciatum ; & quod permagni faciendum est, ad hanc ipsam præbendam theologalem usque ab anno 1729. in simili concursu plenis suffragiis approbatum fuisse.

De æmulo sibi non comparando plura dicit: plura de non bona fide, ac sinceritate gestorum omnium. Videnda sunt ex scriptis ea, quæ Bajardo, ac fautoribus exprobat; quæ neque necessarium est, neque ad dignitatem pertinet, ut exscribantur.

Hoc idem faciendum est de iis, quæ contra Gattium obiicit Bajardus; qui ejus responsiones refutat, objurgat, ridet. Illum ob perpetuas animi anxietates, aliaque incommoda, ad hoc munus gerendum omnino ineptum prædicat. De reliquo Examinatores defendit, & quæ ante concursum gesta sunt, & quæ secuta: omnia summa cum bona fide acta esse: contrarias assertiones de calumnia notandas: non solum abesse fraudem ullam, & dolum, qui alioqui probandus esset, in examinatoribus, & in Episcopo, licet patruo, sed abesse vel minimam ullius doli, ac fraudis suspicionem. Multa congerit de suis studiis juris, philosophiæ, theologiæ, de Grecæ, atque Hebrajcæ linguæ peritia. Hinc inde luculentissima utriusque partis scripta habentur, quæ inspicienda sunt. Videndum quid Episcopus dixerit, qui etiam examinatorum censuras misit, & quid eæ censuræ mereantur.

Maximum hujus controversiæ momentum facit animadvertere, an bona fide omnia peracta sint, vel dolus intercesserit, aut saltem suspicio fraudis vehementissima, quæ faciat, ut circumvento sit subveniendum. Sacra Congregatio aliquando coram Metropolitano novum concursum indixit. Ad rem sunt *Isclana Parochialis* 1. *Aprilis* 1719. & *Larinen. Concursus* 2. Septembris 1758.

Quæ circumstantiæ rerum in casu proponantur; quid de iis sit existimandum; quid sit censendum; quid respondendum, EE. PP. accurate, ut solent, dispicient, ac decernent

I. *An constet de mala relatione Examinatorum*, & quatenus affirmative,

II. *An constet de irrationabili judicio Episcopi, ita ut præbenda Theologalis sit adjudicanda Canonico Philippo Gatti in casu.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Provisum in primo, & indicatur novus concursus coram Metropolitano, & amplius.

PRA-

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

PRATEN. INDULTI VACANDI A CHORO. *Innocentius Bonamici* canonicus theologus ecclesiæ Pratensis, veniam exorat, ut sibi infirmo liceat ab ecclesia abesse, neque omnia emolumenta suæ præbendæ amittat. Capitulum non assentitur, imo repugnat apertissime. De ea re controversia agitur.

Bonamici extollit suam antecedentem assiduitatem, per triginta perpetuos annos, dum potuit; sua priora facta, ut diligenter omne officium, munusque suum impleret. Et præter hæc, se præcipua pietatis causa, atque ut Episcopi imperio pareret, munus pœnitentiarii, sine ùlla mercede, viginti quinque annorum spatio exercuisse: se in septuagesimo secundo anno ætatis versari nunc; laboribus fractum jam, senioque confectum, vexari periculoso, ac desperato morbo, quod probatur ex testimonio medicorum, nec negatur ab ipsis suis sociis, qui contradicunt: cetera omnia certa esse ex patenti facto, & ex ipso Episcopi testimonio, quod cuicunque contrariæ assertioni est præferendum.

Addit satis superque ea esse, ut postulata vacatio concedatur; neque pars ulla, sibi ægroto plane debita, ex omnibus, quos antea habuit, reditibus auferatur. Hanc perpetuo fuisse S. Congregationis sententiam, humanitatis quidem plenissimam, quæ infirmorum miserias non adauxit, iisque pro Apostolica indulgentia, ac benignitate opitulata est semper.

Cuncta impugnat capitulum. Primo enim ait veterem S. Congregationis usum esse, ut non aliter vacationem concedat, nisi post ecclesiæ servitium annorum quadraginta, & ultra, ac illud laudabiliter & assidue præstitum: certum id esse ex innumeris Sacræ Congregationis *resolutionibus*, quæ cuique patent.

Utrumque vero existimat deesse *Bonamicio*, & quadragenarium temporis spatium, & servitium laudabile. Insignis eum prædicat fuisse negligentiæ præteritis annis canonicum; sua munia ut impleret, coactum tantummodo minaci auctoritate episcopi; extare de ea re publica monumenta: suæ indiligentiæ sæpissime subiisse pœnas; probari id ex publicis capituli libris, & ex communi canonicorum affirmatione, quæ datur.

Hinc, ait, nullius illum esse indulgentiæ dignum: hinc jure facere capitulum, quod contradicat, ut ecclesiæ jura communia tueatur; nec certe iniquo, & omnis humanitatis experti animo, *sive instigatione nonnullorum, qui privatis de causis, & spiritu contradicendi se opponunt*, ut, re non bene cognita, fatur episcopus, cuius Vicarius generalis consanguineus Bonamici est.

Episcopus certe enixe canonici petitionem suo testimonio adjuvat; diligentiam, ac mores collaudat: *Orator in ætate annorum duorum, & septuaginta constitutus spatio annorum tri-*

triginta, & ultra canonici theologi officio sacræ scripturæ lectiones habuit, eidem ob defectum alterius Canonici idonei pœnitentiarii munus demandavi, quod viginti quinque annorum spatio laudabiliter gessit, & absque ullo emolumento. In præsens gravibus morbis afficitur, iisque ferme omnibus habitualibus, a quibus inhabilis redditur: existimo parum esse curandam capituli repugnantiam, ipsumque dignum censeo, ut cum eo maxima cum æquitate agatur non solum propter miserum valetudinis statum, in quo reperitur, sed etiam, quia quoad ipsius valetudo permisit officium pœnitentiarii gratis diligenter, & laudabiliter gessit, & quia semper vitam ecclesiastico dignam duxit, qua stante integritate vitæ cum doctrina conjuncta, æstimationem quamdam obtinet etiam extra suam civitatem. Videnda ejus relatio est.

Sacra Congregatio eam vacationem, quæ *jubilatio* dicitur, ei indulgere est solita, qui quadraginta, & ultra annos ecclesiæ continuo, & laudabiliter inservierit. *Aversana* 20. *Martii* 1700., *Tranen. Jubilationis* 13. *Januarii* 1703., *& Ripana Jubilationis* 29. *Novembris* 1710., & alibi.

Adeo autem necessarium hoc temporis quadragenarii spatium, & laudabile servitium existimavit, ut etiam concessas antea *jubilationes*, si prius narrata falsa comperta fuerint, revocaverit *Maceraten. Jubilationis* 22. *Octobris* 1698., *& Romana Jubilationis* 6. *Augusti* 1712.

Alias vacationes indulsit, sive temporarias, ac breves, sive diuturniores, ob incidentes infirmitates, & aliquando etiam perpetuas, si ob perpetuum, ac desperatum morbum postularentur *Romana Juris Canonicalis* 5. *Maji* 1703. relat. per *Fargn. ad singul. Canon. de Jurepatron. par.*2. *can.*27. *cas.*11. *num.*23.

Eoque casu infirmis omnia emolumenta præbenda censuit ex juris canonici apertissima sanctione *Cap. Ad audientiam de cleric. non residentibus. Cap. unic. eod. tit. in* 6. *Fagnan. in Cap. Licet num.*137. *Monet. de distribut. par.*2. *quæst.*6. *num.*6. *Hortad. de residen. lib.*5. *resolut.*3. §.1. *num.*1. *Barbos. de Potest. Episcopi allegat.*53. *num.*116. *Gonzal. ad regul. Cancellariæ glos.*5. §.9. *num.*119.

Videnda est *Aquilana Indulti* 13. *Februarii* 1745., in qua propositis dubiis I. *An, & quomodo Archidiacono Francisco de Carolis concedendum sit indultum, de quo agitur, in casu,* & quatenus affirmative II. *An, & quibus emolumentis perfrui debeat in casu:* Respondit ad I. *Affirmative onerata conscientia Oratoris, durantibus infirmitatibus, arbitrio Episcopi:* ad II. *Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quæ sive ex dispositione Testatorum, sive ex statuto, & consuetudine ecclesiæ debentur tantum actu inservientibus, & amplius.*

Quæsivit autem S. Congregatio, uti necessariam hujus vacationis concedendæ conditionem, ut de laudabili, & assiduo præcedenti servitio, dum valetudo sinebat, doceretur.

tur. In *Asculana 5. Junii 1706.* proposito dubio: *An distributiones quotidianæ debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere*, responsum fuit *Negative*. Videnda est *Tranen. Distributionum 12. Septembris 1750.*

Integra igitur de hac concessione disceptatio in facto est. Episcopus de Bonamicio dicit *punctationes autem omnes, vel, ut aiunt, fallentias suas Orator semper solvit*. Videndum esset quæ, & cujus generis hæ *fallentiæ* fuerint. Ponderandum num solvisse negligentiæ pœnam sufficiat, ut diligentiæ laudem aliquis mereatur.

Proponitur

I. *An, & quomodo canonico Innocentio Bonamici concedendum sit indultum vacandi a choro*, & quatenus affirmative

II. *An, & de quibus emolumentis participare debeat, in casu &c.*

Ad I. Affirmative durantibus Infirmitatibus onerata conscientia Oratoris, arbitrio Episcopi. Ad II. Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quæ sive ex dispositione Testatorum, sive ex Statuto, & consuetudine Ecclesiæ debentur tantum actu inservientibus.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

SETINA PLURIUM. Duo sodalitia *Mortis*, ac SSmi Nominis *Jesu, & Mariæ*, quæ Setinam S. Rocchi ecclesiam colunt, anno 1750. ex suis reditibus præbuerunt Episcopo Palumbellæ, ut novem beneficia erigeret, assignata cuilibet certa dote; quemadmodum Episcopus fecit, statutis certis legibus, quarum tamen *explicandarum* sibi *auctoritatem reservavit*. Inter eas leges erat, ut *beneficiati*, certis diebus, certoque modo, relicta propria sodalium ecclesia, ad cathedralem accederent, eique cum canonicis inservirent.

Non diuturna, ut facilis præsagii erat, inter hæc diversarum ecclesiarum collegia tranquillitas fuit. Acta est in S. Congregatione controversia super *pluribus*, cujus historia repetenda est ex *fol. diei* 18. *Decembris* 1762. Quinque tunc fuerunt proposita dubia

I. *An Beneficiati erecti in Ecclesia S. Rocchi Civitatis Setiæ teneantur adsistere functionibus explendis in Ecclesia Cathedrali ejusdem Civitatis in diebus præscriptis ab eorum Constitutionibus.*

II. *An prædicti Beneficiati teneantur adsistere præfatis functionibus diebus, in quibus in eorum Ecclesia celebrantur Festivitates.*

III. *An Canonici Cathedralis Ecclesiæ Setiæ teneantur intimare horam Beneficiatis S. Rocchi pro accessu ad d. ecclesiam Cathe-*

thedralem occasione celebrandarum functionum, ipsisque durantibus eisdem Beneficiatis dare Stallum, sive sedem in Choro.

IV. *An, & qua pœna iidem Beneficiati mulctandi sint qualibet vice, qua eamdem adsistentiam non præstant.*

V. *An eisdem Beneficiatis collegialiter procedentibus ad Ecclesiam Cathedralem pro præstanda eadem adsistentia licitum sit Crucem elevare intra limites Parochiæ Ecclesiæ Cathedralis, & cum eadem Cruce elevata ingredi eamdem Ecclesiam in in casu &c.*

S. Congregatio respondit ad I. *affirmative*: ad II. *affirmative ad formam Constitutionum*: ad III. *affirmative ad primam partem, nisi hora sit præscripta in tabella horaria: ad secundam partem, esse assignandas sedes distinctas a Clericis Seminarii inferiores tamen illis Canonicorum*: ad IV. *affirmative arbitrio Episcopi*: ad V. *negative*.

Non adhuc absoluta controversia est. Eam nunc utraque sodalitia instaurant, quæ beneficiatis accedunt; ac petunt, ut leges initio ab Episcopo statutæ, quas idem Episcopus fundator sibi explicandas, seu corrigendas reservavit, nunc explicentur, corrigantur, ac moderentur; ne alias servitium desit propriæ ecclesiæ sodalium, qui integram dotem pro beneficiis erigendis e suo censu præstiterunt.

Auditus, uti debebat, antequam causa ad judicium rediret, hodiernus Episcopus est. E re erit ejus verba exscribere. *Verum ad parcendum expensis, & ad divinum Cultum in Beneficiatorum Ecclesia magis augendum in dies, cum revera multitudo Populi in ea confluat ad Sacramenta Pœnitentiæ præsertim percipiendæ, censerem eosdem Beneficiatos teneri tantummodo ad inserviendum Ecclesiæ Cathedrali toties, quoties Episcopus solemniter celebrabit dato eis per Capitulum decenti loco in Choro ab illo Sacerdotum simplicium, & Clericorum seiuncto, nec non facta eis facultate ab EE. VV. concedenda causa dicti accessus vexillum Crucis elevare non in signum Jurisdictionis, sed potius ad honorem, fortius quia ab anno* 1750. *usque ad præsens illud elevare nemine contradicente consueverunt*. Videnda est integra ejus *relatio*.

Non acquiescit capitulum judicio Episcopi. Hinc causa proponitur super iisdem *dubiis*; propugnante capitulo sua jura contra beneficiatos, ac novos contradictores, qui ad causam venerunt, sodales.

Allegat primum falso, atque usurpato nomine sodalitiorum instaurari litem a beneficiatis, quorum sola pecunia actitatur: patere id manifeste, ex *actis*, & ex ipso sodalium per non bonam artem extorto suffragio.

De eo autem, quod intrinsecus controversiam respicit, ait, onera imposita beneficiatis cum expresso sodalium consensu: ea convenire commodissime cum cultu ecclesiæ S. Rocchi: frequentiam populi talem ibi non esse, ut ex absentia bene-

ficiatorum ſtatis diebus, & horis, illius celebritas imminuatur;alioquin ſi frequentior populus accederet, eccleſiam illam capacem non eſſe. Plures eſſe alias in civitate Setina eccleſias, in quibus ſacramenta adminiſtrantur civium non minus quatuor millia.

Satis proviſum affirmat per Epiſcopum *Palumbella*, ut ſcilicet beneficiati perſolvant divina officia in ſua eccleſia hora ante, ut in tempore cathedrali adſint; ſicuti alibi fieri ſolet.

Hodiernum Epiſcopum de ſtudio, ac favore erga beneficiatos taxat: in partes eorum iviſſe odio litium, quas cum capitulo non paucas agit per univerſa hæc Urbis tribunalia. Novum hoc judicium ejus deſtruere fundationis leges, quarum executionem beneficiati juramento promiſerunt. Niſi ex alio, apparere quidem Epiſcopi infenſum animum, ex hoc tantummodo, quod proprio ingenio addidit ſtatuendum eſſe beneficiatis decentem locum in choro; qui locus jam datus erat; & de quo loco nec ipſi beneficiati querelam ullam, aut verbum ullum proferre audent.

Videnda ſunt omnia ex capituli ſcriptis, atque exſpectandæ reſponſiones ex alia parte. Interim advertendum, Epiſcopum deceſſorem in ipſa fundatione, explicandarum legum, quæ ſua ſolum auctoritate conſtabant, poteſtatem expreſſe ſibi reſervaſſe. Videndum num hæc poteſtas legitime ſucceſſores ſequatur. Num, etſi nec reſervata poteſtas fuiſſet expreſſe, prohibeantur Epiſcopi ſucceſſores in ejuſmodi rebus moderari leges, quas Epiſcopi dederunt, & quæ nullius,niſi Epiſcopi auctoritate munitæ ſunt. Maxime cum capitulum aliunde jus ullum non habeat, ſive quod de ſuo aliquid primo tribuerit, ſive quod poſtea ex diuturno ac longævo uſu præſcripſerit.

EE. PP. cuncta ſuo judicio perpendent, ut perpetuo duraturam tranquillitatem litigantibus ferant. Petitur

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

Seſs.24. cap.18. de Reformat.

APRUTINA PAROCHIALIS. Pro eccleſia curata *S. Pauli* Apoſtoli in villa *Turricellæ*, quæ ſuperioris anni menſe *Ianuario* vacaverat, indixit Epiſcopus *Aprutinus*, concurſum,ad quem duo venerunt, *Antonius Pompa*, & *Dominicus Jordani*,ambo e Civitate Interamnia. Examinatores utrumque approbaverunt,*quoad ſcientiam æqualiter, quoad requiſita vero magis, & primum locum dederunt Antonio Pompa, & ſpeciatim ob poſtulationem tam Cleri quam Univerſitatis Villæ Turricellæ*. Epiſcopus examinatorum judicium ſecutus eſt, & digniorem *Antonium* renunciavit. Nihil profuerunt *Dominico*, nec querelæ, neque impedimenta coram Emi-

nen-

nentiſſimo Pro-Datario, quibus tardabat literas Apoſtolicas favore competitoris, ut cauſa cognita, & refutatis objectis, literæ non darentur, quæ datæ ſunt. Hinc poſtmodum, ut debebat, totius controverſiæ cognitio, juſſu Sanctiſſimi, ad hanc S.Congregationem delata eſt. De Epiſcopi judicio an irrationabile fuerit, nunc agitur, dum tamen literæ, ob interpoſitas moras a *Dominico*, adhuc, non ſine eccleſiæ detrimento, executionem non habuerunt.

Propugnat Pompa juſtiſſimum fuiſſe judicium Epiſcopi, ac literas Apoſtolicas proinde juſtiſſimas eſſe. Se habere omnia quæ canones, & Tridentinum requirunt; congruam ætatem, ſcientiam, morum probitatem, ac prudentiam; conſtare id ex cauſæ monumentis. Se rethoricæ, ac philoſophiæ non minus, quam univerſæ theologiæ, ſive dogmaticæ, ſive ſcholaſticæ. ſive morali dediſſe ſedulam operam. Plures annos cancellarium epiſcopalem integre, ac laudabiliter egiſſe. Adfuiſſe ſemper examini promovendorum. Exercuiſſe munus ſecretarii in ſacra Viſitatione.

Addit ſe oppidi populo acceptiſſimum eſſe, cujus nomine loci magiſtratum, pro deferenda ſibi cura preces obtuliſſe; frequenti aſſenſu in id convenire cives ſuos, parochos, ac ſacerdotes omnes Interamnæ.

Falſa eſſe omnia, ac mala arte ficta, quæ ex adverſo opponuntur, ſive de ſuis moribus, ſive de minis a curia illatis, ut alii a concurſu abſtinerent: dilui omnia, evaneſcere primo obtutu ex facto ipſo. Inuliter hic traderentur ex ſcriptis, ea, quæ late pro ſe Antonius cumulat.

Epiſcopus interrogatus reſpondit, ſe digniorem exiſtimaviſſe ſacerdotem Pompa, *qui bonarum artium Rethoricæ, & Philoſophiæ in Seminario Pinnen., & deinde Theologiæ Moralis, & Dogmaticæ Studia in Scholis hujus civitatis abſolverat, bonis moribus erat imbutus, nullo unquam inquiſitionis, proceſſationis aut cenſurarum vinculo fuerat innodatus, Cancellarii munus hujus Epiſcopalis Curiæ ab anno* 1747., *ſumma integritate, fidelitate & honeſtate exercuerat, in ætate maturiore D. Dominico Jordani erat conſtitutus, in examine promovendorum ad Ordines adſtiterat, Eccleſiæ inſervierat, maximi momenti, & ponderis officium Secretarii S.Viſitationis per hanc diœceſim, ut par erat, expleverat, & tandem ab Univerſitate, & Clero dicti loci Turricellæ in Abbatem Curatum fuerat expoſtulatus.*

Deinde de Jordano hæc habet: *de anno* 1759. *pietate ergo D. Dominicum Jordani tunc temporis clericum, cui nuper Beneficium ſimplex de jure patronatus annui reditus ducat. duodecim contuleram, quique bonis liberis patrimonialibus, quibus ſacrum ejus patrimonium ſuppleret, & ad ſacros Ordines ſe promoveret, carebat, indulſiſſe, ut de tunc vacante paræcia provideretur, nullo præter ipſum concurrente pro fructuum exiguitate, locique in abditis montibus aſpero ſitu facta tamen per eumdem obligatione de ipſa non dimittenda ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto. Prædicationis*

Quadragesimalis, & Theologi documenta produxit. Nullibi tamen Rethoricæ, nec Thologiæ mihi constare fecit, quamvis ab olim meo Provicario Generali me absente, & nullo præcedente examine facultatem docendi Theologiam excerpere valuerit, & a meo postmodum Vicario Generali noviter ad hanc Diœcesim pervento, cuique Clericorum mores penitus erant ignoti, me pariter absente & inscio, attestationem ejus vitæ, & requisitorum, quam a me nunquam obtinere potuerat, emendicaverit: adeout in hujus Aprutinæ Diœcesis locis intermissi, licet Oratus, verbum Dei prædicare ipsum numquam permiserim. Evertere curavit d. Sacerdos Dominicus Jordani retroscriptam postulationem Universitatis Turricellæ factam favore d. Antonii Pompa, quam falso inscriptam esse asseruit. At enixe Civium d. loci preces, & voce, & scripto coram me favore ejusdem Sacerdotis Pompa assidue porrectæ, & præcipue adnexa declaratio totius Populi dictæ Villæ mendacium hoc evincunt. Videndæ sunt ambæ *relationes*, quas Episcopus misit.

Dominicus controversiæ initio, multa de se, multa de studio, ac favore Episcopi erga Antonium, multa in Antonium competitorem dixit; sed modo, licet pluries vocatus, & monitus, interpositis fortasse tricis contentus, quibus æmulum ab ecclesiæ possessione acquirenda prohibuit, judicium de se fugit, & diu frustra expectatus non venit adhuc.

De judicio Episcopi, dum ad Episcopum collatio spectat, certum est sequendum esse, nisi evidenter injustum sit, vel manifesto errore, ac dolo peccet. Vetus canonica hæc regula est, quam Tridentinum apertissime comprobavit. Casu vero, quo ecclesiarum collatio ad Pontificem pertinet; post indictum ab Episcopo concursum, & postquam is proposuit, quem magis idoneum ad ecclesiam regendam censet, videndum quanti ejus faciendum sit judicium ex *Constitut. cum illud 68. san. mem. Bened. XIV.*

Quæritur

I. *An constet de irrationabili judicio Episcopi*, & quatenus affirmative,

II. *An Parochialis sit adjudicanda Dominico Jordani.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 5. de Reformat.

MACERATEN. CAPELLANIÆ. *Laurentius Compagnoni* Maceratensis, super prædio empto pretio scut. 800. capellaniam laicalem constituit *anno* 1694. Vivente eo adhuc, & redempto prædio, suis tabulis *anno* 1718. dotem capellaniæ adauxit ad 1050. in duobus censibus, quorum reditus sunt annua scuta 23. 30.

De

De legibus capellaniæ hæc primum dixerat: *erexit, & fundavit unam capellaniam, sive officiaturam meram laicalem amovibilem ad nutum in quacumque ecclesia, seu altare tam intus, quam extra civitatem Maceratæ, & in quocumque loco &c. ipsi Laurentio ejus vita durante, & postea suis infrascriptis nepotibus placito etiam oretenus assignando.*

Onus capellano adjunxit tria sacra qualibet hebdomada celebrandi, *scilicet unam missam in die dominico, alterum in alio die festivo de præcepto sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ occurreret infra hebdomadam celebrare debeat pro nunc in ecclesia Sanctissimæ Conceptionis in possessione Cimarellæ ipsorum Illustrissimorum de Compagnonis durante vita naturali tantum dicti Laurentii, & non ultra, reservato tamen interim favore dicti Laurentii jure permutandi dictam ecclesiam, & aliam, seu alias ecclesias ad libitum, & toties, & quoties &c. ecclesias eligendi, & designandi, in qua celebrari velit dictas tres missas in diebus supra destinatis, & non alias: alteram vero tertiam missam ad libitum celebrare debeat in quacumque ecclesia, dummodo tamen infra hebdomadam non occurrat alter dies festivus de præcepto Ecclesiæ.*

Reservato jure nominandi capellanum cum sibi, tum descendentibus ex Juliano fratre, addidit, *casu quo in dicta ecclesia Cimarellæ celebrari non possint dd. tres missæ idem d. Laurentius designavit ecclesiam Divæ Mariæ de Misericordia intus hanc civitatem Maceratæ, & quatenus in dicta ecclesia Divæ Mariæ dictæ missæ celebrari non possint quavis de causa, & occasione; tunc, & eo casu, & eo ipso voluit, quod dictæ tres missæ celebrari debeant in ecclesia cathedrali Maceratæ pro tempore existen., & in altari privilegiato Sanctissimæ Conceptionis, & quatenus hoc altare amplius non existat, vel non adsit in ecclesia cathedrali Maceratæ, celebrari debeant in altari Divæ Mariæ Septem Dolorum, vel ad libitum dd. DD. ejus hæredum.*

Demum per continuatam orationem sequitur, *& cum onere adjuncto dicto capellano pro tempore confitendi, & administrandi sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in dicta ecclesia rurali dicti prædii Cimarellæ, donec dicta ecclesia extiterit, & non alibi, quia sic &c.* Hæc postrema fundationis verba quæstionem hodiernam, de qua agitur, faciunt.

Post obitum testatoris, in ecclesia *Cimarellæ*, tam tempore *Juliani* primi capellani, quam tempore *Alberti*, qui capellaniam adhuc retinet, unum sacrum in hebdomada diebus festis peractum est; alia duo in aliis ecclesiis: neglecta administratione sacramentorum in rurali ecclesia. Id cum forte animadvertisset *Albertus*, in dubitationem incidit, an hoc onus morte testatoris cessaverit, vel duret adhuc. Supplicat itaque, ut vel ab hac sibi nove injecta religione, vel ab illo onere, si duret, in posterum liberetur.

Existimat testatoris morte cessasse illud onus, quia fundator sacra in ecclesia rurali celebranda voluit sua *durante vita naturali tantum, & non ultra*, licet jus etiam de hoc varian-

di

di sibi liberum reservaverit. Verisimile autem non esse, ut dum sacra alibi pro libitu celebrari poterant, adigere capellanum voluerit ad administranda sacramenta extra civitatem in ecclesia quinto lapide dissita. Legitimam proinde voluntatis interpretationem esse, tum capellano onus injunctum, cum inibi sacra necessario peragi debuissent.

Convenire hanc interpretationem facto fundatoris ipsius, qui nonnisi annuos reditus scut. 27. 30. capellaniæ assignavit; non idoneos certe, ut capellanus, qui intolerabile illud onus ferret, inveniretur.

Præterea testatorem ipsum post fundatam, vicesimo quarto anno ante, capellaniam, in suo testamento dixisse: *quando sarà seguita la mia morte eleggo, nomino, e deputo per amministratore di detta capellania per fino, che viverà Giuliano Compagnoni pronipote col peso, ed obbligo di far celebrare solamente dette tre messe la settimana a tenore dell'istromento dell'erezzione*. Ex quibus apparet de onere administrandi sacramenta post suam mortem, neque intellexisse antea, nec post cogitasse, dum tabulas fecit.

Addit, multo magis ita intelligendam testatoris mentem, quia agebatur de re in ejus potestate, & arbitrio non posita, & quæ ab arbitrio Episcopi penderet unice. Exorat demum, ut quando hæc omnia non placeant, quocumque in dubio, ipse angore, ac sollicitudine animi opportune exsolvatur; ac deleatur onus, quod certe impleri non potest. Impares esse reditus huic ferendo oneri: habere pro se usum, qui hanc mentem ab initio post fundatoris obitum interpretatur: habere pro se Episcopi testimonium, ac fautricem sententiam.

Episcopus sane petitioni assentitur: *Ut animi mei sensum aperiam supremis eorum jussibus obtemperans crederem locum esse declarationi ab ipso Alberto expositæ. Cum enim fundator missas a capellano celebrari voluerit in ecclesia rurali Cimarellæ diebus dominicis, & festis de præcepto vita naturali ipsius fundatoris durante, & non ultra, atque injunxerit etiam onus administrandi sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in eadem ecclesia, si celebratio missarum limitata fuit ad vitam fundatoris, etiam alterum onum ad vitam pariter fundatoris limitatum dici debet. Illud siquidem fundator in animo habuit, ut dum capellanus in dicta ecclesia missas celebrabat pro commoditate agricolarum, indigentibus quoque præfata sacramenta administraret. Quod clarius præterea manifestavit in ejus testamento, in quo Juliano administratori capellaniæ onus injunxit missas tantummodo celebrare faciendi. His accedit, quod reditus capellaniæ tales non sunt, ut sufficere possint pro stipendio capellani confessarii: ascendunt enim ad annua scuta 27. 30., solvuntur pro eleemosyna missarum dominicis, festisque diebus in ecclesia rurali scut. 20. annuatim. Reliqua vix sufficiunt pro eleemosyna reliquarum missarum, ultra quod non erat in facultate testatoris*.

Ar-

Argumentum postremo loco allatum, nempe quod alias fundator dixisset de his, quæ in sua potestate non erant, nimis certe probat: id enim locum habuisset etiam dum fundator viveret.

Explicita declaratio fundatoris est pro onere implendo *donec dicta ecclesia extiterit*. Videndum, num quæ proponuntur, vel eam destruant, vel benigniorem interpretationem admittant; vel saltem faciant, ut onus, quod impleri nequit, delendum sit.

Plurimum videtur facere, nisi fortasse controversiam omnem conficiat, ea animadversio, quod, in declaratione oneris administrandi sacramenta, fundator dies certos pro ea administratione non designavit; ideoque de iis diebus intelligendum esset, quibus demandata sacra peragerentur: similitudinem autem veri non habet, quod testator præscripserit, ut capellanus eo die, quo sacra Maceratæ faceret, eodem die, & quidem matutinis horis, ad ecclesiam tam longe a civitate distantem convolaret. Multo magis, quia nec Maceratæ necessario sacra peragenda erant, si inspiciatur, quod initio fundationis dixit: *capellaniam in quacunque ecclesia, capella, seu altare tam intus, quam extra hanc civitatem Maceratæ, & in quocunque loco*; licet inferius diversa dixerit. Hæc varia, & ambigua hominum, in suis cogitatis explicandis, loquendi ratio, sive in contractibus, sive in testamentis, ea est, quæ litibus forum implet.

Proponitur

I. *An capellanus pro tempore teneatur ministrare sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in ecclesia rurali prædii Cimarellæ in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus reductioni, seu remissioni dicti oneris, in casu &c.*

VERCELLEN. RESIDENTIÆ. Oppidum *Masserani* in diœcesi Vercellensi ecclesiam habet *Beatæ Mariæ Virginis*, in qua Summus Pontifex Pius IV. collegium instituit præpositi, & sex canonicorum. Certant canonici, ut ad residendum cogant secum præpositos suos, qui id onus ad hæctempora non impleverunt. De ea re disquirendum proponitur.

Sess. 21. cap. 3. de Reform.

Vetus hæc certe canonicorum querela erat ab anno 1671., quam renovarunt frustra anno 1744.; nunc instaurant, ac persequuntur.

Utilissimum erit literas erectionis sub oculis ponere: *ecclesiam prædictam in collegiatam cum choro, capitulo, massa capitulari, arca, & sigillo communibus, aliisque collegialibus insigniis ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum illarum partium, ac in ea unam præposituram, quæ inibi dignitas existat pro uno præposito, quæ inibi præeminentiam, & jurisdictionem habeat,*

beat, ac sex canonicatus, & totidem præbendas pro sex canonicis, qui omnes insimul cum ipso præposito capitulum inibi constituant, nec non duas rectorias pro duobus rectoribus ipsius ecclesiæ, ac duo præterea simplicia beneficia ecclesiastica sacristias nuncupanda pro duobus clericis perpetuis beneficiatis sacristis nuncupandis, qui ecclesiæ præposito, & canonicis præfatis in divini officii executione deserviant, ipsique sex. canonici . . . . . in dicto collegio in ecclesia continuam, perpetuamque residentiam facere, illicque horas canonicas, & alia divina officia celebrando, & cantando laudabiliter in divinis deservire, ac lunæ, & jovis diebus cujuslibet hebdomadæ super ejusdem Joannis Philippi defuncti sepulturam officium mortuorum pro ejus, aliorumque fidelium defunctorum animarum salute celebrari debeant, & teneantur.

Injunxit insuper Pontifex canonicis *continuam inibi residentiam facere, ac horis canonicis, aliisque divinis officiis interesse, ac lunæ, & jovis diebus præfatis officium mortuorum super ejusdem Joannis Philippi sepultura celebrare, & quoties quispiam illorum divinis hujusmodi interesse desierit pro qualibet vice, nisi infirmitate, aut alio impedimento legitimo detentus fuerit in duobus florenis mulctari, & pecuniæ hujusmodi mulctæ per ipsum Episcopum retineri, & in ejusdem ecclesiæ beneficium, utilitatem, & reparationem converti debeant.*

Ajunt itaque canonici, præposituram uti veram dignitatem obnoxiam jure ipso huic oneri: statuisse hoc Concilium Tridentinum *sess.24. cap.12. de reformat.*: censuisse hoc Sacram Congregationem, quæ retinentes hujusmodi dignitates obligari ad omnia onera, quibus reliqui canonici subjiciuntur, pluries declaravit.

Neque præsidium ullum præpositis Masserani afferri ex iisdem literis erectionis, quas non ex authentico, ac deficientes aliqua ex parte hodiernus præpositus coram Episcopo edidit; & præcipue spatium habent eo loci, quo fortasse præpositus descriptus erat. Rursus ex ipsissimo exemplo literarum nihil dictum de præposito ad obligationem; sed neque dictum aliquid ad exemptionem; uti de jure faciendum fuisset; ne alias ex ipsa juris regula, præpositus, infixo toti ipsi collegio intrinsecus oneri, subjiceretur.

Præterea addunt, suum collegium erectum fuisse *ad instar aliarum collegiatarum partium illarum*; ejus autem vicinitatis collegia præpositos habere, qui resident; ut de collegiis *Bagellæ*, & *S. Agathæ*, quæ non solum finitima, sed ipsius diœcesis Vercellensis sunt.

Ad hæc, Pontificem simul cum collegio duos clericos constituisse, *qui ecclesiæ præposito, & canonicis in divini officii executione deserviant*. Superfluum autem fuisset de præposito loqui, qui ecclesiæ simul cum canonicis adesse non teneretur.

Nec sufficere, ut eximatur, quod præpositus dignitate, ac jurisdictione cæteros antecellat; sive quod canonici suum ærarium cum præposito non participent. Dignitatem, dicunt nihil prodesse, nisi ut aliis præeat, & in cultu ecclesiæ præstando aliis exemplo sit: habere autem præpositum suos sibi reditus, proprios, ac pinguiores.

De eo vero, quod respicit consuetudinem non residendi: primo factum impugnant; nam & ipsum hodiernum præpositum, & duos, qui proxime præcesserunt, non raro resedisse ex testibus probari asserunt. Secundo consuetudinem in hujusmodi rebus allegari non posse, uti eradicitus extirpatam ab ipso Tridentino. Abusum hunc fuisse. Sacram Congregationem abusum hunc improbavisse semper.

Quemadmodum nec officere, quod *præpositura* ad juspatronatus Comitum de Flisco loci dominorum pertineat; cum nec jura regia patronatus ad hoc sufficere clarissimum in jure sit *Card. de Luca disc.* 61. Opportunum autem, imo pene necessarium, ut ad hoc præpositus adigatur, ne alioquin desit servitium ecclesiæ, quæ non nisi sex canonicos habet huic oneri obligatos; cum cæteri *adjuncti*, expresse ab hoc onere, ex peculiari lege fundationis, exempti fuerint.

Hinc propugnant, inutiliter hæc postulari, inutiliter præcipi, nisi tertia pars redituum *præbendæ*, quam præpositi habent, *distributionibus quotidianis* in posterum addicatur. Eam ob rationem hanc tertiæ partis divisionem, ut fieret *pro distributionibus* demandasse Concilium *sess.* 21. *cap.* 3. *de reformat.* Hæc canonici contra præpositum, qui adhuc sua jura, licet legitime interpellatus, non protulit.

Certe ab exemplari literarum *Pii IV.* evidenter patet præpositum cum canonicis unum constituere capitulum; propterea que præpositum de jure caput esse, sed ejusdem corporis, quod integrum uni ecclesiæ addictum est.

Usum non residendi a duplici sæculo in præpositis capitulum ipsum admisit. Videndum quid in jure hic usus faciat, si non ad præscriptionem, saltem ad declarationem literarum erectionis. De re hujusmodi late agunt *Fagnan. in cap. cum omnes num.* 21. *de constitut.*, *Pignatell. consult.* 114. *tom.* 4., *Card. Petra ad Constit. Innocen. IV. sess.* 2. *num.* 28.

Advertendum, quod inter monumenta causæ, quæ Episcopus misit, habetur nominatio præpositi, quam anno 1617. Masserani Princeps favore sui filii duodennis fecit, *in qua præpositura dignitas principalis beneficium simplex illius ecclesiæ collegiatæ* dicitur.

Præterea, quod in visitatione *anni* 1746. licet canonici plura Episcopo proposuissent de ecclesia, & *choro* nihil de præposito, ut resideret, dixerunt.

Episcopus præpositum non esse cogendum existimat: *Adnexis*

precibus capituli , & canonicorum oppidi Masserani opposuisse Joannem Georgeum Badini Parizza modernum præpositum dicti capituli adnexam facti seriem a canonicis voluti veridicam in totum admissam , & approbatam , quam pro plena informatione EE. VV. oportunum duxi fore , & esse transmittendam . Idcirco inspecta hujusmodi facti serie una cum juribus in eadem contentis,præpositum dicti capituli non teneri ad residentiam moralem, nec ad eam esse cogendum censerem .

Ad EE. PP. spectat decernere

I. *An Præpositus collegiatæ ecclesiæ oppidi Masserani teneatur ad residentiam uti canonici primæ erectionis* , & quatenus affirmative

II. *An tertia pars fructuum illius Præbendæ sit separanda , ac convertenda in distributiones quotidianas , in casu &c.*

Sess.25. cap.4. de Reformat.

URBINATEN. APPLICATIONIS . Sodalitium *Mortis* , quod Urbini est, duas fere eodem tempore acquisivit hæreditates : unam anno 1596. *Angelicæ de Benedictis* , quæ præter alia , ita scripsit : *teneantur in ecclesia retinere semper SS̃mum Sacramentum cum lampade accensa . Item quod in diebus quatuor temporum , in quibus solent fieri in dicta ecclesia Orationes quadraginta horarum teneantur celebrari facere sex missas pro qualibet die , & cum introitu suæ hæreditatis emere ceram ardendam in dictis diebus pariter , & ceram pro sepeliendis mortuis pauperibus .*

Alteram anno 1601. *Alexandri Godignola* ; qui, postquam plura implenda onera præscripserat , ac , quod sodalitium ex præcipuis hæreditariis fructibus scuta tantum viginti quolibet anno,ut sibi sumeret, largitus est,de reliquo ita jussit : *Residuum fructuum totum solutis prius , & adimpletis omnibus prædictis per eum dispositis , & erogatis , ac relictis , ut supra dictorum ejus bonorum , & universæ suæ hæreditatis prædicti homines Confraternales societatis mortis teneantur erogare , & expendere in perpetuum , & perpetuis temporibus in nubendis puellis hujus Civitatis Urbini pauperibus bonæ , & honestæ vitæ , conditionis , & famæ , prout judicatum fuerit ab hominibus dictæ Societatis , & obtentum in consilio ejusdem Societatis cum hoc ordine , quod a Confratribus Societatis prædictæ publice , & palam in consilio ejusdem fieri debeat Bussulus in quo recondantur , & poni debeant nomina puellarum bonæ , & honestæ vitæ conditionis , & famæ , prout judicatum fuerit , & obtentum in consilio dictæ societatis per plures pallottas sororum filiarum , & neptum Confraternalium pauperum dictæ Societatis deservientium dictæ Societati præsertim in associando mortuos ad sepulturam , & quod earumdem Patres , & Fratres teneantur saltem per tres annos deservire dictæ societati præsertim in associando mortuos ad sepulturam , & inde ex dicto Bussolo quolibet anno extrahi debeant duæ , vel*

vel tres puellæ nubiles bonæ, & honestæ vitæ, conditionis, & famæ sorores filiæ, & neptes dictorum confraternalium deservientium ut supra vix vires, & introitus dictæ suæ hæreditatis. Quibus sic extractis cum nuptui traditæ fuerint, effectualiter tradi, & numerari debeant per dictos Confraternales dictæ societatis ab eis deputatos unicuique ipsarum pro suis dotibus scuta quinquaginta curren. pro qualibet ipsarum.

Hæreditas *Angelicæ* multum decrevit, imminutis fructibus censuum, ex quibus constabat. Sodalitium usque ab anno 1712. obtinuit ab hac S.Congregatione onerum reductionem; sed eam retardavit Archiepiscopus, qui deprehenderat societatem esse debitricem hæreditatis; ideoque illam adegit, ut ante omnia pro rata quotannis suum debitum solveret, quod usque adhuc factum non est.

Diversam habuit sortem hæreditas *Godignola*, cujus reditus valde aucti sunt. Hinc sodales anno 1760. preces obtulerunt SSmo, ut partem horum redituum, certo modo ad implementum onerum hæreditatis *Benedictæ* applicaret. De his precibus agitur.

Juvat certe quid suis ipsis verbis petunt sodales exscribere: *Per sollevare quest'ultima Eredità, e per non venire alla riduzione del numero delle Messe, o all'abolizione dell'esposizione delle* 40. *ore hanno gl'esponenti pensato di applicare, ed incorporare alla Eredità della riferita Angelica Benedetti quelle doti, che anderanno ricadendo per la morte di quelle Zitelle, che passaranno all'altra vita senza aver eletto lo stato sino al numero di trenta ad effetto di rinvestirne venti a favore dell'Eredità della prefata Angelica, e l'altre dieci erogarle parte in compra de paramenti Sacri, de quali ormai trovasi affatto sprovista la Sagrestia di detta Compagnia, e parte in risarcimenti, che occorre agli esponenti fare ad una muraglia sotto l'Archivio di detta Compagnia, & allo stesso Archivio, e Sacristia.*

Afferunt necessitatem, quæ urget, & populi universi utilitatem, simul cum divini cultus augmento. Necessitatem ajunt certam, atque apertissimam esse, sola inspectione status hæreditarii; cui addenda ruina sacrarii, quæ imminet; deesse vestes, & ornamenta pro sacris agendis, cæteraque alia.

Utilitatem multo magis certam, & apertiorem videri: ita enim omnia plenissime absolventur in posterum, quæ hucusque summa populi pietate peracta sunt, & quæ alias omitti atque abrogari necesse esset.

Nullius jura ledi: non puellarum, quibus dotes non auferuntur, nisi mortuis: non sodalium, quorum consanguineæ, ex lege testamenti, puellæ semper sunt; qui consentiunt, imo supplicant. Nil fieri præter voluntatem ipsam testatoris, qui duas tantum, aut tres dotes annuas, ex sua hæreditate distribuendas existimavit; cum modo usque ad septem annis singulis distribuantur.

Vicarius generalis Urbinas, vice Archiepiscopi, suam sententiam dicit: assertor, & fautor petitionis, latissime sodalium preces adjuvat; *postulantes igitur Oratores largitionem 30. dotium ex illis namque, quæ ad societatem revertuntur vel per spontaneas renunciationes, quas puellæ jam dotatæ emittunt, vel quia istæ non electo statu in cœlibatu decedunt, animo applicandi dotes 20. pro æquandis partitis introitus, & exitus hæreditatis memoratæ Angelicæ, & decem pro murorum reaptatione, & sacrorum suppellectilium renovatione, eorum instantiæ indulgendum fore putarem. Nam si loquamur de hæreditate Angelicæ justa videtur petitio, quia ex adnexo folio a confratribus mihi exhibito, & fideliter confecto resultat, quod fructus hæreditatis consistunt in scut.* 147., *& obul.*8., *& impensæ, quæ quotannis fiunt quoad implementa onerum reductorum ascendunt ad scut.*152., *& obul.*10., *& sic partitæ exitus superant introitum in scut.*25., *quæ persolvit societas de propriis pecuniis provenientibus ex parvis introitibus &c. eum in finem, ut prosequatur oratio* 40. *horarum, quæ ab antiquissimo tempore summa cum devotione, ac Populi concursu omnibus quatuor anni temporibus in sua ecclesia peragitur. Si autem de reaptatione murorum, ac sacrorum suppellectilium renovatione, possum certo EE. VV. asserere, quod muri proximam ruinam minantur, & suppellectilia adeo sunt obsoleta, ut valde indecorum sit sacros ministros ecclesiasticis functionibus uti: quibus omnibus addendum est, quod si EE.VV. dignabuntur indulgere gratiam, ut supra expetitam nullum præjudicium infertur puellis habentibus jus consequendi dotes, quia Alexander Godignola in sua testamentaria dispositione non vocavit omnes puellas Urbinatenses, sed tantum illas conjunctas ipsis confratribus, qui licet in hoc pio opere interesse habeant, solemniter eorum consensum præstiterunt pro dd. dotium traditione.*

Non ita facile recipiendum videretur, quod aliquis testator cogitaverit, ut ex suis bonis, alterius hæreditatis indigentiæ subveniretur, fructusque ex suo nomine exire passus esset, & in alterius nomen transire. Unum est tamen in casu, quod adverti posset, scilicet, quod testatores ambo, huc oculos, & manus collineasse visi sunt, ut nempe unius ejusdem sodalitii commodis, atque utilitatibus prospicerent, illud simili benevolentia prosequerentur, ejusdem dignitatem, & cultum augeri vellent, ac veluti quamdam amoris, & benevolentiæ erga unum hæredem inirent societatem. Sodalitium duorum hæres unum est, universaque amborum bona, certis implendis oneribus licet obnoxia, uti sua retinet.

EE. PP. viderint quid sit respondendum. Dubium est *An sit locus applicationi, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 21. Julii 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ANte alias quatuor hìc sunt causæ ab anteacta Congregatione *diei 23. Junii* ad hanc translatæ.

APRUTINA PAROCHIALIS.

Sess.24. cap.18. de Reform.

I. *An constet de irrationabili Judicio Episcopi*, & quatenus affirmative

II. *An Parochialis sit adjudicanda Dominico Jordani.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & amplius. Ad II. Provisum in antecedenti, & amplius.

MACERATEN. CAPPELLANIÆ.

Sess.25. cap.5. de Reform.

I. *An cappellanus pro tempore teneatur ministrare sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in ecclesia rurali prædii Cimarellæ in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus reductioni, seu remissioni dicti oneris, in casu &c.*

Iterum proponatur.

VERCELLEN. RESIDENTIÆ.

Sess.21. cap.3. de Reform.

I. *An Præpositus collegiatæ ecclesiæ oppidi Masserani teneatur ad residentiam uti canonici primæ erectionis*, & quatenus affirmative

II. *An tertia pars fructuum illius Præbendæ sit separanda, ac convertenda in distributiones quotidianas, in casu &c.*

Dilata ad primam omnino, etiam unica.

URBI-

Sess.23. cap.4. de Reform.

URBINATEN. APPLICATIONIS.

An sit locus applicationi, in casu &c.

Affirmative, cum onere tamen investiendi pecunias nomine hæreditatis Godignolæ.

Sess.25. cap.4. de Reform.

ROMANA LEGATI. De causa hac est *folium diei 15. Decembris 1759.*, in quo facti, ac quæstionum species latissime exhibetur. Rescriptum fuit *dilata, & proponatur citatis deputatis S. Hieronymi, aliisque interesse habentibus*, quod jam factum est. Causa proponitur denuo.

Comes *Gaudentius de Vvolchsthein* hæres fideicommissarius Catherinæ de Altemps, iis, quæ dixerat, addit non esse recipiendum in hac controversia, quod alias censuit Sacra Congregatio *in Firmana Legati die 28. Augusti 1756.*, in qua licet relicta fuissent scuta centum *taxative* pro fundo capellaniæ, cum onere duorum sacrorum qualibet hebdomada, attamen quia hæredes, loco tradendi legatam quantitatem, jugi, ac non brevi annorum spatio, præstiterant annua scuta duodecim, disputatis proinde dubiis

I. *An hæredes Ægidii Galassi, investiendo scuta centum liberentur ab onere præstandi scuta duodecim*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus reductioni missarum*, responsum est, *Negative ad utrumque*.

Reponit etenim dissimillimum esse casum illius quæstionis; quia ibi hæres ab initio, loco solvendi scuta centum, quæ *taxative* erant legata, se obligaverat per contractum ad eam præstandam annuam summam; ad cujus propterea summæ solutionem, voluntarie, non ex testamento, sed stipulatione expressa in posterum tenebatur.

De alia vero quæstione, an ademptum fuerit in codicillis primum legatum *ll. 20. mm.*, quod erat scriptum in testamento, vel potius auctum ex nova *ll. mm.* quantitate relicta, respondet testatricem non habuisse in hæreditate *ll.mm.46.*, ut patet ex facto. Rursus quod *ll.mm.*anno 1654. quo conditum est testamentum, reddebant annua scut.4. 50. pro quolibet, juxta reductionem factam ab Innocentio X.; anno vero 1676. quo conditi codicilli sunt, reddebant tantum annua scut.4. juxta aliam reductionem Alexandri VII. ut refert *Card. de Luc. de Loc. Mont. non vacabil. cap.3. num.15.*

Itaque notat, quod si voluntas testatricis circa quantitatem *ll. mm.* desumenda est ab annuis illorum fructibus, sive tempore testamenti, sive codicillorum tempore, clare sequitur eamdem testatricem assignasse sola *ll. mm. 30.* cum *tertio*, tum

tum pro celebrandis sacris, tum pro dotalibus subsidiis dandis; cum ea *ll.* in hac quantitate redderent tunc temporis annua scut. 121. 33., quæ exuberabant pro implemento duorum legatorum, quæ fecerat.

Præterea adjicit, quod utcumque latior admittenda esset interpretatio, hæc tamen extendi non posset ad *ll.46.* cum duobus *tertiis*, sed dumtaxat ad *ll.36.*, & *centes.66.*; ob eam nimirum rationem, quia legatum viginti *ll. mm.* relictum in testamento, intelligendum tantummodo erat distincte, scilicet de *ll. decem* pro sacris celebrandis, atque aliis decem pro dotibus, ut revera dictum fuit in ipsis *ll. mm.* litteris. Ac propterea si relictis pro sacris celebrandis *ll. decem* in testamento adsignatis, addantur alia *ll.20.* una cum tertia ipsorum parte, esse possent *ll.36.*, *& 66. centes.* tantum, quorum fructus non excederent annuam summam *scut.106.*; atque ideo necessariam semper esse reductionem onerum; cum ea quantitas, dempta necessaria impensa, ad ea implenda, quæ mandata sunt, satis non sit.

Præstat ante oculos habere verba testamenti, ac codicillorum. Testamenti hæc sunt. *Lascio alla ven. Congregazione di S.Girolamo della Carità ll.20. di monte a loro elezzione, purche siano non vacabili, alla quale volendo gli sia lecito, e possa il capitale, e prezzo di essi surrogarlo, & investirlo in censi, e beni stabili con pesi però, che de' frutti di essi detta ven. Congregazione siano obbligati pagare ogni anno scudi 40. moneta almeno ad un Sacerdote . . . . . , che celebri tutti i giorni della settimana . . . ., e con peso anco, che delli medesimi frutti debbano applicare altri scudi 40.annui ad effetto di monacare qualche povera zitella &c.* Secundum hæc verba videri certe posset quod ea *ll. mm. taxative* legata fuerint. Res datur certa, & designata, cujus tantum fructus in piam causam erogari debebant: fructus tunc temporis jam summam scutorum octoginta superabant; qui abundabant, commodo congregationis cedere debuissent.

In codicillis vero ita dixit: *Ricordevole io ancora aver nel detto testamento istituita una messa quotidiana perpetua d'essere celebrata nella chiesa della santissima Vergine di Presentazione del Gesù con la mercede di scudi 40. di Roma, a qual messa aggiungo per elemosina quattordici scudi annui per la celebrazione sudetta d'essergli pagati dalli miei eredi in perpetuo &c.*

Hic advertendum nullam in his codicillis haberi mentionem a testatrice, quod testamentum, aut quod præcedens legatum revocare intellexerit. Non revocato itaque priori legato, hoc eidem ipsi additamentum dedisse videri potest. Quod fortasse patet manifeste, quia summa adest legandi diversitas. In testamento etenim data erant *taxative* ll. mm., & quidem congregationi, quæ fructus impenderet pro sacris agendis, & pro dotibus. In codicillis autem injunctum est hæredibus absolute onus solvendi alia scut. quatuordecim pro

pro eleemosyna sacrorum augenda. Fructus ll. 20. mm. relictorum in testamento, imminuti jam tempore codicillorum, conflabant annua scuta octoginta, ex quibus quadraginta danda erant capellano a congregatione: huic testatrix solvenda jussit alia quatuordecim ab hæredibus; quod certe nullam variationem, vel diminutionem prioris legati importat, sed augmentum eleemosynæ, quam non a congregatione, sed a diversis personis, scilicet ab ipsis suis hæredibus præstandam jussit.

De dotibus vero in eisdem codicillis ita scripsit: *e perchè nel detto mio Testamento ho lasciato che si dia per elemosina ogni anno in perpetuo scudi* 40. *moneta di Roma in monacare una figlia ogni anno perpetuamente, ora mutando da detto Testamento questo legato per tenore delli presenti Codicilli, lascio, che detto legato s'accresca ad altri scudi quaranta dico* 40. *di Roma per monacare in tutto due figlie povere, sicche saranno* 80. *scudi ogni anno in perpetuo, ed a questo effetto lascio venti luoghi de' monti, & un terzo di essi venti luoghi.*

Secundum hæc verba non ademptum videri posset prius legatum, sed immutatum tantummodo quia pinguius factum: *detto legato s'accresca d'altri sc.*40. *, sicche saranno* 80. *ogni anno*. Præsertim, quia ubi prima *ll. mm. viginti*, videbantur stare *taxative*; hic nova alia viginti *demonstrative* videntur posita: *ed a uesto effetto lascio* 20. *ll. di monte, ed un terzo di essi* 20. *luoghi*,

Eo magis quia hæc *ll. mm.* congregationi non dantur;sed hujus augmenti præstatio hæredibus iniungitur. Priora in congregationis dominium transibant, & vendi poterant; minime hæc posteriora, quæ hæredes cum adiecto onere retinere debebant. Præcipue quia paullo infra, in sequenti codicillorum capite, de 15. *ll. mm.* in aliam piam causam, sed congregationi dandis, expresse, ubi voluit, verba fecit.

Neque obstaculum videretur facere, quod testatrix tot *ll. mm.* non reliquerit, de quibus testata est. Poterat ea fortasse habere dum codicillos fecit. Potuisset acquirere. Centum huic exceptioni occurrunt responsiones, quæ a iuristis dantur, dum agitur de re legata, quam testator non habebat.

Unice videretur obiiciendum, quod majorem *ll. mm.* quantitatem legavisset, quam necesse esset. Sed posito quod hæc nova quantitas stet *demonstrative*, hæres in *demonstrativis* addit de suo si minores sunt fructus, sibi retinet si majores sint.

De reliquo apertissimæ de his omnibus quæstionibus sunt apud DD. theoricæ. Præter cæteros, sive veteres, sive recentiores vidend. *Constantin. vot. decis.*243. *num.*3. *Marant. respons.*15. *num.*8. *Rosa consult.*51. *num.*4. *Card. de Luc. de legat. disc.*14. *num.*8. *resolut. S. Congregationis in Brixien. Reductionis Missarum* 1. *Decembris* 1681. *lib.*35. *decret. pag.*487. *in Roman. Dotis Cappellaniarum* 13. *Jun.* 1722. *lib.*72. *decret. pag.*271. *in Bn-*

Bononien. 14. Septembris ejusdem anni 1722. lib. 72. decr. pag.460.

Ea sane notissima sunt EE. PP., qui rem omnem integre animadversam definient. Dubia eadem sunt, quæ alias proposita fuerant

I. *An hæres fideicomissarius teneatur ad præstandum supplementum? & quatenus negative,*

II. *Quomodo sit providendum in casu &c.*

II. *Quomodo sit consulendum indemnitati hæredis fideicommissarii quoad dotes promissas, & nondum solutas in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II., & III. Provisum in primo, & amplius.

ASSISIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Videnda est causa ex *fol. diei 12. Maii* currentis anni.

Sess. 22. cap.6. de Reformat.

Sodalitium Assisiense tertii ordinis S. Francisci, cum publico magistratu, qui ad causam venerat, dilationem postulavit, quæ data est, ut nova monumenta pararet, quibus adiuvaretur petitio, atque obiecta omnia refutarentur.

Cumulat nunc non accidisse unquam, quod pauperes, vel puellæ aliquid ex eiusmodi legato habuerint. Cæterum sodalitium ipsum nuper decrevisse certam summam sc. trium quolibet anno pauperibus distribuendam, si voluntatis commutatio obtineatur: ideoque ipsis pauperibus ex commutatione aliquam utilitatem venire, quam adhuc habuerunt nullam. Multo magis quoties ipsa civitas, cujus civitatis pauperes essent, commutationem exoptat. De puellis autem, eas certas non esse, quæ a testatore speciatim contemplatæ dici debeant.

Ad hæc, assensum nunc præbere *PP. Reformatos., & Capucinos*, qui numquam antea habuerunt ex legato aliquid, nec postea se habituros sperant. Plura deinde exempla profert, ex quibus patet Sac. hanc Congregationem pluries indulsisse, ut iuvenes Assisienses legato potirentur, nec Perusiæ ad studia incumberent, vel laurea ornarentur. Propterea, illud, quod utilitati privatorum aliquando datum est, æquum esse nunc, ut perpetuæ utilitati publicæ concedatur.

Addit in hanc rem se de suo constituisse augmentum stipendii in annuis scut. viginti pro præceptore juris, ut ad docendum idoneus accersetur.

Considerandum esset num consensus, & modo, quo affertur pro *Reformatis, & Capucinis* sufficiat. Advertendum de dotibus puellarum nihil provideri. Litera testamenti præ oculis habenda est. Dubium est

An sit locus commutationi voluntatis Rosmi de Rosmis in casu &c.

Negative, & Episcopus incumbat executioni voluntatis.

Sess. 25. cap. 5. de Reformat.

COMEN. Clericus *Joseph* Stoppani ex *Valletellina* loco *Crosupto Comen. diæcesis* postulat, ut tria ecclesiastica beneficia familiaria, quæ possidet, aliudque simile, dum vacaverit, quæ Marcus Stoppanus avus fundavit, ipse retinere possit titulo administrationis, etiam in statu conjugii; donec aliquis suus filius capax fiat ea beneficia in titulum assequendi; recipiens se onera omnia interim impleturum. Petitionem impugnat *Joannes Baptista* fratris filius, ac fundatoris pronepos, nec non alii ejusdem familiæ, ex Marci fundatoris fratribus descendentes. Jussu SANCTISSIMI de ea re disputatio cognoscenda proponitur.

Allegat pro se *Joseph* facere jura omnia, quæ in similibus casibus afferri solent: suam paupertatem probatam esse ex testibus, & Episcopi affirmatione: descendentiam a fundatore avo certissimam: succurrendum esse descendenti inopi ex canonica benignitate *can. contra 26. §. Si vero, & can. quicumque 30. causa 16. quæst. 7. cap. Nobis de jurepatronat.*, & ex mente ipsa fundatorum, qui suos filios, vel nepotes egestate olim laboraturos non prævideruunt, neque ut laborarent permitterent modo.

Rem esse de jure patronatus *activo* laicali, & de *passivo* non sacerdotali, nec residentiam requirente; in quibus circumstantiis non deesse exempla ejusmodi dispensationum, sive ex Sacra Congregatione, ut in *Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731., sive ex *Dataria* Apostolica, cujus exemplum affert. Eos, qui contradicunt, duos esse ex fratribus fundatoris, non ab eo descendentes, alium vero *Joannem Baptistam*, fundatoris pronepotem; se nepotem ex filio, ideoque magis dilectum, ac præferendum. Temporariam hanc esse dispensationem, non perpetuam, quousque aliquis, qui ex contrahendo conjugio sibi adnascatur filius, capax fiat, qui certe aliis præferendus esset. Fundatorem ipsum ad ea beneficia obtinenda pueros ex sua familia etiam septennes admisisse. Demum inter ea recenseri beneficium nuncupatum *scholasticum*, ex ipsa lege fundationis etiam a laicis retinendum. Reliqua videnda sunt ex ejus scriptis.

Contra *Joannes Baptista* Stoppani fundatoris pronepos, aliique ejusdem familiæ ajunt agi de beneficiis ecclesiasticis erectis legitima auctoritate. Ad ea incapacem esse quemlibet laicum assequenda: retineri autem in statu conjugali exorbitare ab omni jure canonum: mali exempli esse, nec permittendum.

Præsertim quia legitime ipsi contradicunt, quorum summopere interest, ne permittatur. Agi de aliorum damno: se *Joannem Baptistam* testatoris pronepotem æque dilectum, ac vocatum, & cui saltem nulla ratione esset præferendus *Josephi* futurus filius, imo posthabendus certe, cui nunc hæc beneficia per summam injuriam reservarentur: alios de-

descendentes ex familia æque vocatos esse deficientibus primis, atque etiam descendentes ex fœminis, qui existunt. De *scholastico* verum esse quod a laicis retineri possit, sed verissimum alia ex parte jus auferri reliquis patronis, qui jus nominandi habent.

Impugnant paupertatem *Josephi*; vel saltem ajunt pauperiorem esse ipsum *Joannem Baptistam*, qui jus suum tuetur, & contradicit. Abhorruisse semper Sac. Congregationem ab his dispensationibus concedendis. Contrariam etiam esse mentem testatoris, qui expresse ait: *vuole, che quanti mai sia possibile della sua discendenza si faccino sacerdoti*.

Videnda sunt ex scriptis, quæ alternis in causa dicuntur. Fundationes beneficiorum, earumque leges inter monumenta causæ exhibentur.

Episcopus horum beneficiorum historiam retexit, ac *Josepho* favet impense: *Attentis miserimis circumstantiis, ne Orator, ejusque successores ad ecclesiasticum statum amplectendum, ut se alere valeant adigantur, de Apostolica benignitate indulgeri posse videtur, ut Orator ipse, ejusque descendentes per lineam rectam in statu etiam laicali existentes de beneficialibus redditibus uti, & frui possint, impletis missarum oneribus per idoneos substitutos, salva bonorum substantia savore beneficiorum, ita ut eadem linea masculina, & fœminina dicti Josephi extinctis, bona libere, & plene, juxta fundationum leges ad beneficia revertantur. Nullum porro detrimentum ex hac concessione familiis vocatis emerget, siquidem eædem familiæ in subsidiaria vocatione tantum recensentur*. Videnda ejus *relatio* est.

Joseph ipse ab hac prima, quam fecerat postulationem, cui adhæret Episcopus, consultissime recedendum existimavit; precesque majori animi moderatione nunc prosequitur.

Nulla est disputatio de potestate, ut indulgeatur beneficium retinendum a clerico etiam in statu conjugii *cap. Joannes de Cleric. conjugat.*, *ibique Gloss. verbo Ecclesiasticum*, *Joannes Andreas*, *Imola*, & alii, *Sanchez de matrimonio lib.* 7. *disputat.* 32. *num.* 18., *Hojera de incompatib. benefic. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 77., *Paris. de resignat. Benefic. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 28.

Perpendendum num ea summa egestas probata sit, de qua loquitur *glossa in canon. contra* 26. *causæ* 16. *quæst.* 7.

In *Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. fundator postulabat ipse; neque ullus exadverso extabat, qui contradiceret. Neminem extitisse ullum, qui contradiceret, patet ex literis ipsis Apostolicis *Datariæ*, quæ in exemplum trahuntur.

EE. PP. perdocte, ut solent, perpendent

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro gratia dispensationis, de quo agitur, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 7. & 9. de Regular.

LEODIEN. VISITATIONIS. Moniales nonnullæ hospitalis *Tungrensis Leodien. diœcesis*, reclamarunt contra Decanum capituli Leodien., contendentes de nullitate *visitationis* ab eodem cum suis deputatis peractæ *die* 29. *Julii* 1758., ac de nullitate electionis coram eo factæ *die* 22. *Decembris sequentis anni* 1759.

Plenissime in *fol. diei* 22. *Januarii* 1763. de hac causa disseritur, quæ eo die non proposita, in Congregatione *diei* 22. *Martii* ejusdem anni rescriptum habuit: *dilata, & reproponatur causa citato capitulo, eique præfixo termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione.*

Capitulum universum, quod exinde ad causam vocatum est, concorditer declaravit *se nullatenus immiscere velle liti desuper agitatæ inter Rev. D. Decanum, & quasdam moniales hospitalis.*

Decanus itaque nunc controversiam decidendam instaurat. Nihil prioribus scriptis additur, quod animadversionem mereatur. Otiosum idcirco esset de iis implere paginam. Quæritur

I. *An Decano Collegiatæ Beatæ Mariæ Virg. Tungren. competat jus visitandi conventum, & hospitale S. Jacobi d. loci cum canonicis sibi benevisis, seu potius visitatio diei* 22. *Julii* 1758. *sit circumscribenda, in casu &c.*

II. *An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissæ cum duobus canonicis ab eo assumendis, itaut electio diei* 22. *Decembris* 1759. *substineatur, in casu &c.*

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

SANTANDRIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Petrus Negretta Sierra* Hispanus *anno* 1749. in civitate Mexicana, ubi degebat, suo testamento legavit *cento venticinque mila pezze* PP. Societatis Jesu, qui collegium erigerent in loco *S. Bartholomæi de Aldea Cueba Vallis Carauzæ* in Hispaniis, adjuncto speciatim onere docendi *i primi rudimenti di leggere, scrivere, ed abaco, quanto altresì li studii di grammatica, filosofia, teologia morale, e scolastica.* Si vero collegium non erigeretur, *cento mila pezze* reliquit pro explendis sacris missionibus in Insulis Philippinis; reliqua sex mill. statuit pro erigenda capellania, dato jure patronatus descendentibus ex familia *Negretti*; octo mill. pro ludimagistro puerorum; quinque mill. pro augmento congruæ parochi loci *la Calera* ejusdem *Vallis Carauzæ*; sex mill. pro sacris celebrandis.

Præter hæc de aliis viginti quinque mill. jussit, quod erogarentur *a riedificare magnificamente, ed aumentare la chiesa parochiale di S. Bartolomeo del luogo di Aldea Cueba, ove io ricevetti la grazia battesimale &c. questa mia volontà, che avevo io, partecipai al Signor Paroco, ed altri vicini di detto*

to luogo, li quali mi risposero, che acconsentivano in ciò col rendermi le grazie, e coll'inviarmi nel tempo istesso la pianta, e modello della nuova chiesa assieme col calcolo fatto da un' Architetto, il quale giudicò, che la spesa potesse ascendere &c., e non più di dodici mila pezze.

Addiditque, quod in ea ecclesia erigeretur sacellum, *che sarà fatto per me, e per quelli del mio lignaggio colla sepoltura in detta cappella col doversi porre in questa una cancellata di ferro nel corpo della chiesa con una corrispondente iscrizzione.* Si quid autem ex legata summa superesset, impenderetur *per gli utensilj, vasi sagri, per l'oglio necessario per la lampada, che del continuo dovrà ardere innanzi al tabernacolo di detta parochia.*

Collegii erectio facta non est. Hinc populus, & parochus loci *Aldeæ Cueba* supplicarunt SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis de viginti quinque millibus legatis pro ecclesia, quæ non indiget *di esser riedificata, ne amplificata, ritrovandosi in buon'essere, e capace, e bastevole alli abitanti, così detta Communità, e Paroco ricorsero al loro Ordinario per la facoltà di potere investire la riferita somma di venti mila pezze in ipoteche sicure, che potessero produrre un fruttato, col quale potessero mantenere principalmente una scuola di grammatica tanto necessaria alla educazione, ed insegnamento della gioventù, mentre con ciò verrebbero in parte a conseguire il beneficio, che a favore de' suoi compatriotti desiderava il pio benefattore, ed in oltre per un' annuo sussidio dotale a due zitelle orfane, e povere di detto luogo. E parimenti poter mantenere due, o più figli dello stesso luogo nei studii in alcuna delle Università maggiori della Spagna, alla quale istanza condiscende il detto Ordinario, purche se ne riporti dalla S. V. l'opportuno Apostolico beneplacito.*

Rei cognitione ad Sacram Congregationem delata, de ea nunc agitur. Allegant in meliora, atque utiliora opera impendi summam relictam; dotem etenim puellarum respicere publicam utilitatem, ac summopere commendandum opus, *Card. de Luca de dot. discurs. 15. num. 2., Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 2. num. 6., & lib. 4. cap. 6. num. 1., & Rot. coram Cavaler. deci. 27. num. 4.*

Neque utilitatem minorem haberi ex studiis, quæ in aliqua publica universitate expleri poterunt; atque ex erectione scholæ in loco: ita instrui juvenes, atque illustrari loca ipsa, *cap. super specul. de magistris, Rota coram Crispo decis. 8. num. 12., in Cameriven. Collegii Studiorum 22 Julii 1713. §. 13. coram Figueroa.* Propterea ipsum Concilium Tridentinum statuisse, quod saltem magister esset, qui doceret grammaticam *sess. 5. cap. 1. de Reformat.*

Consentaneum id esse testatoris voluntati, qui collegium Societatis Jesu ibi erigendum constituit; & præcipue ut ibi studia celebrarentur. Præsertim, quia ecclesia neque re-

restauratione indiget, neque ut amplificetur necesse est.

Nullum præterea detrimentum oriri ex commutatione, sive jacturam, sive incommodum iis ipsis, quorum interest. Parochum, & populum id petere; testatoris autem familiæ integram relinqui erectionem sacelli cum familiari sepulcro.

Episcopus in eandem it sententiam: *& meam sententiam aperiendo justas, & urgentes eas judico, ad hoc ut testatoris voluntas commutetur, & prout rerum status exigit, ad opera pia a supplicantibus exposita viginti quinque millia scuta argentea hispanicæ monetæ, alias a testatore pro reædificatione parochialis legata divertantur, dummodo perprius ex ipsis quantitas deducatur necessaria ad reparationem existentis ecclesiæ parochialis dicti loci, & ad in ea construendam capellam cum sepulcro familiari ad mentem testatoris. De legato centum vigintiquinque millium scutorum dictæ monetæ pro fundatione collegii Societatis Jesu, ideo in precibus facta fuit mentio, ut voluntatem testatoris in utilitatem suorum compatriensium, & juvenum instructione eruendam dirigi appareret; sicque ad præsens supplicatio in his, quæ petuntur, menti, & intentioni præcitati testatoris aliquo modo conformis, & respondens ostenderetur.* Cætera ex scriptis habentur.

Ponderandum an, defuncto testatore, contra bonam fidem nunc videantur petere commutationem legati, postquam cum ipso vivente de extruenda, & amplificanda ecclesia concordissime egerunt; ejusque operis formam ei videndam, atque approbandam miserunt.

Advertendum, legem datã non implevisse Episcopum, audiendi scilicet eos, quorum intererat, quos tantum credidit esse communitatem, & parochum: *interesse habentes*, refert Episcopus. *tantumodo sunt commmunitas, & populus prædicti, qui quidem in commutatione præjudicium minime sentiunt, quin potius commodum ex ipsa reportant.*

Apparebat ex testamento extare in *Valle Caranzæ* consanguineos testatoris, extare alibi fabricæ peragendæ curatores datos, extare *executores testamentarios*, *procuratores*, *& fideicommissarios*, extare possessorem bonorum, & hæredem defuncti *Simonem Negretta Sains*; quibus non consentientibus, ac fortasse omnino ignorantibus, commutari petitur voluntas. Proponitur

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis Petri Negretta quoad legatum petiarum viginti quinque mille, in casu &c.

Die Sabbathi 18. *Augusti* 1764. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PRima ponitur causa, quæ paria in utramque partem EE. PP. suffragia habuit. Secunda, quæ ad hanc Congregationem omnino dilata est. Tres aliæ sunt, quæ ob temporis angustiam, in novissima Congregatione proponi non potuerunt.

MACERATEN. CAPELLANIÆ.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

I. *An capellanus pro tempore teneatur ministrare sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in ecclesia rurali prædii Cimarellæ in casu &c.*, & quatenus affirmative

II. *An sit locus reductioni, seu remissioni dicti oneris, in casu &c.*

Ad I. negative. Ad II. provisum in primo.

VERCELLEN. RESIDENTIÆ.

Sess. 21. cap. 3. de Reform.

I. *An Præpositus collegiatæ ecclesiæ oppidi Masserani teneatur ad residentiam uti canonici primæ erectionis*, & quatenus affirmative

II. *An tertia pars fructuum illius Præbendæ sit separanda, ac convertenda in distributiones quotidianas, in casu &c.*

Ad I. negative. Ad II. provisum in primo.

COMEN.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro gratia dispensationis, de qua agitur, in casu &c.

Negative, & amplius.

LEO-

Sess.25. cap.7. & 9. de Regular.

LEODIEN. VISITATIONIS.

I. *An Decano Collegiatæ Beatæ Mariæ Virginis Tungren. competat jus visitandi conventum, & hospitale S. Jacobi dicti loci cum canonicis sibi benevisis, seu potius visitatio diei 22. Julii 1758. sit circumscribenda, in casu &c.*

II. *An liceat eidem Decano assistere electioni Superiorissæ cum duobus canonicis ab eo assumendis, itaut electio diei 22. Decembris 1759. substineatur, in casu &c.*

Dilata, & servetur rescriptum diei 12. Martii 1763., & scribatur juxta instructionem. Ad II. provisum in primo.

Sess.23. cap.18. de Reform.

SANTANDRIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An, & quomodo sit consulendum SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis Petri Negretta quoad legatum petiarum viginti quinque mille, in casu &c.

Dilata.

Sess.25. cap.11. de Reform.

AUXIMANA VENDITIONIS BONORUM. De testamento *Francisci Corradini* pluries actum est in Sacra Congregatione. Primum cum petita est commutatio pene integra voluntatis, quæ rejecta fuit *die* 18. *Julii anni* 1761. Secundo cum saltem ex parte petita est, quam Sacra Congregatio *die* 12. *Junii* 1762. ex benignitate admisit, assignatis annuis *scut.* 120. *juveni studenti in Urbe, juxta ordinem vocationis prælaturæ, ad decennium*. Tertio cum hujusce assignationis postulabatur augmentum a Hieronymo Dittajuti, cujus preces respuendas censuit. De his agitur *in fol.* 27. *Junii* 1761, 12. *Junii* 1762., & 12. *Aprilis currentis anni*.

Controversia, de qua nunc disceptatur, est de venditione bonorum hæreditatis *Corradinæ*, quæ testator vendi jussit, ut inde *ll. mm.* in Urbe non *vacab.* acquirerentur; quorum fructus multiplicarentur commodo *prælaturæ* constituendæ. Quæritur, post exposita ab Episcopo venum bona, cui ex duobus oblatoribus adjudicanda sint, vel recusato utroque, an nova edicta pro iis vendendis sint proponenda.

E re

E re est, ut ante videatur quid de venditione testator præscripserit; quæ, & quibus de ea mandata dederit. Testator anno 1738. suæ voluntatis executores perpetuos pro tempore Auximanos Episcopos rogavit; legem autem de vendendis bonis ita dixit: *che dopo la mia morte si debba vendere tutta la mia eredità si de' stabili, che de' mobili di qualsisia sorte, ed il ritratto di detti mobili, e stabili abbia da rinvestirsi in tanti luoghi de monti non vacabili in Roma da intestarsi alla sudetta Prelatura Corradini, e rinvestito, che sarà detto prezzo in fine d'ogni anno s'abbiano da rinvestire anche li frutti di detto capitale parimente in luoghi de monti come sopra, e così ogni anno moltiplicarsi il capitale, fin tanto renderà l'annuo fruttato, che possa esser bastante, per un onesto trattamento d'un Prelato, e perchè ciò richiede l'assistenza di persona capace, ed abile non solo per l'esigenza de' frutti di detto capitale, ma anche per rinvestire li medemi frutti a tempo debito, supplico il Signor Cardinale Vescovo d'Osimo presente, & altri successori pro tempore di deputare in Roma a suo arbitrio una persona capace.*

Inferius vero de Episcopo loquens, ei facultatem dedit deputandi *un fedele amministratore di detta mia eredità*; subdens: *e perchè confido molto nella integrità delli Signori Francesco Dittajuti, e Francesco Paci, prego li medesimi assistere alla vendita de' mobili, e stabili, e procurare, che vengano venduti col maggior possibile vantaggio. Ed in caso, che li sudetti non volessero, o non potessero accettare detta deputazione, rimetto all'arbitrio dell'Emo Vescovo pro tempore di deputare un soggetto capace, ed abile per l'effetto sudetto.*

Mobilia jussu clar. mem. Cardinalis Lanfredini Episcopi distracta sunt. Reliqua bona, pro quibus tunc justum inventum non fuit pretium, utilius is servanda hæreditati censuit.

Hodiernus vero Episcopus pertæsus fortasse parum tranquillæ administrationis bonorum, quam gerere cogebatur, & querelarum, quæ a *Corradini* hæredibus in dies proferebantur, etiam ex auctoritate Sac. Congregationis ea *mense Julio* 1762. suo edicto venalia exposuit. Duo inventi sunt oblatores, *Joseph Brunetti*, qui *die* 24. *Julii* ejusdem anni obtulit scut.9000. *da pagarli in più rate, ogn'una sufficiente per la compra di un luogo di monte, ed intanto pagare li frutti recompensativi al tre per cento*; ac *Hieronymus Saracini*, qui *die* 6. *sequentis mensis*, oblatæ per Brunettum quantitati primum addidit pro vicesima sc.450., deinde *die* 19. *mensis ejusdem* alia sc.150. Post hæc Saracinus, num majorem aliam oblationem dare vellet, denunciavit Brunetto, qui *die* 18. *Octobris* ejusdem anni declaravit se quantitatem pretii augere nolle; medietatem autem ejus statim soluturum promisit: *di non voler crescere sopra la vigesima &c., nè meno per la detta somma, ma dichiaro, e mi protesto &c., che quando dal Signor Girolamo Saracini nel termine di un mese, o ad arbitrio del Giudice non abbia fatto l'istromento della compra de' beni*

 sta-

stabili, e mobili Corradini per li scudi 9600., che scudi 9909. da pagare la metà in denaro nell'atto dell'istromento, come penultimo oblatore.

De his itaque oblationibus altercatio est. Urget ante omnes Saracinus, & pro eo instat maxime Franciscus Dittajuti. Episcopus, sive promotor curiæ utramque oblationem uti damnosam respuendam, ac nova existimat apponenda edicta.

Saracinus, qui nunc etiam offert se integrum pretium viginti annorum spatio soluturum, allegat, se justum obtulisse pretium pro bonis, quæ judicio peritorum, ac Episcopi ipsius testimonio, nonnisi scut. 9306. valent. Nihil deperdere hæreditatem si pretium interjecta mora solvatur, dum interim fructus *recompensativi* scutorum trium pro quolibet centenario præstari debent, majores certe iis, qui ex *ll. mm.* statim comparandis haberentur. Securitatem non deficere, quia pendente solutione, ipsa bona pro securitate erunt. Se pingue patrimonium habere: paratum de reliquo esse ad præstandum idoneum fidejussorem. Desperandum esse, ut in civitate Auximana emptor inveniatur, qui omnem paratam pecuniam habeat, præbeatque. Hinc inutilia nova edicta; etiam injusta, & iniqua, ex quibus publica fides interciperetur, atque injuria excluderetur, qui jus certum ex empto ad bona habet.

Adjutor Saracini accedit Dittajuti, qui primo conqueritur de lite, quam promotor curiæ injuste agit pro libitu, & cujus sumptus ab hæreditate *Corradina* solvendos non esse censet. Deteriorem, ait, in dies bonorum conditionem fieri; fructus jam valde imminutos. Non modo utilem, sed necessariam, quantocitius fieri possit, venditionem. Præferendum vero esse Saracinum. Meliorem oblatorem nullo modo sperandum: ex tot annorum cursu, comprobari experientia ipsa nullum alium inventum, qui pretium tale offerret; ideo adhuc servata esse in hæreditate bona, quæ alias necessario vendi debuissent.

Brunettus sua declaratione contentus judicium Sacræ Congregationis expectat. Promotor autem curiæ, qui sub nomine Saracini ipsum Dittajuti latitantem suspicatur, neutram ex oblationibus recipiendam existimat pro bonis ad piam causam relictis, quæ non habita fide de pretio, sed præsenti pecunia vendi debent *Bartol. in leg. A Divo Pio ff. de re judic.*, *Bald. in leg. Incivile Cod. de rei vindic. num.* 4., *Rot. coram Duran. decis.* 205. *num.* 9.. Neque solutionem fructuum *recompensativorum* sufficere, ut censuit *Rota in eadem decis.* 105. *coram Durano*.

Præterea promotor adjicit multa incommoda Episcopis perpetuis administratoribus hinc venire; multa detrimenta hæreditati ob acquisitiones ex fructibus pro intervallis, & mi-

minutatim faciendas : dispendia fortasse litium contra morosum debitorem, vel fructuum, vel sortis quolibet anno : salarium duplicis administratoris, & Auximi, & in Urbe : oblatores possibile esse, ut inveniantur in diviti, & opulenta civitate. Ex ejus scriptis cætera inspicienda sunt.

Videnda est *relatio* Episcopi, qui nova edicta promulganda esse existimat, additque : *& quidem nisi fiat universorum bonorum venditio, vel numerata pecunia, vel saltem ejus parte infra brevem terminum numeranda, illud etiam ex actibus Apostolorum usurpare possem, æquum non esse Episcopum exequutorem temporalibus hujusmodi rebus ministrare, quem scilicet oportet ministerio verbi instantem esse.*

Hæc vero edicta fuerant : *dovendosi dare esecuzione alla volontà del fu Francesco Corradini &c., però si fa sapere a tutti quelli, li quali volessero attendere alla compra degl'infrascritti beni &c., che nel termine di giorni dieci dall' affissione di questo debbano aver date le loro offerte in questa Cancellaria Vescovile, poichè spirato detto termine, e riconosciutosi il prezzo giusto, e vantaggioso coll'assistenza &c, si delibereranno alli respettivi maggiori, e migliori oblatori &c., e fattane relazione, si procederà alla stipolazione degl'istromenti di vendita.*

Ponderandum esset, an uni ex duobus vera venditio facta intelligatur, ita ut disceptatio esset ad terminos *textus in leg. necesse est* 8. *de addictione in diem*. Ponderandum an hæc bona, quæ ideo vendi debent, ut inde fundus certus pro *prælatura* comparetur, nunc ecclesiastica dici vere possint, ac proinde favorem habere valeant addictionis; contra vero obnoxia idcirco majori oblatori remanserint. Ponderandum an jure publico, quo fiscus, & ecclesia gaudet, edicta hæc solemnis licitationis proposita fuerint; & quid juris certi quæsiverint sibi oblatores ex edictis, quibus nulla expressa promissio facta est, imo reservatum expresse erat venditori jus cognoscendi quid sua magis interesset post datas oblationes. Videndi sunt interpretes, & præcipue *Bartol. in leg. Licitatio* 9. *num*.4. *ff. de public.*, *& in leg. Si tempus* 4. *n*.3. *Cod. de fide instrumentorum*, *& jure hastæ fiscal. lib*.10., *Asin. de execut.* §.6. *cap*.1. *num*.23., *Rota in Romana affictus* 9. *Junii* 1759. §. *coram Emo Molino*, *Cæsenaten. Prælationis* 26. *Junii* 1752. *coram Cortada*, *& in Romana affictus* 22. *Junii* 1761. *coram Herrer.*

Ponderandum denique, num quocunque in casu, jus ullum acquirere potuerint, qui præsentem pecuniam non obtulerunt, ut ita cogant venditorem ad tradendum bona sua *habita fide de pretio*, quod non præsumitur illum voluisse : ac propterea nullus ex parte venditoris consensus allegari possit, ex quo contractus, ut DD. ajunt, in ipsa oblatione majori, per utriusque consensum illico perfectus sit.

EE. PP. sua doctrina perpendent omnia, ac quid expediat dijudicabunt. Quæritur

An, & ad cujus favorem sit facienda venditio bonorum Francisci Corradini, sive potius sint renovanda edicta pro illorum deliberatione, in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 24. cap. 1. de Reformat.

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Angela Eleonora Moroni* Firmana, anno 1724. ex fructibus hæreditariis suorum censuum dotes *monasticas* reliquit primum sex nominatis familiis, deinde aliis tribus, ac demum puellis omnibus, quæ iis dotibus indigerent ex nobilitate Firmana. San. mem. *Benedictus XIII.* indulsit, ut non extantibus puellis, quæ vitam cælibem in claustris optarent, pecunia, quæ ex fructibus inutiliter deposita reperiretur, erogari ad ratam scut. *quingent.* posset pro dote puellarum, quæ nuberent, juxta ordinem vocationis.

Francisca filia *Antonii Grassi* una ex familiis primo vocatis, secundum legem chirographi, anno 1756. assignationem dotis pro nuptiis contrahendis cum *Dominica Racamadori* ad eam ratam obtinuit. Sequenti anno Thecla Ruffo, ex familiis tertio ordine vocatis, dotem *monasticam* secundum legem testamenti petiit. Pecuniæ hæreditariæ non extabant. Instituta itaque quæstione super utriusque puellæ petitione, Sacra Congregatio *die* 28. *Februarii* 1761. rem utique confusam, atque implicatam respiciens, consultissime rescripsit ad utrumque propositum dubium *dilata*, *& Archiepiscopus mandet confici statum juxta instructionem*. Imperio Sacræ Congregationis paritum est. Status hæreditarius pervenit. Pro se instat nunc Francisca Grassi; Thecla Ruffo alia puella adhuc non comparente.

Videndum omnino ante omnia est *folium* illius diei, in quo fuse de facti specie, & de rationibus hinc inde dubitandi habetur.

Francisca nihil opponit Theclæ, quominus, post se tamen, subsidium habeat. De se autem ea iterat, quæ ex præteritis scriptis hic inutili labore repeterentur. Addit vero ex statu hæreditatis nuper transmisso apparere, quod superextat pro suo subsidio summa pecuniæ, quæ satis est, etiamsi sarcienda sint antea ea damna, quæ vel debitorum inopia, vel præcedentium administratorum inertia intulit hæreditati. Saltem mandari posse, ut postea, sibi ante alias subsidium detur. Promissum fuisse octavo jam ab anno: sub ea

pro-

promissione inivisse nuptias : æquum esse, ut tandem neque ipsa, nec maritus sua spe eludantur.

Vicarius Apostolicus Firmanus, dum statum hæreditatis transmisit, addidit : *cum ex eadem status firmatione liqueat census, qua debitorum inopia, qua exequutorum ineptia deperditos summam scutorum septingentorum circiter attingere, jure in dicto supplici libello EE. VV. nomine primogenitorum oblato petitur, ut primo capitale ipsius pii relicti annuis illius fructibus in pristinum sui statum reducatur. Æquitas vero omnis suadet, ut hæreditatis asse in integrum, ut supra, restituto, subsidia dotalia, quæ dicta Eleonora certi generis puellis reliquit, antea solvantur iis, quæ jam vel matrimonium carnale, vel spirituale sub spe, & effectiva eorum promissione iniverunt, puellæ nempe Maria Cordella, Anna Ruffo, & Francisca Grassi, ne contrahentes, qua contraxerunt, bona fide fraudentur.* Multa deinde adjicit, quæ præsentem hanc quæstionem non respiciunt.

De Francisca Grassi advertendum est, quod preces a primogenitis familiarum primo, & secundo loco vocatarum, Pontifici oblatæ anno 1728. clare habebant : *che occorrendo il più delle volte come in niuna di dette famiglie nominate, e respettivamente chiamate vi siano zitelle, essi supplicanti per adempire in ogni possibil modo la distribuzione di detta dote, atteso che li frutti, e rendite de' capitali ereditarii a tal fine destinati si trovano infruttuosamente depositati &c.*. Pontifex vero clarissime dixit : *Concediamo facoltà in tutti i casi, ne' quali nelle di loro stesse, e proprie famiglie, e discendenze, o nelle tre famiglie di Ludovico Evangelista, o Marino Catalani, e M. Federico Nobili, e loro primogeniti in infinito capaci per una sol vota per ciascuna discendenza di detta dote, o in tutte le altre famiglie di case nobili povere, e miserabili di detta città di Fermo, precedendo però rispetto a queste le publiche notificazioni da affigersi per un mese prima, e registrarsi negli atti della Curia Arcivescovile non vi fosse alcuna zitella, che volesse farsi monaca in uno de' Monisteri di detta città, o sua diocesi, e goder la dote monastica ordinaria dalla sudetta Moroni testatrice, e non altrimente, nè in altri casi di poter liberamente convertire in perpetuo la somma di scudi 500. di dette rendite, che in tali casi, e tempi si troveranno depositate, o maturate anche in assegnare la dote temporale alle zitelle figlie tanto descendenti dalle prime sei famiglie di essi supplicanti, quanto dalle tre famiglie sudette in secondo luogo chiamate, quanto anche da tutte l'altre famiglie nobili povere, e miserabili di detta città in terzo luogo considerate dalla testatrice, servando però sempre l'ordine prelativo, e successivo : ed altre cautele prescritte dalla medesima nel sopraccennato suo testamento, e non in altra forma.*

Ponderandum itaque esset, num ex hac lege, quæ unice super pecuniis depositis, & sine fructu inutiliter existentibus, testamento derogat, posset, jam non extante deposito, fieri promissio pecuniarum, quæ deinde ex iis fructibus per-

percipiendæ erant, & quidem in aliam causam, præter quam quod testatrix mandaverat.

Ponderandum, num etsi Thecla Ruffo infra terminum mensis non comparuerit, attamen jus amiserit, quod ex testamento habet ad consequendam dotem *monasticam* ex primis venturis fructibus. Potissimum quia petiit dum pecuniæ pro Francisca neque solutæ erant, imo dum neque adhuc extabant.

De ipsa Thecla autem considerandum an officiat, quod testatrix de puellis secundo ordine vocatis jussit unam tantum in qualibet generatione admittendam: *di modo tale, altro, che una figlia solamente di ciascuna delle sudette casate d'ogni primogenito possa avere il luogo di monacarsi, e non altre*. De tertio vero genere, in quo est Thecla hoc ipsum videtur voluisse: *colla costituzione di dote, e proibizione, come sopra si è detto delle prime chiamate*. Constat autem Annam Ruffo sororem admissam fuisse. Contra non desunt aliæ ex electis familiis, quæ dum pecuniæ erunt, ætatem ad petendam, & consequendam dotem *monasticam* idoneam habebunt.

Neque prætermittendum, testatricem existimavisse, quod tempore dotis dandæ adessent paratæ pecuniæ hæreditariæ: *tutti i frutti si eroghino in benefizio, e dotazione della pura, e semplice dote ordinaria spirituale per il detto primo sborso, e resta dei noviziato solamente*. Non levis autem esset quæstio juris, num præverti tempora possint, atque in antecessum promitti, quod alterius puellæ comodo cessurum esset, si dum pecuniæ superveniunt, iis quæ nunc promissionem obtinent, aliunde provisum esset, atque hoc subsidio non indigerent. Proponuntur dubia eadem

I. *An sit locus favore Theclæ Ruffo assequutioni subsidii dotalis pro ejus monachatione juxta mentem Eleonoræ Moroni, in casu &c.*

II. *An, & quo tempore sit locus assequutioni ejusdem subsidii dotalis, juxta chirographum san. mem. Benedicti XIII. pro conjugio temporali inito a Francisca Grassi Raccamadori, in casu &c.*

Dilata, & firmetur status juxta instructionem,

Sess. 24. cap. 13. de Reformat.

FAVENTINA. Ambigua, undecim complectens capita, acta fuerat lis inter capitulum, & parochos Faventinos de juribus honorificis, ac de emolumentis funerum. Videndum est *fol. diei 21. Aprilis 1761*. Controversia omnis transactione perempta est. Capitulum postea in partiendis expensis, inter litis consortes comprehendit archipresbyterum, qui

qui tertia est cathedralis dignitas. Suam conferre partem nunc recusat archipresbyter *Joannes Boschi*, qui ad bonam fidem pertinere existimat, ut suam dignitatem tueatur, atque integram, solutamque ab hoc onere successoribus servet, quam integram, atque immunem habuisse ait. Hinc de nova hac quæstione agitur.

Ait capitulum, præcedentem litem respexisse non minus commune decus, quam utilitatem, & lucrum omnium. Suo juramento teneri archipresbyterum ad tuenda ecclesiæ jura, quod volens promisit, dum dignitatem accepit. Frustra autem opponi illum non esse e capituli corpore; nam quidquid jure comuni dicendum esset; tamen contrarium obtinet ex generali totius Italiæ usu, Patere id evidentius ex ipsis Apostolicis literis, quibus *anno* 1647. hæc tertia dignitas in capitulum Faventinum illata est, in quibus & certa sedes in choro, & jus suffragii inter cæteros archipresbytero datur. Injuriam esse eodem honore uti velle, quo reliqui; de eorum rebus cognoscere, ac jure suffragii judicium dare; indignari autem, ut cæteris accenseatur *Rot. decis.98. num.1. coram Seraph., & dec.173.num.8. coram Cerro.*

Neque aliquid facere, quod archipresbyter de distributionibus partem non habeat. Nihil ab ipso initio in commune ærarium contulisse archipresbyteros, nihil proinde ab alieno peculio detrahere posse. Quemadmodum neque constare de contrario usu. Numquam venisse similem casum: ante actas lites fuisse de communi *massa*, cum qua nihil archipresbyteri commune habent; justumque proinde erat, ut nihil de suo pro alienis lucris conferrent. Cumulum denique his rationibus addit, quod in controversia, quæ actitata nuperrime est, agebatur non minus de honore, atque excellentia ipsius capituli, intra quod archipresbyter certe est, sed de ipsius archipresbyteri quæstu, qui funerum emolumenta cum aliis percipit.

Contra archipresbyter objicit litem actam cum parochis nihil ad se pertinere: se erga capituli corpus extraneum esse; nullius cum capitulo emolumenti participem: non jure propterea cogi posse ad contribuendas expensas pro aliorum commodo, atque utilitatibus factas *Sacra Congregatio in Trojana servitii* 23. *Junii* 1742.

Propugnat dignitates non annumerari canonicis, qui soli capitulum constituunt *Fagnan. in cap. nullus de erect. num.*43. *Rot. cor. Martin. Andr. decis.* 36. *num.* 4. Duas iccirco receptas esse dignitatum species, alias, quæ in ipso capitulo sunt, ac canonicos solo gradu præcellunt, de quibus loquitur *Conc. Trident. cap. 3. sess. 21. Reformat.*, alias vero a capitulo prorsus separatas, de quibus idem *Tridentinum* agit *cap. 3. sess.22., Fagnan. in cap. Quia nonnulli 3. de Clericis non residen.*

Appa-

Apparere ait hæc omnia ex ipsis literis erectionis: *in d. Ecclesia ultra Præposituram, & Archidiaconatum in ea existentes, etiam unum Archipresbiteratum, qui inibi tertia dignitas existat, pro uno Clerico, seu Presbytero sæculari futuro ipsius Ecclesiæ Archipresbytero, qui immediate post Pæpositum, & Archidiaconum, & ante omnes canonicos dictæ ecclesiæ stallum in choro, & locum, & vocem in capitulo ejusdem Ecclesiæ, ac processionibus, & aliis locis, actibus, functionibus capitularibus publicis, & privatis habeat, & obtineat &c., nec cogi, aut compelli possit ad ullam residentiam, seu interessentiam divinis officiis in choro, & ecclesia prædicta, nisi ad illam, quæ sibi placuerit, itaut residere, vel non residere sit libero, & absoluto ejus arbitrio.*

Sibi itaque liberum omnino relictum esse, ut non resideret; neque consensum capituli in erectione requisitum fuisse. Suum sibi a fundatore attributum peculium. Agnovisse hæc omnia capitulum ipsum, quod anno 1654. paulo post erectionem, a jure suffragii archipresbyterum excludendum petiit in hac ipsa Sac.Congregatione, cui duo proposuit decidenda dubia:

An Archipresbyter, qui in bulla erectionis excluditur a participatione distributionum quotidianarum, & aliorum emolumentorum ad manus Camerarii Capitularis pervenientium, debeat habere votum in Capitulo quando ad istorum interesse, & Massæ Capitularis tantummodo tractatur.

An idem Archipresbyter ut supra exclusus a participatione distributionum, & emolumentorum possit participare de eleemosinis, quæ dantur Capitulo pro funeralibus, & anniversariis occasione funeralium, quæ inter præsentes participantes distribuuntur: quibus responsum est *die 12. Decembris 1654. ad I. Archipresbyterum vocem habere debere etiam in* Capitulis *supra expressis. Ad II. Archipresbyternm participare non debere de his, quæ perveniunt ad manus Camerarii, ex quibus diminueretur portio aliorum Canonicorum, secus vero in aliis.*

Addit quod anno 1719. novam archipresbytero controversiam fecit de non celebrando sacro festis diebus solemnibus, dum aliæ duæ dignitates id non præstarent; in qua controversia capituli ratio steterat, quod de suo non esset corpore archipresbyter. De cœtero de jure esse, quod dignitates alios canonicos præeant. Sedem in capitulo, ac vocem suffragii non ex facto, seu consensu capituli, sed ab ipsa fundatione ex Pontificia lege, ac beneficio archipresbyteros obtinuisse.

Quod vero habeat emolumenta funerum, pertinere ad laborem; eaque non a capitulo, sed ab hæredibus defunctorum præstari. Juramentum denique non augere obligationem præter jus. Deinde novum esse, ut ad præstandas expensas cogantur, qui eas per centum, & septendecim annos numquam præstiterunt. Reliqua ex scriptis habentur. Expectandæ autem capituli responsiones sunt.

Epi-

Episcopus in utramque partem differit, de suo nihil addit. Videnda ejus plenissima *relatio* est.

Prima inspectio in facto est. Videndum num, & quanti interesset archipresbyteri, ut antecedens lis fieret de capituli excellentia, & prestantia erga parochos, de ecclesiæ cathedralis dignitate, ac de emolumentis funerum, quæ in dubium venerant.

Deinde non levis controversia juris est, an qui mandatum non dedit, etsi utilitatem ex lite perceperit, teneatur ad præstandos litis sumptus, si idcirco amplius erogatum non est, quod ipsius quoque causa defensa sit. Scevola ait: *Ex parte hæres institutus causam de totis bonis, quam omnes hæredes patiebantur ob inultam mortem suscepit, & obtinuit. Cohæres partem suam ab eo petebat, nec partem sumptuum factorum in litem præstare volebat. Quæsitum est an doli exceptio noceret? Respondi, si idcirco amplius erogatum esset, quod ipsius quoque causa defensa esset, habendam rationem sumptuum. Sed etsi omiserit doli exceptionem, agere posse de recipienda portione sumptuum. l.40. fam. ercisc.*

Videndum quid DD. dixerint ex equitate canonica, & in quibus circumstantiis *Bart. in leg. Si non sortem §. Si certum ff. de condit. indebiti. Rota decis.43. num.1. post Zacch. de Salario, decis.374. coram Dunozett. jun., decis.348. num. 8. & 9. coram Cerro, & decis.333. num.13. coram Ansaldo.*

Videndum quid dictum fuerit dum agebatur de lite acta pro juribus, & excellentia unius ex dignitatibus *Rota coram Ludovis. decis. 263. num. 8., in Adden. coram Caprar. decis.702 num.5., & coram Zelada in Sorana Reintegrationis 5. Julii 1762. §. Quatenus.*

Quid sit censendum EE. PP. sua juris scientia viderint. Dubitatur

An Archipresbyter teneatur concurrere ad expensas litis, & pro qua rata, in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

SPIREN. CANONICATUS. Curia Spirensis anno 1762. privavit *Joannem Baptistam Durass* canonicatu, quem in ecclesia *S. Guidonis* pene viginti annos habuerat, *uti de variis delictis Carnis, & de concubinatu, & supina negligentia in requentando Choro, & Officiis Divinis convictum, confessatum, incorregibilem, reum*. Ne vero mendicaret, ac ut se emendaret, locum eidem in *seminario* episcopali dedit.

Sess. 4. cap. 18. de Reformat.

Curia Moguntina, quam apellavit *Durass*, Spirensem sententiam reformavit: *loco privationis perpetuæ Canonicatus, &* præ-

præbendæ properè nimis decretæ ſecundum præſcriptum Sacri Concil. Tridentini ſeſſ.25. de reformat. cap.14. pro ſecunda monitione tertia parte fructuum præbendalium ad mentem prædicti Concilii applicandarum privandum. Cæterum vero præviis exercitiis ſpiritualibus per quatuordecim dies in Monaſterio quodam huiate peragandis conſortio Canonicorum Eccleſiæ S. Guidonis aſſociando.

Inſtante promotore fiſcali Spirenſi de utriuſque ſententiæ juſtitia in Sac. Congregatione nunc eſt cognoſcendum. Allegat promotor obfirmatum, perſeverantem, ac pertinacem in vitiis canonicum ab anno 1742.. Socordem, ac negligentem; continuam ejus abſentiam a choro, perpetuam libidinem; ad monitiones obſurduiſſe, caſtigationes ipſas deſpexiſſe; obduruiſſe ſemper: omnia tentata fuiſſe antea: nullo alio modo caſtigabilem fuiſſe, niſi demum privatione beneficii, uti factum eſt.

Addit quæſtionem non eſſe an id jure ſit cautum. Nullam eſſe quæſtionem de delictis canonici. Unice reprehendi curiam Spirenſem, quod præpropere, ac non ordinate ſe geſſerit, monitiones, quas Concilium præſcribit, non fecerit, & pœnas gradatim non inflixerit. Propugnat omnia acta eſſe: ea enumerat, ſcilicet anno 1744. comminatam fuiſſe pœnam, ut *toties quoties a choro emaneat non ſolum præſumſit, ſed etiam pro rata corpus Præbendæ ipſo facto perdere debeat*; graviorem exinde, *ut præter ordinariam detractionem, & ult. a penam additatam de unoquoque tali munere adhuc decem floreni de ſua competentia detrahantur*: anno 1750. ſubtractos fuiſſe omnes reditus *excepta congrua*: anno 1755. edictum fuiſſe, quod *pro ſingulis diebus, quibus ſine cauſa ex choro emanſurus eſt exercitia in pane, & aqua in noſtro Seminario faciat*.

Affirmat itidem, reditus ſumma juſtitia erogandos fuiſſe in dimittendo ære alieno: providam fuiſſe eam applicationem, quæ prudenti arbitrio Epiſcopi relicta eſt *Garz. de Benefic.par.3. cap.2. num.150. Barboſ. in Concil. ſeſs.25. cap.14. de Reformat. num.15.*

De reliquo Concilium loqui de canonico per triennium tantummodo negligente, non vero ultra; quo caſu poſſe procedi ad privationem omiſſis pœnarum gradibus *de Nigr. in tract. de vacat. Benefic. lib.2. cap.6. num.42. Rot. in Potentina Canonicatus 9. Maii 1746. cor. Emo Buſſio*. Hoc idem ſtatutum eſſe de notoria laſcivia *Encell. in Ius Canon. lib.3. tit.2. de cohabitatione Cleric. num.6. Fagnan. in cap. pervenit de Teſtibus num.20.*

Pro eo autem, quod attinet alteram ſententiæ partem, nempe ut in *ſeminario* epiſcopali detineatur, donec perſeverantis emendationis argumenta præbeat, id conſentaneum eſſe canonicæ diſciplinæ. Agi de homine perdito, qui etiam poſt ſententiam a *ſeminario* fugit, ac in vetera vitia delapſus

psus est. Præter scripta promotoris, Eminentissimus Episcopus relationem addit: *Quare totius causæ a mea Curia Episcopali actitatæ, & nunc ad S. Congregationem per appellationem Promothoris Fiscalis devolutæ decisionem alto EE. VV. judicio unice relinquendo, animi mei sensus, & petitio eo tantum dirigitur, ut EE. PP. benigne consideratis omnibus loci, & personæ adeo famigeratæ circumstantiis ipsum ad reditum in Seminarium Episcopale meum quibusvis remediis necessariis, & opportunis compellant, ut eo citius exactiones pecuniarum a Judicio Metropolitico inique prætensarum sistantur, ei vero extravagandi pro more suo incorrigibili adimatur occasio scandalum publicum tollatur, benignè omnes per debitam Clerici hujus correctionem ædificentur, & in bona opinione venerationeque erga totum reliquum Clerum conserventur.*

Rei defensor allegat ob illius paupertatem, ac miseriam monumenta ad defensionem necessariam adhuc non habuisse. Sed videnda est *relatio Officialis* Moguntini, qui de justitia Moguntinæ sententiæ plura differit; atque adiicit: *melius esse nemo non judicabit si mores, & vitam emendatam, de quibus Clericus bonæ famæ; apud quam Canonicus Durass hic Moguntiæ durante processu hospitium, & victum habuit, abunde testatur, exhibeat coram publico etiam accatolico, quod per vitam Clerico indignam antea scandalizavit.*

De delictis canonici dubitari nequit; quemadmodum nec de pœna, quod jure danda esset. Inspectio unica est de ordine judicii non servato.

Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 14. *de Reformat.*, hæc habet: *Prohibet S. Synodus quibuscumque Clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis a SS. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicantur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fæmina perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, & proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quod Ordinarius uti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabit, impendantur, & si ita suspensi nihilominus ut non expellant, aut cum iis etiam versentur cum beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo puniretur.*

Probatur certe sacerdotem *Durass* pluries fuisse monitum, privatum etiam nonnumquam reditibus. Considerandum quid faciat non fuisse servatam præscriptam methodum, nempe primo detractam tertiam partem, deinde integram fructuum quantitatem; non fuisse antea suspensum, ut de-

mum beneficio recte, atque ordine privaretur. Videndi sunt *Diaz in pract. cap.73. Var. §. Fornicatio num.9. Guid. Pap. decis.518. Hyeron. de Mont. Ver. jun. quæst.18. num.48. Menoch. de arbitr. carcer.418. Valasc. tom.1. alleg.34. num.18. Farinac. cons.10. num.63. tom.1.*

Ad rem faciunt resolutiones Sac. Congregationis *in Novarien. permutationis Parochiæ 6. Octobris 1703. quam refert Fargn. de Jurepatron. part.2. canon.21. res.9.* Disputatur

I. *An substineatur privatio Jacobi Durass. de Canonicatu in casu &c.*

II. *An eidem assignandum sit Seminarium Episcopale usque ad emendationem in casu &c.*

Die Sabbathi 15. Septembris 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX novem causis, quæ describuntur, duæ tantum ex præterita Congregatione sunt, in qua propositæ non fuerunt.

FAVENTINA.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

An Archipresbyter teneatur concurrere ad expensas litis, & pro qua rata, in casu &c.

Affirmative pro rata aliarum dignitatum, & amplius.

SPIREN, CANONICATUS.

Sess. 4. cap. 18. de Reform.

I. *An substineatur privatio Jacobi Durass de Canonicatu, in casu &c.*

II. *An eidem assignandum sit Seminarium Episcopale usque ad emendationem, in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

MELEVITANA. *Joseph Agius*, qui ab ecclesia parochiali S. Philippi de Argilione in oppido *Zebbug*, pro qua cum aliis ad concursum iverat, ab Episcopo Melitensi exclusus fuerat, literas Apostolicas pro se impetravit contra *Felicem Borgh* ab Episcopo electum.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

Propterea de concursu nullo, de non recta examinatorum relatione, & non recto judicio Episcopi disputavit *die 2. Junii* currentis anni, atque arridentem sibi fortunam expertus est. Duo etenim capita quæstionis erant: I. *An constet de nullitate concursus, itaut literæ apostolicæ sint exequendæ*, & quatenus negative II. *An constet de mala relatione Examinatorum, & respective de irrationabili judicio episcopi*. Respon-

ponsum est, ad I. *Affirmative in omnibus*, *& amplius*, ad II. *Provisum in primo*. In *folio diei* 14. *Aprilis* latissime de causa habetur.

Non contentus *Borgh* ita ecclesiæ, quam jam retinebat, possessione expoliari, lapidem omnem movit, ut denuo audiretur. Eminentissimus Præfectus petitionem ad ipsam S.Congregationem esse deferendam existimavit. *Die* 23. *Junii* ex novis, quæ a *Borgh* proferebantur monumentis, Sac.Congregatio erga eum consueta benignitate usa est; atque indulsit, ut iterum suam causam diceret, de qua nunc disceptatur.

Certat *Borgh* per injuriam accusari concursum de *nullitate*. Profert testimonium ipsius Episcopi, Vicarii generalis, quatuor examinatorum, aliorumque, quibus probat se e conclavi non discessisse, nisi traditis scriptis: idipsum gessisse omnes, qui ad concursum venerant.

Præterea eumdem ipsum assignatum fuisse omnibus explicandum textum; uti ex affirmatione ejusdem Vicarii generalis, examinatorum synodalium, ac cancellarii certum esse ait: *furono assegnate a' concorrenti le medesime questioni, e presentato a' medesimi il libro de' sacrosanti Evangelj, fu assegnato a tutti per la composizione della conciuncula il Vangelo stesso in quel giorno corrente, in cui si celebrava la feria seconda delle rogazioni*.

Hanc esse praxim, quæ retinetur in Urbe, de qua testimonium exhibet: concurrentes ipsos ex eo textu, ut non raro accidit, diversa verba excerpsisse ad concionem. Id fieri consuevisse semper. Id licitum, ac legitimum esse, imo optime factum, ut hinc melius competitorum doctrina, ac prudentia in seligendo, atque explicando sermone cognoscatur. Affert demum duo simillima edicta *annorum* 1754. & 1763.; multaque addit, quæ ex ejus scriptis videri possunt.

Agius vero denuo plurima in scripta congerit ad suam defendendam causam, quæ longissimum esset exscribere, nec porro necessarium.

Considerandum num causa, præter alia, quæ præcipua erant *nullitatis* capita, ex novis monumentis suam mutarit naturam. Nimirum de textu non eodem omnibus, ut dicebatur, dato: de concursu non uno tempore habito; & de examinatoribus non legitimis.

Ad tempus quod attinet, ponderandum, an etsi acciderit, quod omnes e conclavi non exierint, attamen concursus ex ipso edicto nullus dicendus sit, in quo omnes, etiam diverso tempore admittendi, invitabantur: *quos sic describendos ex nunc pro tunc citamus, atque requirimus, ipsisque indicimus, & insinuamus, quatenus transacto constituto termino dictorum decem dierum omnes, & singuli sic descripti die lunæ, quæ erit* 17. *currentis mensis Maji hora octava de mane, & secun-*

da

da post meridiem conveniant in dicto nostro Palatio Episcopali Civitatis Vallettæ ad se subjiciendum examini per Concursum habendo coram Nobis, & Examinatoribus Synodalibus, ut ex jis, quos confecto examine, ætate, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad curæ animarum bene gerendæ rationem opportunis idoneos esse compertum erit. Nos quem cæteris magis idoneum censuerimus ad præscriptum d. Sac. Concil. Trident. illum in Ecclesiæ vacantis Rectorem, Parochumque eligemus, & præficiemus.

De examinatoribus vero, dubium non videretur esse eorum durationem saltem incipere ad annum ab ipsa electione, quæ cum consensu capituli fiat. Literæ *facultatis*, quæ Episcopis dantur, expresse habent, *impertiuntur facultatem eligendi de consensu Capituli Examinatores Synodales ad annum duraturos*, ex quibus patet præfixum anni terminum durationi electorum appositum, qui alias integrum annum non perdurarent. Dubium tamen esset an possint Episcopi, post acceptas literas, ea facultate tempore, quo lubet, uti; ne ita eludatur mens S. Congregationis, quæ eam tribuit, donec cogatur synodus, quæ anno quolibet ex Concilio cogi debet, & quæ alias cogeretur nunquam.

In facto autem ponderandum, quod literæ facultatis datæ erant die 28. *Februarii* 1761. Electio cum consensu capituli facta est die 10. *mensis Aprilis* 1762.. Si electio facta extitisset mense *Aprili*, vel etiam *Majo* ejusdem 1761., fortasse legitima dicenda esset ob maritimum iter ab Urbe ad Melitensem Insulam, cum maris viæ certi mensuram itineris habere nequeant. Multo magis, quia post diem 28. *Februarii*, insecuta Congregatio habita est die 11. *Aprilis*. Literæ autem etsi paullo ante datæ essent, tamen diem præcedentis Congregationis habuissent.

Considerandum itaque, num etsi retardetur electio, attamen dummodo intra annum a die acceptarum literarum fiat, licet examinatores a die electionis annum durationis non habeant, legitimi dicendi sint pro eo anni tempore, quod a die electionis, quæ fieri debebat, excurrit. Hoc casu, posito, quod mense *Majo anni* 1761. forsitan eligi potuissent, licet electi postea, tamen usque ad mensem *Majum anni* 1762., quo concursus habitus est, eos perdurasse dicendum esset.

Res perplexa, & quæ deinceps exemplo erit, integra EE.PP. judicio relicta est. Proponitur

An sit standum, vel recedendum a decisis.

Recedendum à decisis.

NU-

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

NUSCANA. Die 14. *Aprilis* currentis anni proposita est causa. De ea videndum est *folium illius diei*. De quatuor quæstionibus disceptatum est:

I. *An capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ del piano oppidi Montellæ teneatur ad impensam necessariam pro custodienda sanctissima Eucharistia in ecclesiis parochialibus sibi unitis in casu &c.*

II. *An idem capitulum teneatur ad integram earumdem ecclesiarum manutentionem in casu &c.*

III. *An ad idem capitulum privativè spectet deputare presbyteros sæculares ad nutum amovibiles in dictis ecclesiis parochialibus sibi unitis, & quatenus negativè.*

IV. *An spectet ad episcopum deputare vicarios perpetuos in casu &c.*

Responsum est ad I. *Affirmative*, ad II. *Affirmative, & amplius*, ad III, *Affirmative*, ad IV. *Provisum in tertio*.

Non acquievit capitulum responso, quod datum est super prima ex quæstionibus. De ea igitur redit causa. Scribit Promotor fiscalis, cujus interest, ut tandem ad exitum perducatur. Eadem repetit, quæ ante exposuerat. Addit unice ad excludendam exaggeratam magnopere illam capituli inopiam, plurium ipsorum canonicorum testimonia, qui diversis temporibus reditus in singulos ad *centum ducat. ann.* professi sunt. Quæritur de primo dubio,

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

GNESNEN. UNIONIS. Petiit Monasterium Andreoviense Cisterciensium ab Archiepiscopo Gnesnensi uniri sibi duas parochias in *Cierno*, & *Zlotniki* ejus diœcesis, quæ sui jurispatronatus sunt, & a presbyteris sæcularibus retinentur. Archiepiscopus, auditis partibus, favore monasterii unionem decrevit; reservata tamen Sanctæ Sedis approbatione, quam monasterium modo expostulat.

Conditiones præcipuæ, quas Archiepiscopus apposuit in decernenda unione, hæ sunt: *sub approbatione, & beneplacito S. Sedis Apostolicæ &c. salvo circa Ecclesiam parochialem in Zlotnibi admodum Rev. Alerio* Kiemlinki *curato moderno quoadusque vixerit minime impartiendo, ac illæsis juribus ipsius &c.*. Decrevit præterea: *pro obsequio vero ecclesiarum tam ad ecclesiam parochialem in Cierno duos presbyteros, quam ad ecclesiam in Zlotniki pariter duos ex conventu suo Andreovien. pro cura animarum exacte obeunda designando idoneos per officium ordinarium prævio examine respectu administrationis sacramentorum approbandos, ex quibus unus magis habilis eligendus erit commendata-*

rius

rius temporaneus per officium nostrum instituendus, pro arbitrio autem Reverendissimi Abbatis, sive Prioris accedente legitima causa, absque tamen figura judicii amovendus. Cætera ex ipsa sententia habentur.

Monasterium itaque eas rationes, quas attulerat coram Ordinario pro obtinenda, nunc ad confirmandam unionem proponit: necessitatem scilicet, ac maximam populorum utilitatem.

Necessitatem probat ob nimiam distantiam pagorum, qui in eo agro extant, & parochiis subjacent: vias incommodas, & confragosas, præsertim hyeme, ob quas itinera impediuntur. Administratio sacramentorum, ut fiat, pluribus sacerdotibus necesse esse: *quia ad dictas ecclesias parochiales plures villæ nimiam loci distantiam habentes tum incommoda viarum quoad curam animarum jure parochiæ exercendam obstantia pertineant, pluribus presbyteris indigeant*.

Cumulat necessario inde secuta hucusque damna; perpetua inde necessario secutura deinceps. Hæc reparari alias non posse nisi unione. Tenuissimos esse reditus earum, ut plures in qualibet, ad administrandum sacramenta necessarii presbyteri, sustententur: *quia dictæ ecclesiæ parochiales sat exiguos proventus, qui ad sustentationem parochorum sæcularium, juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini non sufficiunt, habeant per presbyteros vero dicti monasterii per officium præsens ordinarium instituendos uti in bonis suis hæreditariis regi, & gubernari cum sufficienti, & competenti etiam de monasterio poterunt portione*.

Hanc tenuitatem, ac pauperiem esse legitimam, imo necessariam causam unionis propugnat ex firmis juris canonici regulis, ad *textum in cap. exposuisti* 33. *de præbendis*, de quo DD. communiter. Ita sanxisse Tridentinum *in cap.* 5. *sess.* 21. *de Reformat.* Censuisse ita perpetuo Sacram hanc Congregationem.

Utilitatem vero patere per se ipsam ex ante expositis. Eam præ oculis habuisse Ordinarium ad concedendam unionem. Eam impugnari non posse. Videnda sunt ex scriptis, quæ in hanc rem congerit.

Addit extingui hinc diuturnas lites, quæ parochos, & monasterium Andreoviense vexarunt hactenus, ac vexabunt postea: *ratione variarum prætensionum fundi, plurimæ practicabantur lites, & si diutius per eosdem presbyteros sæculares regerentur continuæ lites dictarum fundi prætensionum excitarentur, & per hujusmodi lites dictæ ecclesiæ magis depauperarentur.*

Extollit inde beneficia antea collata in ecclesiam Ciernensem: *Abbas monasterii modernus plusquam triginta millia floren. polonicalium pro reparatione beneficii Ciernen. de proprio expenderat, & ne dictum beneficium per sæculares presbyteros regendum huic calamitati, & desolationi iterum subjaceat, illud suæ dispositioni subjiciendum petiit*.

Adjicit se novam parochialem erecturum, quæ sui juris esset, eamque presbyteris sæcularibus cessurum: *Abbas Andreovien. cum Priore in vim regratitudinis dictorum beneficiorum sæcularium regimini sui præcommittendorum ecclesiam filialem in Oxa in bonis hæreditariis, ac sub regimine suorum monasterii Presbyterorum existentem ad dictam ecclesiam parochialem in Koniecznо spectantem in ecclesiam parochialem per se erigendam sæcularibus presbyteris cedit.*

Presbyteri, qui parochias administrant, unionem ante sententiam impugnarunt; nunc silent. Populi unionem non impugnant. Tametsi etenim simul cum presbyteris legitime moniti jussu Sacræ Congregationis fuerint, atque opportuno tempore exspectati, ad causam non veniunt.

Synodus Tridentina sess. 21. cap. 5. de Reformat. sanxit *uniones fieri posse causa paupertatis parochiarum, vel ex aliis casibus a jure permissis*. Has causas DD. redigunt ad necessitatem, atque utilitatem *Lotter. de re benefic. lib. primo quæst. 28. num.* 147., *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 66. num.* 15., *Petr. Ubald. in tract. de union. eccles. cap. 3. num.* 2., *Rebuff. de union. num. 38. & seq.*, *Garz. de benefic. part. 12. cap. 2. num. 138.*, *Piton. disceptat. ecclesiast. tom. 3. disc. 99. num. 33.* Docte autem, suo more, dixit *Card. de Luca* in hujusmodi casibus *statui non posse regulam generalem cuicumque casui applicabilem, cum pendeat ex facti, ac singulorum casuum circumstantiis discurs. 8. num. 12. ad Concil. Trident.*. Ad eam rem faciunt resolutiones in *Fulginaten.* 30. *Januarii* 1723., & in *Novarien. unionis 26. Novembris superioris anni.*

Sed causæ momentum, de quo verbum non faciunt monachi Andreovienses, est, quod agitur de unione ecclesiarum sæcularium regularibus. Clarissima est censura Concilii *sess. 24. cap. 13. de Reformat.*: *in unionibus quibuslibet ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisque non uniantur.*

Unice advertendum non loqui Concilium de parochiis, in quibus monasteria jure patronatus potiuntur. Videndum quid eo casu interpretentur canonistæ de Concilii lege. Vidend. *Barbos. ad Concil. loc. cit.*, *Gollemart. in declarat. ad cap. 7. sess. 7. de Reformat.*, *Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ glos. 6. num. 95.*

Videndæ sunt resolutiones in *Compostellana unionis* 20. *Septembris* 1692., *in Colonien.* 20. *Septembris* 1727., *in Legionen.*, *seu Astoricen. unionis* 11. *Aprilis* 1739., *in Cracovien. unionis* 30. *Januarii* 1740. Inquiritur

An decretum unionis Parochialium in Cierno, & Zlotniki, factum ab Archiepiscopo Gnesnensi sustineatur, in casu &c.

EU-

EUGUBINA DISPENSATIONIS. Die 18. Februarii proxime elapsi actum est de controversia, quam *Vbertus Gismondi* fecerat collegio canonicorum S. Christinæ, ac *Gabrieli Perusino*. Petebat Gismondi dispensationem super ætate ad assequendum canonicatum *Triangoli*, ad quem, ex voluntate testatoris, certabat se præferendum Perusino. Contradicebat collegium, ac Perusinus, quem collegium nominaverat. Duo erant dubia I. *An sit locus dispensationi ætati necessariæ ad sacerdotium, itaut, in assecutione unius ex canonicatibus in dispositione Gabrieli Triangoli erectis, in ecclesia Collegiata S. Christinæ Vbertus Gismondi sit a capitulo præferendus in casu &c.*, II. *An constet de attentatis, itaut nominatio ad unum ex canonicatibus a Gabriele Triangoli ordinatis facta a capitulo S. Christinæ in personam Gabrielis Perusini sit circumscribenda in casu &c,*

Sess. 24. cap. 14. de Reform.

Sacra Congregatio respondit: *negative ad utrumque*. In *folio ejus diei* controversia omnis, sive de facti specie, sive de utriusque partis rationibus, explicate, atque abundanter conclusa est; quæ nunc proponitur urgente collegio, & Perusino, ut ea demum suum finem habeat contra Gismondum, cui potestas nova sua jura experiendi facta est.

Ea, quæ dixerant, nunc collegium, ac Perusinus iterant, quæ hic, ut repetantur, inutilis labor est. Expectandus Gismondus. Disputatur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

COMEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. In diœcesi Comensi duæ erant ecclesiæ, altera *Sanctæ Vrsulæ* in oppido *Surrici*, altera, trium lapidum distantia, *S. Joannis Baptistæ* in oppido *Domasii*, quæ ad Humiliatorum ordinem antiquitus pertinebant, nunc ad præpositum, qui duas simul habet. Ab anno 1755. ecclesia *Sanctæ Vrsulæ* irreparabili torrentis impetu funditus eversa, sub immensa lapidum congerie nunc solo æquatur,

Sess. 22. decret. de observat., & evit. in celebrat. Miss.

Christophorus Cassina præpositus, probante Episcopo, sacrum quotidianum, quod in ea ecclesia peragebatur, ad parochialem transtulit *Surrici*. Sed cum oppidum illud, ob stagnantes undique aquas, & insalubrem inde effectum aerem, ad solitudinem fere redactum sit, alio commigrantibus incolis; atque hinc neque sacerdos, qui sacrum ageret, neque qui audiret ex populo aliquis persæpe erat, supplicavit proinde, ut e *Surrico* ad aliam *præpositura* ecclesiam *S. Joannis Baptistæ in Domasio* sacrum transferri possit.

De translatione agitur primum. Deinde in quam ecclesiam; cum parochus *Surrici* diebus festis in suam velit; Episcopus aliis diebus in sui *Seminarii* oratorium: non contradicente præposito, cui sola translatio cordi est.

Ait præpositus necessariam translationem esse. Ecclesiam omnino dirutam, & quidem non sua culpa, cum eam antea non modica impensa restaurasset. Reparari non posse amplius. Clarissimam esse censuram juris de translatione iis casibus facienda ex ipsa Synodo Tridentina. Multo magis, quia judicium Episcopi accedit: *cap. non mediocriter vers. dum agitur de conserv eccles.*, *Abbas in consil.99.num.5.*, *Enriquez in summ. lib.9.cap.22.num.6.*, *Rot.decis.*1522.*num.*5. *cor.Coccin.*, & 419.*n.*14. *cor.Molin.*

De modo vero translationis; nempe quod non omnia sacra in parochiali *Surrici* agantur, easdem occurrere causas, & rationes: scilicet incolarum infrequentiam, quæ necessitatem facit alio transferendi saltem majorem omni anno sacrorum numerum. Ipsum hoc agnoscere parochum, qui, ut diebus festis sacrum in sua ecclesia retineat, contentus est.

Maxime cum certa lex olim data pro hujus sacri quotidiani celebratione non habeatur. Nescitur an ex veteri instituto, an ex legato sit, an ex contractu; quo casu liberam esse Ordinariis potestatem transferendi *Card.de Luc.disc.*25. *num.*11., *Sac.Congregatio Episcop. & Regul. Burgi S. Sepulcri* 7.*Octobris* 1717., & *Balneoregien.* 18.*Martii* 1722. Præsertim consentiente rectore beneficii, & iis, quorum interest, *Vivian. de Jur. Patron. part.*3. *lib.*14. *cap.*3. *num.*4. & *seq.*, *Rot.coram Crispo dec.*318. *num.*8. Reliqua ex scriptis circumferendis habentur.

Episcopus de ecclesia *Sanctæ Ursulæ* hæc refert; *non ita multis ab hinc annis, & ecclesiam, & ædes olim cænobium Sanctæ Ursulæ optime modernus Præpositus restauraverat, sed ineluctabili torrentis vi omnia inopinato, vel diruta, & funditus eversa, vel immensa lapidum mole de anno* 1755. *obruta fuerunt, quo accepto infortunio, cum reparari nullatenus ecclesia posset, consultus Ordinarius inter cætera providit, ut quoad celebrationem missarum donec, & quousque res altius examinaretur, eæ celebrarentur in ecclesia archipresbyterali Surrici, ubi commodum suppeteret sacerdotum, qui eas celebrarent sub consueta eleemosyna. Itaque nonnisi ex tunc missam hujusmodi cæptum est in ecclesia archipresbyterali celebrari.*

De translatione vero saltem majoris numeri sacrorum ex ipso *Surrico* hæc habet: *porro inficiari nequit siquidem, & superioribus mensibus actu pastoralis visitationis mihi ipsi oculis patuit oppidum Surrici tum ob diruta ejusdem vi torrentis ædificia, cum vel maxime ob aquas circumquaque stagnantes, & aerem gravissime inficientem fere ad solitudinem redactum esse; duæ siquidem. vel tres ad summum familiæ inhabitant, cæteris ad felicius solum migratis; hinc nonnisi difficillime adinvenitur sacerdos, qui resideat, & quotidie celebret, item vix adest, qui celebranti inserviat.*

De parte sacrorum scilicet diebus festis in ecclesia *Surrici* re-

relinquenda, ac petitione parochi adjicit: *auditus ecclesiæ rector, nempe Surrici Archipresbyter, hæc sane fatetur, attamen advertit diebus festis consuevisse populum ex dissitis Pareciæ salubrioribus vicis ad archipresbyteralem ecclesiam confluere frequentem, eique unicam ipsius parochi missam satis non esse, cum non omnes uno, codemque tempore in ecclesia esse possint relictis nulla custodia infantibus, gregibus, & rebus domesticis. Omnino igitur expedire adstruit, ut missa, de qua agitur, pro diebus festis retineatur, translationi quantum ex se est pro ferialibus libenter subscribens.*

Concilium Tridentinum *sess.*21. *cap.*7. ita sanxit: *cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuria adolescant, & ex hominum memoria excidant, Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint beneficia simplicia etiam jurispatronatus ex ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias ecclesias locorum eorumdem, seu vicinorum arbitrio suo. Atque in eisdem ecclesiis erigant altaria, vel cappellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus ecclesiis impositis.*

Sacra Congregatio caute in hisce translationibus concedendis processit. Rejecit persæpe: *Æsina legatorum* 21. *Augusti* 1700., *in Ariminen, commutationis missæ* 14. *Martii* 1711., *in Mediolanen., seu Ferentina Capellaniæ* 23. *Februarii* 1715., *in Regien.* 5. *Augusti* 1719., *in Neapolitana Capellaniarum* 16. *Junii* 1731., *in Romana translationis oneris missarum* 23. *Julii ejusdem anni, in Ariminen. translationis Capellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana commutationis voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *in Panormitana translationis oneris missarum* 26. *Septembris* 1739., *& in Taurinen. celebrationis missæ quotidianæ* 20. *Maii* 1752.

Interdum concessit vel temporariam, vel perpetuam, ex justa causa; maxime si testatorum cadavera in ecclesiis condita non sint: *Neapolitana Capellaniarum* 26. *Junii* 1731., *Uxentina celebrationis missarum* 16. *Decembris* 1747., *&* 13. *Januarii* 1748., *& alibi passim*.

Non denegavit autem, si ecclesiæ dirutæ sint, Tridentinum secuta. Quæsivit vero unice num restaurari possint, & a quo debeant. Hanc juris, & æquitatis semitam tenuit: *Sabinen. translationis legati missarum* 16. *Februarii* 1734., *& fere ubique*. Potissimum si oneris certa origo non haberetur.

Considerandum, num etsi expediat diebus ferialibus sacra transferre a parochiali *Surrici*, quo in loco ecclesia S. Ursulæ erat, ea sacra in ecclesiam *Sancti Joannis Baptistæ* omnino transferenda potius sint, quæ ejusdem *præpositura* membrum, ac pars est. Dubium est

An, & quomodo missarum translatio sit concedenda, in casu &c.

JA-

Sess. 25. cap. 1. de Reform.

JANUEN. CAPELLANIARUM. *Anno* 1654. Joannes Augustinus Cappelli inter alia legata pia, quorum curam, & administrationem PP. Carmelitis discalceatis mandavit, septem capellanias laicales constitui jussit in ecclesia parochiali *S. Nicolai*, *& Erasmi* loci *Vulturis* Januen. dioecesis. Ad eas primum vocavit familiæ Cappelli descendentes per lineam masculinam a suo patre *Emanuele Cappelli*; secundo pueros cujusdam scholæ a se in eodem loco institutæ; tertio vero, iis omnibus deficientibus, descendentes ex *Benedicta* sorore conjuge *Josephi Donghi*. Capellanias iis omnibus ex tribus generibus vocatorum, ut dari possent ad patrimonium pro sacris ordinibus permisit, pro reliquis vero ad nutum *amovibiles* esse voluit.

Capellaniæ ad quinque redactæ sunt. Familia Cappelli non extat. Hinc ampla seges litium inter scholæ *Vulturensis* alumnos, & descendentes familiæ *Donghi*, qui limis oculis sibi præferendos scholares aspiciunt. *Annis* 1729. 1730. 1731. 1736. 1757. Sacra Congregatio has controversias audiit. Demum die 25. *Aprilis* 1761. inter Joannem Franciscum *Piccardi*, Josephum, & alios de *Donghis*, & PP. Carmelitas legatorum curatores, acerrima, quæ exarserat controversia proposita est quinque habens capita:

I. *An Sacerdos Joannes Franciscus Piccardi removendus sit a capellania, de qua agitur?* & quatenus affirmative.

II. *An Clericus Joseph de Donghis a testatore vocatus sit ordinandus ad titulum prædictæ capellaniæ in civitate Cadicis, servata Constitutione Innocentii XII. incipien.* Speculatores.

III. *An omnes capellani Joannis Augustini Cappelli in loco Vulturis possint celebrare per alios a se ipsis eligendos*, & quatenus affirmative.

IV. *An a PP. Carmelitis debeatur capellano substituto a R. Emanuele Antonio de Donghis integra eleemosyna pro missis usque nunc celebratis, & in posterum celebrandis.*

V. *An lapides, quibus onera PP. Carmelitarum dicti Conventus Vulturis inscripta sunt, e celebriori loco in obscurum ab ipsis PP. Carmelitis translati, restituendi sint eodem, quo erant loco, usque a fundatione dicti Conventus, & Ecclesiæ juxta voluntatem supradicti Joannis Augustini, & Joannis Baptistæ germanorum fratrum de Cappellis testatorum, in casu &c.*

Responsum est ad I. *Affirmative*. Ad II. *Dilata*, *& scribatur Archiepiscopo juxta instructionem*. Ad III. IV. & V. *Affirmative*.

PP. Carmelitæ harum controversiarum pertæsi, odiosam hanc, & ab suo instituto abhorrentem litigandi provinciam dereliquerunt aliis; qui judicio Sacræ Congregationis non contenti *die* 30. *Januarii* sequentis anni 1762. super primo, & secundo controversiarum capite quæstionem instaurarunt. Rescriptum vero est, *in decisis*, *& amplius*.

Excluso itaque Piccardo, supererat inquirendum, an essent alumni

alumni ex ſchola *Vulturenſi*, qui Joſepho Donghi præferendi eſſent; de quo ſcribendum erat Archiepiſcopo, uti Sacra Congregatio edixerat, & cui de ejuſmodi cauſa ſcriptum eſt. Videnda ſunt *folia diei* 11. *Aprilis anni* 1761., ac 30. *Januarii* 1762.

Archiepiſcopus ſuam reſpondendi moram excuſans, culpam in alios conjicit, ac tandem de iis, quæ quærebantur, refert: *habita itaque notitia ſupradictarum literarum iſtius Sacræ Congregationis die tantummodo* 20. *labentis Auguſti demandatum edictum ſtatim affici conſtitui, cujus copiam hic adnexam tranſmitto, quodque oſtio hujuſce palatii archiepiſcopalis, nec non valvis eccleſiæ parochialis SS. Nicolai, & Eraſmi Vulturis publice fuit affixum, ſed cum nemo hucuſque comparuerit ex frequentantibus ſcholam pauperum a dicto pio teſtatore in loco Vulturi inſtitutam, quamvis aliqui inter ipſos prorſus audiri reperiantur bonis moribus imbuti, ingenio præditi, & capaces ad eorum ſtudia perficienda, cum non ſint actu clerici juxta teſtamentum diſpoſitionem, etſi convenientem ætatem habeant, & eccleſiaſticis ordinibus inſigniri maxime cupiant*. Videnda relatio eſt.

Joſeph de Donghis nunc omnia repetenda eſſe, ait, ſive ex prioribus *foliis*, ſive ſcriptis. Unum adjicit, ſcholares, qui clerici non ſunt, ſibi impedimento non eſſe, quominus capellaniam conſequatur. Qualitatem hanc neceſſariam eſſe ex aperta lege fundationis. Si ſuperveniat nihil prodeſſe aliis, ut inde excludatur ipſe, qui jus ad capellaniam conſequendam quæſitum habuit ipſiſſimo vacationis momento *Rot. deciſ.6. num. 25. de penſion. coram Falconerio*.

De ſacris Ordinibus vero recipiendis in civitate Cadicis, ſervata notiſſima conſtitutione *Innocentis XII.*, allegat geminas reſolutiones Sac. Congregationis, quæ prodierunt *die* 26. *Januarii* 1732. favore Ferdinandi de Donghis, cui permiſſum eſt, ut eos Neapoli reciperet, & 26. *Februarii* 1752. pro Emanuele Antonio Donghi, cui idipſum pro civitate Cadicis conceſſum eſt.

His omnibus addendum fortaſſe eſſet, quod inſpecta litera fundationis videri poſſet ſcholæ alumnos non habere vocationem directam, ſed arbitrio relictam Carmelitarum, qui aliquem ex iis, ſi velint, eligant: *ſimilmente i putti di detta ſcola ſe ſaranno chierici ſecolari poſſano eſſere ordinati, e promoſſi agli ordini Sacri a titole di d. Cappellanie, valendoſi de frutti, come di Patrimonio durante la loro vita di eſſi reſpettivamente, ſe così parrà al d. Provinciale, e Priore di conferirli sù la buona opinione, che averanno della vita, e buoni coſtumi di detti Chierici; E queſti così ordinati ſaranno tenuti offerire il Sacrifizio ſecondo l'intenzione di d. Codicillante, e morti queſti così ordinati ritorni il jus di elegere al d. Provinciale, e Priore in tutto, come s'è detto ſopra &c.*

Quod

Quod magis clarum videri poſſet ex verbis poſt vocationem familiæ Donghi appoſitis : *e quando non vi foſſero Sacerdoti regolari, o ſecolari delle diſcendenze di ſopra chiamate, e non piaceſſe al ſudetto Provinciale, e Priore in loro coſcienza di eleggere i Chierici di ſcuola per farli mettere in Sacris col titolo di d. Cappellanie poſſano a loro arbitrio eleggere Cappellani regolari o ſecolari per far dire dd. Meſſe, che ſiano però di Voltri.* Eam ob rem non videretur ſufficere, quod ſcholares adſint, niſi nominari obtineant a Carmelitis, quorum arbitrio, ac religioni hæc electio relicta eſt.

Non otioſe, ac temere poſita hæc animadverſio cenſeri debet. Controverſiam in præſenti clariorem pro *Dongho* facit. Non modicum fortaſſe pro futuris litibus, quæ futuræ erunt certe, ac perpetuo, lumen ingeret. Unicum ex quinque, quæ prius proponebantur, ſupereſt dubium, quod ordine ſecundum erat

An Clericus Joſeph de Donghis a Teſtatore vocatus ſit ordinandus ad titulum Capellaniæ in Civitate Cadicis ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipien. Speculatores?

Seſs. 22. cap. 6. de Reformat.

FANEN. *Papirius Danieli* Fanenſis anno 1657. poſt inſtitutam hæredem uſufructuariam *Juliam Uffreducci* uxorem, ita ſcripſit : *coſtituiſco, e ſoſtituiſco in detti miei beni eredi proprietarj, e di piena ragione li Sig. Scipione, e Cintio Leone Alavolini dalla Rocca Contrada in ogni miglior modo. Laſcio che con li frutti, ed entrate della poſſeſſione detta la Papiria, e ſue pertinenze per duecento anni ſi celebrino, e faccino celebrare da miei eredi tante meſſe da requiem per l'anima mia, e de' miei, e queſta voglio, che ſia la mia vera, e ultima volontà, e ultimo Teſtamento nuncupativo.*

Poſt teſtatoris mortem anno 1761. *Papirius* Alavolinus *Cintii* filius ex auctoritate Sac. Congregationis obtinuit a Fanenſi curia conſtitui certum annuum numerum ſacrorum ad mille ſexcentum, & duo, reſpondentem fructibus fundi *Papirii*, quos Alavolinus probaverat per quadraginta annorum ſpatium fuiſſe quolibet anno in ſcutis *centum ſexaginta ob. 27. & quadran. 3.* mon. Rom.

Illud autem in ſententia Ordinarii additum eſt, ut certus ſemper is numerus eſſet, etiam ſi fructus deſignati fundi imminuerentur : *onus ſive decreſcat Miſſarum demandatarum per præfatum b. m. Papirium Danieli ſeniorem cum fructibus Prædii nuncupat. della Papiria taxavit ad numerum Miſſarum mille ſexcentum, & duo quolibet anno perduran. pro toto tempore demandato a Teſtatore, ita tamen ut dictus D. Papirius comparens ſe, omniaque ſua bona præſentia, & futura, ac hæredes in forma juris valida obliget celebrationem Miſſarum explere facere in quantitate præ-*

prædicta quolibet anno, etiamsi fructus dicti Prædii minuantur, sive decrescant.

Eam conditionem Alavolinus ipse proposuerat prius, atque acceptavit postea: *offerens dictus Dominus Comparens exponere obligationem in forma &c. de inposterum celebrare faciendo numerum dd. Missarum, etiamsì reditus eiusdem prædii quocumque ex casu decrescerent.*

Non contentus iis, quæ antea petiverat, atque obtinuerat, atque ea fundi *Papirii* sorte, quam eidem testator dederat, supplicat modo Alavolinus idem pro commutatione voluntatis de reliquo annorum spatio, quo fructus fundi celebrandis sacris designati sunt, nempe per centum, & ultra annos, Alium fundum offert reditus annui scutorum *octoginta* pro constituenda perpetua laicali capellania quotidiana, reservato sibi, suisque iure activo, ac passivo patronatus: *in una Capellania o sia juspatronato laicale da durare in perpetuo &c. colla legge, che all'Oratore, ed a suoi in perpetuo spetti la nomina del Capellano, che i suoi debbano essere preferiti agli estranei, che possa al medemo eleggersi un semplice Tonsurato, che questo sia tenuto recitare ogni giorno l' offizio divino, e altresì debba far celebrare ogni giorno una Messa, e quando così piacesse alla S. V. assegnarebbe l' Oratore un fondo d' annuo fruttato di sc.80. romani.*

De his precibus jussu Sanctissimi agendum est. De his vero, antequam proponerentur, imperatum est Ordinario, ut eos requireret, quorum fortasse ea res interesset. Unicam sororem *Papirii* Ordinarius designavit, cui curatorem ad eam rem constituit. Curator vero sorori datus, fratris petitionem non impugnat.

Allegat Alavolinus testatorem non statuisse certum sacrorum numerum; sed illum petente se constitutum. Non repugnare ideo hanc novam petitionem testatoris menti. Justam præterea adesse causam commutationis, qua melius, ac pinguius adimpletur testatoris ejusdem voluntas: temporariam enim sacrorum celebrationem perpetuam reddi erectione capellaniæ.

Neque officere reditus alterius fundi, qui assignantur, minores esse: compensari relictum majorem reditum ex novi hujus designandi fundi perpetuitate. Juspatronatus vero ex ipsa juris canonici regula sibi, suisque legitime reservandum. Ipsam testatoris voluntatem in his factis circumstantiis præsumi huic commutationi consentaneam. Videnda sunt ex scriptis, quæ in hanc rem cumulat.

Vicarius generalis Fanensis preces Alavolini mirifice adjuvat: *exhibita præstatio fundi pro medietate minoris redditus annui legati per annos centum persolvendi perpetuitate Beneficii erigendi compensari videtur. Reductio oneris missarum ad unam tantum missam quotidianam eas habet rationes, tum quia testator missarum eleemosynam, illarumque numerum non taxavit,*

ex quo creditur arbitrio hæredis repositus earumdem missarum numerus, dumodo ad hunc effectum singuli fructus legati erogarentur. Tum quia temporanea celebratio ad perpetuitatem reducitur. Tum demum, quia onere recitationis divini officii aliqualiter compensatur. Reservatio demum jurispatronatus nititur donationis, & fundationis iuridico fundamento.

Ea repetere, quæ notissima sunt de commutationibus voluntatum, quæ hoc potissimum tempore pene turmatim petuntur necessarium non est. Apertæ de his rebus sunt ubique apud DD. theoricæ, ac de his abunde in præcedentibus *foliis* tractatum est, & præcipue *in Cassanen. diei* 24. *Septembris elapsi anni, in Vicen. diei* 14. *Januarii, & in Perusina, & Assisien. die* 12. *Maij anni hujus.* Illud certum esse nemo dubitat ex juris præscripto, ac ex ipsa Tridentini clarissima sanctione requiri *justam, & necessariam causam.* De causæ necessitate hic sermo esse nequit. Cognitio ad utilitatem commutationis unice referri posset.

Ponderandum cujus utilitatem hæc commutatio respiciat. Hæres conspicuum fundum liberat, sibique acquirit. Alium, qui medietatem fructuum dat, unico quotidiano sacro assignat. Superabundantes reditus capellanus, qui ex suis erit, habebit. Videndum num hæc omnia compenset perpetuitas capellaniæ. Per centum, & alios quindecim annos secundum legem testamenti, ac constitutum consensu ipsius Alavolini sacrorum numerum, quolibet anno sacra *mille sexcentum, & duo* celebranda essent. Horum numerus, si commutetur voluntas in capellaniam quotidianam, fere quinque sæculorum tempus exquirit.

Ad rem faciunt *resolutiones in Nullius Piscien. Commutationis voluntatis* 13. *Junii* 1720. *in Fulginaten.* 13. *Julii* 1740. *Melphiten.* 22. *Junii* 1743. *in Interamnen.* 8. *Maii* 1756. *& in Civitatis Plebis Legati* 18. *Februarii* 1758.

Quid sit respondendum EE. PP. sua doctrina, ac prudentia viderint. Petitur

An sit locus erectioni Capellaniæ, in casu &c.

Die Sabbathi 24. Novembris 1764. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRima ponitur causa, in qua agitur de uno inter duos legitimo administratore declarando ecclesiæ Soranæ adhuc vacantis. Septem aliæ ex præterita Congregatione sunt, habita *die 15. mensis Septembris*. Postrema ut consuetus causarum numerus impleatur.

SORANA VICARII CAPITULARIS. Die 18. præteriti mensis *Augusti*, biduo post mortem Episcopi *Antonii Correalis*, capitulo Sorano legitime convocato, actum est de electione Vicarii capitularis. Undecim canonici erant. Ex iis, sex primicerius Rocchus *Celli*, Joannes Leonardus *Decius*, Xaverius *Bastardus*, Xaverius *Decius*, Aloysius *Tondus*, ac Michael *Palmerius* elegerunt *Franciscum Paulum Rubinum* defuncti Antistitis Vicarium generalem. Ex reliquis, Carminus *a Preda*, & Clemens *Gemmitus* canonicum *Vincentium Tutium*. Duo *Tutii* Xaverius, & Hiacyntus eundem *Tutium* fratrem elegerunt. Vincentius *Tutius* vero pro Carmine *a Preda* suffragium dedit.

Sess. 24. cap. 16. de Reform.

Rubinus munus accepit statim, exercuitque: imo *Gemmitus* ipse, ac duo canonici, qui ob infirmitatem non interfuerant, *Memmi*, & *Reguli*, literis electionis ab aliis factæ se subscripserunt. Prima vox conquestionis hic Romæ audita est ex *Vincentio Tutio*, qui supplicem libellum Sac. Congregationi de ea re obtulit, in quo rescriptum est: *Episcopo viciniori pro informatione, & voto, auditis capitulo, & Vicario capitulari, & præfixo termino ad deducendum jura sua &c.*

Episcopus vero Aquinas vicinior, existimans sibi devolutam electionem Vicarii, instante *Tutio* eodem, ac promotore fiscali, postquam intra diœcesim Soranam se contulit, necquicquam reclamante *Rubino*, & S. Sedem appellante, atque aliis septem canonicis, sententiam *die decima Septembris* tulit, declarans *nullam* Rubini electionem, *utpote factam contra formam Sac. Concil. Tridentini sess. 24. cap. 16. de Reform.; propterea liberam esse deputationem novi veri, legitimique Vicarii capitularis Soranæ ecclesiæ a se uti viciniore jure devoluto alterius idoneæ personæ ad ejusdem Concilii præscriptum facien.*

Eodem die *Vincentium Tutium* canonicum in Vicarium capitularem elegit; monuitque *Rubinum*, ut ab exercendo amplius munere se abstineret,

Proclamarunt canonici, qui *Rubinum* nominaverant. Omnia gesta per Episcopum Aquinatem irrita esse dicebant: auctoritatem S. Congregationis spretam conquerebantur. Interim binæ supervenerunt relationes Episcopi Aquinatis; prima diei 12., altera diei 18. *Septembris*. In prima suam causam dicebat de iis, quæ egerat: narravit, quæ inde secuta erant: *vacata sub die 16. decursi mensis Augusti ecclesia Sorana tandem coram me, tanquam viciniore Episcopo præfatæ Ecclesiæ exemptæ J. V. D. Vincentius Tutii ejusdem Cathedralis Canonicus causam sub die 21. dicti mensis detulit, atque se gravans de factis, novum destinari Vicarium capitularem solemniter expostulavit ..... Videbatur nullum oriri dubium, quin ambæ partes vellent sua jura proponere. Sed nequaquam. Enim vero septem capitulares eorum instantiam per publicum Notarium produxerunt, sex capitibus super mei suspicione refertam, & electus per publicam pariter personam protestationem super mea in hocce negotio incompetenti Jurisdictione præsentavit, adjicientes insuper, in casu non admissionis petitionum, & canonici, & Vicarius ad istam S. Sedem appellationem. Ad hæc Electus, nondum lata, sed in articulo ferendi, sententia, in odium justitiæ ad publica Civitatis Soræ loca edictum affigi attentavit, cum quo omnibus, ne ullum alium eligendum Vicarium capitularem recognoscerent, inhibere, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ Sanctissimo Domino reservatæ non erubuit. His cum horrore auditis tum a me, tum a sanioris mentis viris super attentatis capi informationem demandavi, postquam prolationem sententiæ partis oppositionibus tanquam frivolis rejectis jam antehac devenissem. Ipsa media decrevi, nullam, & irritam fuisse electionem per aliquos de capitulo factam in personam dicti de Rubinis, nonnullis in processu cumulatis per dicta testium motivis, tum (de re namque agitur difficillimæ probationis) super publica voce, & fama circa pollicitationes duobus Canonicis factas ad eorum expiscanda suffragia favore Rubini, atque scripturam ante electionem secreto exaratam inter sex illos Canonicos, qui pro eodem Rubini steterunt, tum super hujus scientia, & consensu relata reservationis super Seminarii regimine, quippe qui patentales litteras cum illa per proprium fecit Cancellarium transcribere, & tandem eo vel maxime, quod in Capitulo aderat unus ex Canonicis, qualitatibus a Sac. Conc. Trident. requisitis præditus, & ad hujusmodi onus sustinendum idoneus; successive in novum Vicarium capitularem destinavi canonicum D. Vincentium Tutii alias in hujusmodi munere versatum tum occasione vacantiæ hujus sedis, tum exercitio Vicarii generalis in hac diœcesi primis mei regiminis duobus annis, tum sexennii spatio in diœcesi Sorana tempore nuper dicti demortui Antistitis, in illiusque favorem litteras patentales expediri jussi; Vetans proinde primo nulliter electo Jurisdi-*

risdictionis exercitium, *& administrationem justitiæ sub pœna excommunicationis majoris*, *aliisque arbitrio*.

In secunda *de Rubino*, *& Tutio* idem munus exercentibus verba habuit, & de controversia, quam *homines pacis zelatores* Rubino fecerant super non legitime retenta laurea juris: *spretis mea sic lata sententia*, *& inhibitione sub pœna excomunicationis*, *aliisque arbitrio sibi facta de amplius se non ingerendo in officio Vicarii capitularis*, *præfatus de Rubinis in Episcopali Palatio*, *ut antea moras trahere*, *in eoque justitiam administrare*, *jurisdictionemque exercere non destitit*, *prout etiam nunc haudquaquam desistit*. *Ex hoc factum est*, *ut homines pacis zelatores ægreferentes duos in eodem catino manus intingere videre*, *civiumque factiosorum animos in partem Rubini abire*, *recursum &c.*

Pervenerunt præterea ex tota diœcesi supplices libelli, qui *Tutii* partes amplexabantur. Intellectum hinc facile est in quanta perturbatione esset civitas, ac diœcesis universa, & quæ inde mala proficiscebantur in incerta hac duorum ecclesiastica jurisdictione; quæ animarum pericula, quæ detrimenta ex diversis studiis, mutuisque odiis partium, Ad hos compescendos tumultus, & præcidenda dissidia, ac simul ad consulendum religioni populorum, Sac. Congregatio, illud, quod alias facere consuevit, fecit. Imperavit suis literis Episcopo Aquinati, ut præfigeret *terminum utrique parti ad deducendum jura sua in S. Congregatione*, *& interim nomine Sac. Congregationis deputaret alium idoneum*, *qui ejusdem Sac. Congregationis nomine*, *& auctoritate munus exerceret*.

De harum literarum executione adhuc non constat. Hinc ubi primum fieri potuit, in prima post autumnales ferias Congregatione, proponitur causa, quæ celerrimam providentiam exquirere visa est.

Capitulum, seu ejus major pars, quæ pro *Rubino* steterat, suam electionem propugnat uti legitime, ac recte factam; munus a *Rubino* sine ullius contradictione tunc acceptum tuetur: libertatem eligendi se habuisse asserit, & potissimum *Vicarium generalem* defuncti Antistitis, juris laurea insignitum; etsi in capitulo adfuerit *Tutius* unicus inter canonicos doctor juris. Quæ contra *Rubinum* objiciuntur, non solum non probari, sed omnia per calumniam dici: falsa esse omnia. Causas quas habuit, ut excluderet *Tutium*, proponit; multa contra illum obiicit. Neque *Rubinus*, neque *Tutius*, neque qui ejus partes amplexi sunt, adhuc dederunt aliquid. Videnda eorum scripta erunt.

Sacrum Concilium dixit; *Item Officialem*, *seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere*, *vel existentem confirmare omnino teneatur*, *qui saltem in jure canonico sit doctor*, *vel licentiatus*, *vel alias quantum fieri poterit idoneus*: *si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur*: *& si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta*, *Capitulumque*, *ut præfertur negligens fuerit*, *tunc antiquior Episcopus*

scopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Œconomum, & Vicarium idoneos possit constituere.

Notissima jura sunt de hujusmodi controversiis, de quibus pluries in Sacra Congregatione actum est, & novissime *in Tiburtina* 14. *Aprilis labentis anni*.

EE. PP. sua doctrina, ac providentia viderint quid sit respondendum

I. *An electio Vicarii capitularis in personam Abbatis Francisci Pauli Rubini substineatur*, & quatenus negative:

II. *An habendus sit pro electo canonicus Vincentius Tutii, in casu &c.*

Nihil de dilatione. Ad I. affirmative. Ad II. non substineri.

Sess. 4. cap. 18. de Reform.

SPIREN. CANONICATUS.

I. *An substineatur privatio Jacobi Durass de Canonicatu, in casu &c.*

II. *An eidem assignandum sit Seminarium Episcopale usque ad emendationem, in casu &c.*

Dilata.

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

NUSCANA.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

GNESNEN. UNIONIS.

An decretum unionis Parochialium in Cierno, & Zlatniki, factum ab Archiepiscopo Gnesnensis substineatur, in casu &c.

Dilata.

EU-

EUGUBINA DISPENSATIONIS.
An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Sess.24. cap.14. de Reform.

Non proposita attento obitu Contradictorum.

COMEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.
An, & quomodo missarum translatio sit concedenda, in casu &c.

Sess.22. decret. de observat., & evit. in celebrat Miss.

Affirmative ad Ecclesiam Archipresbyteralem Surrici diebus festis, diebus vero ferialibus ad Ecclesiam S. Joannis Baptistæ in Oppido Damasii.

JANUEN. CAPPELLANIARUM.
An Clericus Joseph de Donghis a Testatore vocatus sit ordinandus ad titulum Cappellaniæ in Civitate Cadicis servata Constitutione Innocentii XII. incipien. Speculatores?

Sess. 25. cap.1. de Reform.

FANEN.
An sit locus erectioni Capellaniæ, in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reformat.

AMERINA. *Barbara Bevilaqua Mattheja* statuit, ut ex suis bonis compararentur *ll.150.mm.*, ex quorum fructibus in *Jovii* oppido, familiæ Mattheiæ feudo, monasterium pro monialibus excitaretur: dato jure *Hieronymo Matthejo*, ac successoribus eligendi puellas, quæ in eo degerent.

Sess. 21. cap. 7. de Reformat.

Paruit *Hieronymus*, cumque jam ad fastigium ab imo perventum ædificium esset, *Alexander* Jovii Dux *Hieronymi* filius, anno 1725. petiit, ut voluntas *Barbaræ* pene integra commu-

mutaretur. Sacra Congregatio esse commutandam annuit *juxta modum; loco erectionis monasterii a testatrice demandati*, ex reditibus enunciati legati:

I. *Duas Magistras a civitate Viterbien., vel alio loco magis benevisó advocandas, atque ab oratore, ejusque hæredibus, & successoribus nominandas, & ab Episcopo pro tempore approbandas in oppido Jovii manuteneri; quæ puellas ejusdem oppidi gratis edocere teneantur, assignando eisdem magistris ultra mansiones pro habitatione, & scholis, una cum mobilibus proportionatis, annua scuta quinquaginta:*

II. *Unam erigi capellaniam, cujus Capellanus ab oratore, & ejus hæredibus, & successoribus, accedente tamen Episcopi pro tempore approbatione, semper eligi, ac nominari debeat, & respective arbitrio ejusdem oratoris, hæredum, & successorum removeri possit; cum obligatione tamen alium nominandi, seu eligendi, ut supra: injunctis eidem capellano oneribus exercendi munus ludimagistri pro pueris oppidi Jovii, excipiendi confessiones, parochum ejusdem oppidi coadjuvandi in exercitio curæ animarum; & ulterius semel in hebdomada, die tamen sibi benevisa celebrandi, & applicandi missam pro anima piæ testatricis; assignando capellano prædicto annua scuta septuaginta.*

Et III. demum *superextantes legati reditus in distribuiionem tot dotium quolibet anno erogari, quarum duæ constituerentur in summa scut. sexaginta pro qualibet, & distribuerentur duabus puellis monachandis, & reliquæ in summa scutorum triginta itidem pro qualibet distribuerentur puellis maritandis, reservato oratori, ejus hæredibus, & successoribus jure nominandi omnes prædictas puellas; cum declaratione tamen, quod una ex monachandis, & duæ ex maritandis nominari deberent ex puellis præfati oppidi Jovii, quodque respectu puellarum monachandarum suum habere nequiret effectum, nisi puellæ ipsæ ab Ordinario loci monasterii, in quo professionem erunt emissuræ, approbationem reportaverint.*

San. mem. Benedictus XIII. suis literis apostolicis *die* 12. *Martii* 1726. Sacræ Congregationis consultationem probavit, confirmavitque. Scire hæc oportuit primum, ut ea, quæ ad causam, de qua agitur, modo faciunt, facilius intelligantur.

Sciendum præterea, quod ecclesia parochialis Jovii angusta nimis, atque impar omnino excipiendo populo erat. Quapropter anno 1707. Episcopus Amerinus ei, ut in ampliorem formam redigeretur, provideri posse censuit, si singuli ex populo propriis laboribus adjuvarent *colle opere del comune*, ac varia *sodalitia*, quæ in oppido erant non minus quam *mons frumentarius* abundantes reditus in id tribuerent, cui operi perficiendo *Hieronymus* Jovii Dux scut. 684. obtulerat, quæ in constructionem ecclesiæ novi monasterii eroganda erant: relicta tamen sodalibus antiqua ecclesia parochiali.

Con-

Contradixit tunc populus Jovensis in Sacra Congregatione, quæ *die 19. Novembris* ejusdem anni 1707. rescripsit: *Attenta relatione Episcopi Amerini, quoad renuentiam populi in contribuendo pro ædificatione novæ ecclesiæ, eidem Episcopo censuit imponendum, ut procedat, prout de jure; & quoad petitam acquisitionem Oratorii Confratrum pro conficienda ecclesia monasterii eligendi, ac assignationem antiquæ parochialis pro ædificando Oratorio Confratrum, prævia applicatione dictorum scutorum 684. in ædificationem novæ ecclesiæ parochialis, eidem Episcopo benigne commisit, ut veris existentibus narratis, hujusmodi facultatem juxta petita pro suo arbitrio, & conscientia gratis impartiatur. Quoad vero petitam contributionem confraternitatum eadem Sacra Congregatio censuit esse audiendos officiales earumdem.*

Post hæc autem omnia siluere, ac nihil de ecclesiæ ædificio actum est usque ad ann. 1738., quo prædictus *Alexander* Jovii Dux *Hieronymi* filius duo rescripta a s.m. Clem. XII. obtinuit, *Primum, ut pro constructione novæ ecclesiæ parochialis erogari valeat summa, quæ debetur monti, seu montibus frumentariis ejusdem terræ Jovii, pro eo tamen solummodo, quod superest extra sortem erectionis. Alterum vero, ut pro constructione ecclesiæ erogari valeant annua scuta* 120. *assignata pro duabus puellis de terra Jovii, quæ nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa terra Jovii puellis de anno in annum, quæ velint profiteri in religione: sin autem una saltem puella concurrat ex prædictis, unum subsidium dotale tantum scut. 60. de anno in annum erogari valeat pro constructione dictæ ecclesiæ ad decennium.*

Sed nequaquam hisce acquiescens populus Jovii, de subreptione coarguit rescripta Pontificis. Hinc de iis actum est in Sacra Congregatione duobus propositis dubiis: I. *An gratia sit exequenda, seu potius constet de illius subreptione, & quatenus affirmative ad primam partem, & negative quoad secundam. II. An comprehendat etiam ultra montem denominatum* Parca *alios montes frumentarios communitatis terræ Jovii, in casu &c.* Die 10. Junii 1741. rescriptum est: *Coadjuventur probationes, & scribatur Episcopo juxta instructionem nempe, an populus hodie assentiatur fabricæ novæ ecclesiæ, & an ulla spes affulgeat, quod parochiani manus adjutrices, aliquodve subsidium pro eadem fabrica libenter in posterum sint præstituri. Itidem exprimat, quæ summa verosimiliter exigi possit a debitoribus montis frumentarii à Paulo Parca instituti.*

Explorato inde per Episcopum incolarum animo, *trigintanovem* (inquiit) *pro fabrica novæ parochialis assensum præstiterunt, manusque adjutrices, ac pro viribus subsidium pro eadem fabrica libenter præstari promiserunt, septuaginta vero & octo eidem fabricæ dissensi fuerunt.* Factaque disquisitione debitorum montis frumentarii *Pauli Parca*, retulit *fuerunt adinventa rubra 65. & quar. 2. $\frac{1}{4}$ frumenti a debitoribus restituen-*

tuenda, *quæ ab Archipresbytero ejusdem terræ Rev. Joanne Petro Baronzano*, *& Joanna Antoneo Colsi inexigibilia prorsus existimantur*; & postremo subdit: *significare proprium existimo necessitatem ædificandi novam ecclesiam parochialem capacem*, *& aptam ad recipiendum totum populum Jovii*,

His auditis, & denuo proposita causa, Sacra Congregatio die 26. Januarii 1743. censuit *gratiam esse exequendam etiam quoad alios montes frumentarios arbitrio Episcopi*, *qui ejus executioni sedulo incumbat*, *invigilando præsertim*, *ne in constructione ecclesiæ fiant ornatus superflui*, *& pro ejusdem ecclesiæ tutiori*, *& celeriori executione*, *quatenus opus sit*, *procedat etiam prout de jure*, *ad formam resolutionis editæ anno* 1707.

Cæpta proinde eodem anno 1743. ædificatio novæ ecclesiæ est, *Duce Matthejo* largiente fundum, ac plurima, & quidem non modica subsidia contribuente, qui etiam promisit *contribuire ogni anno scudi cento in tante rubbia di grano*, *qual farò consegnare alli deputati di detta fabrica*, *e continuerò in detta contribuzione non solo per un decennio*, *ma anche più di esso*, *se nel decennio medesimo non fosse del tutto compita la fabrica*.

Prorogatio de duabus dotibus *monasticis* in fabricam erogandis usque ad hanc diem concessa est. Cum vero, ut opus ædificii compleatur quamcitius, necessitas urgeat, ac pecuniæ desint, idcirco hodiernus *Dux Matthejus* supplicat, ut concedatur venditio *ll.mm.*, quæ pro fundo harum dotium constituta sunt. De ea re agitur, ad quam non inutile certe erat, quæ hic descripta sunt, ante oculos ponere.

Interrogatus de his novis precibus Episcopus, qui auditis iis, quorum intererat, referret, ac sententiam diceret, *necessitatem* perficiendæ ecclesiæ confirmat, *fundum unius dotis*, *quæ exteris puellis dari debet*, *alienandum proponit*; *alterius fundi fructus pro dote monastica Jovensis puellæ multiplicari*: *detrahi ex* subsidiis dotalibus *annua scuta decem*: *imminui stipendium ludimagistri*, ut facilius *multiplicatio pro reintegrandis ll.mm*, *quæ alienantur*, *fiat*. Videnda ex ejus *relatione* sunt, quæ addit, consulitque.

Dux Matthejus, ut tantummodo *ll. mm. viginti* vendantur, assentitur: reliqua vero ab Episcopo proposita extranea esse ait; sibi hinc damnum venire, ac simul dotandis puellis, quæ nihil tale commeritæ sunt, & itidem decrepito ludimagistro injuriam fieri.

Ad obtinendam vero alienationem *ll. mm.* allegat necessitatem perficiendæ ecclesiæ præcipuam esse, aliisque in ejusmodi circumstantiis pietatis operibus præferendam: subsidia pro dotibus *monasticis* pene inutilia esse: vigintiquinque annorum spatio, vix quinque puellas tale subsidium postulasse. Præterea neque jus puellarum attendendum esse e conspectu justæ, ac necessariæ urgentis causæ *Gratian.*

tian. disceptat. forens. cap. 458. *a num.* 4. *ad* 9., *Piton. disceptat.*69. *num.*25., *Rot. in Melevitana nullitatis Brevis* 20.*Januarii* 1727. *§. Siquidem coram Cornelio*, *& in Nepesina applicationis* 80. *Jauuarii* 1733. *§.* 19. *coram clar.mem. Card. Aldrovando*.

Maxime cum agatur de publico incæpto ædificio *leg. Prætor ait §. De novi operis ædificatione*; ac præsertim de incæpto ædificio ecclesiæ, quod tendit ad majorem divini cultus augmentum, semper præferendum cuicumque privato commodo, ut dixit *Rot. coram Molin. decis.*1068.

Multo magis, quia incertæ puellæ sunt, quæ hac dote uti possint: ipsarum nominationem sui arbitrio relictam esse. Imo, nedum incertas esse puellas, sed incertum an extituræ sint ex oppido, quæ hoc subsidio indigeant; atque omnem similitudinem veri habere, quod non existant, donec *Il. mm.* restituantur. *Piton.discept.*69., *Rot.in Recent.decis.*24. *num.*15.*part.*5. *decis.*273.*num.*26.*par.*6.*decis.*122.*n.*13. *par.*11., *& decis.*1041. *cor.Molin.*

Postremo advertit, quod puellæ ex eo populo essent, qui alienationem hanc uti necessariam postulat, ac deprecatur; quo casu nihil de commutatione concedenda ultra quærendum esse. Proposita demum ab Episcopo de reliquis nequaquam admittenda propugnat. Cætera ex scriptis videnda sunt.

De ecclesiis parochialibus Synodus Tridentina hæc habet *sess.*21. *cap.*7. *de Reformat. Parochiales vero Ecclesias, etiamsi jurispatronatus sint ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, qualibet appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborant, ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi.*

De necessitate perficiendi ædificii non dubitatur. Ad commutationem subsidiorum dotalium faciunt resolutiones *in Hyspalen.* 7.*Septembris* 1680., *Siracusana* 8.*Februarii* 1713., *Magdalunen.* 22.*Aprilis* 1719., *Romana subsidiorum dotalium* 9.*Julii* 1746.

Pro constructione autem parochialis ecclesiæ etiam legata pia in causam onerum missarum relicta aliquando collata sunt. Vidend. *Amostaz. de causis piis lib.*1. *cap.*14. *num.*36., *& lib.*2. *cap.* 12. *num.* 35., *Brasch. de potestat. eccles. tom.* 3, *cap.* 24.

Advertendum tamen, quod fere tota fabrica ecclesiæ facta est sine ullo populi incommodo, atque adjumento. Episco-

ſcopus vero numquam loci incolas ad præſtandas operas coegit, ut Sacra Congregatio anno 1707. & 1743. faciendum mandaverat.

Itidem, quod tam ſan. mem. *Clemens XII.*, ac *Benedictus XIV.*, quam SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, dum hæc ſubſidia dotalia pro eccleſia conceſſerunt, conditionem adjecerunt ſemper, *non concurrentibus de illa terra Jovii puellis de anno in annum, quæ velint profiteri in religione.*

EE. PP. decernent quomodo ſit providendum. Petitur

An, & quomodo, & quibus conditionibus ſit concedenda facultas alienandi 20. loca montium hæreditaria Barbaræ Matthei Bevilaqua, in caſu &c.

Die Sabbathi 15. Decembris 1764. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX Congregatione, quæ habita eſt die 24. Novembris, tres ſunt cauſæ, quæ nunc EE. PP. judicium poſtulant.

JANUEN. CAPELLANIARUM.

Seſs.25. cap.[illegible] *de Reform.*

An Clericus Joſeph de Donghis a Teſtatore vocatus ſit ordinandus ad titulum Capellaniæ in Civitate Cadicis ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipien. Speculatores?

Affirmative, & amplius.

FANEN.

Seſs.22. cap.[illegible] *de Reform.*

An ſit locus erectioni Capellaniæ, in caſu &c.

Negative.

AMERINA.

Seſs.21. cap.7. de Reform.

An, & quomodo, & quibus conditionibus ſit concedenda facultas alienandi 20. loca montium hæreditaria Barbaræ Matthæi Bevilaqua, in caſu &c.

Affirmative, cum onere reintegrandi loca 20. montium ex multiplico faciendo cum fructibus aliorum 20. ſuperextantium, non concurrente tamen quolibet anno puella Terræ Jovii, quæ velit in Domino nubere, & cum ſcutis 40. annuis detrahendis ex ſalario Ludimagiſtri, poſt obitum præſentis uſque ad reintegrationem prædictam: In reliquis Epiſcopus procedat, prout de jure.

Sess.25. cap.9. de Reform.

MELEVITANA BENEPLACITI APOSTOLICI. In ecclesia collegiata *Birchircarensi* Meliten. diœcesis duo extant sodalitia *Sanctissimi Rosarii*, ac *Sanctissimi Sacramenti*, quorum unumquodque binos habet pro administrandis bonis *procuratores*. De eligendis iis gravis ab anno 1759. in tribunali A. C. exarserat controversia inter sodales, & capitulum *Birchircarense*. Interim nomine cleri, & populi preces sunt allatæ ad Sac. Congregationem contra capitulum querimoniis plenissimæ, quæ ad Episcopum rejectæ sunt, ut de iis, re plene cognita, auditisque, quorum intererat, referret.

Dum hæc agebantur, supervenit transactio super omnibus controversiis inita inter capitulum, ac quatuor, petente capitulo, pro sodalitiis ab Episcopo deputatos. Hujusce transactionis confirmationem exoravit capitulum in Sacra Congregatione super negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, quæ, re animadversa, consultissime ad hanc negotium omne transmisit. De ea transactione agitur, contradicente potissimum sodalitio *Sanctissimi Rosarii*. Hæc narrasse necesse erat. Cætera, quæ hinc inde ad longiorem facti historiam dicuntur, rem implicarent magis.

Transactio in summa hæc habet: I. quamcumque litem finiendo, statutum est de tempore eligendi procuratores, nempe mense Julio, & per biennium. II. de modo eligendi, nempe: *dodici fratelli de' più anziani di ciascuna di dette confraternite dovranno a nome, e per parte delle loro respettive confraternità fare tra loro per atto publico di qualche notaro la nomina di sei persone alla meno ascritte nelle medesime respettive confraternite atte, idonee, e capaci per amministrare le procure &c., e dovranno immediatamente esibire copia autentica di detta nomina al signor Prepposito, & in mancanza di quello ad uno de' signori canonici deputati, ad effetto di potersi convocare capitolo fra gli otto giorni delle dette respettive domeniche, e capitolarmente dalli nominati sudetti farsi l'elezione degli due procuratori di ciascuna confraternità, cioè il Borsario, o sia depositario, ed il procuratore compagno.*

III. Quod de electis confirmatio ab Episcopo obtineri debeat. IV. de duobus consanguineis, vel affinibus non nominandis. V. de canonicis, licet sodalibus, non eligendis. Demum de Episcopi, & S. Sedis super transactis confirmatione impetranda.

Impugnant sodales transactionem. Suo pondere delabi inquiunt; initam enim a non habentibus legitimam transigendi potestatem. Ideo uti irritam, imo uti non factam habendam, ac beneplacitum Apostolicum denegandum *Rot. cor. Crisp. decis.28. num.27., & seq.*

Nullius vero momenti esse deputationem ab Episcopo factam duorum pro quolibet sodalitio ad transigendum de rebus soda-

dalium, quorum jura Episcopus imminuere nequibat *Bass. de Sodalitiis quæst.*14. *n.*10. & 11., & *in Miscell. n.*12., & 14., Sac. Congregatio *in Civitatis Plebis* 22. *Martii* 1760. Certum esse etenim transactionem nomine cujuscumque societatis iniri non posse, nisi vel ipsa societate legitime convocata approbante, vel eadem jubente, ac super ea re auctoritatem præbente aliis, *Rot. decis.*887. *num.*9. *coram Merlin.*, & *in d.decis.*28. *cor.Crisp. num.*24. & 25.

Maxime quia agebatur de duabus controversiis, quæ a constitutis rite procuratoribus agebantur tum in tribunali A.C., tum in S.Congregatione. Non pertinere equidem ad Episcopum per suos deputatos, insciis sodalibus, & clero, populoque, finire lites non suas, ob ineptam, & falsam causam, propterea quod difficillima esset omnium sodalium convocatio.

Nec facere aliquid, quod *Paulus Sceberras*, unus ex tribus procuratoribus a clero, & populo deputatis, renunciaverit: superesse etenim duos alios. Præterea procuratorem renunciare posse suo mandato, non autem suo libitu actis pro alio gestis.

Addunt nullam fuisse transactionem etiam quia factam de re non dubia; hinc plurima afferunt monumenta, ut suam eligendi possessionem probent. Postremo iniquam, quia omne eligendi jus sodalibus aufertur, relicto inani honore plures nominandi.

Contra capitulum transactiones, ait, quæ lites extirpant favorem omnium legum mereri *l. post rem §. De re judicata*, *l. non minorem*, & *l. Causas Cod. de transactionibus*, & *l. Error de juris*, & *facti ignorantia*; & præsertim Sedis Apostolicæ, in cujus curam potissimum incumbit, ut lites in dispendium ecclesiarum, atque operum piorum protractæ, provide exterminentur: cum in hujusmodi beneplacitis concedendis unice ecclesiæ utilitas respicienda sit *Turricell. de reb. Eccles. non alienan. cap.*3. *num.*26., & *cap.*16. *num.*5. & 6., *Corrad. in prax. dispens. lib.*9. *cap.*5. *num.*40.

Immerito autem argui de nullitate transactionem, quia utriusque sodalitii consensus non intercesserit. Sufficere enim, quod transegerint ab Episcopo ex legitima causa in eam rem deputati *Gratian.discept.forens. cap.*933.*num.*7. *Rot.decis.*283. *lib.*3. *per tot. coram Puteo decis.*60.*num.*8. *post Zacch. quæst.med. leg. tom.*2.*decis.*112.*num.*5. *par.*12. & *decis.*164.*num.*7.*Recent.*

Neque verum esse quod transactio ceciderit super jure claro ex decretis *generalibus Urbis*, & *Orbis* S. Congregationis Rituum *anni* 1703., quibus sancitum est ne parochi in administrationem hujusmodi se intromittant, de quibus *Bassius de Sodalit. quæst.*15. *sub num.*4., & *Monacell. in Form.for.Eccles.*1. *sub num.*46. Hæc etenim decreta obtinere de sodalitiis habentibus proprium ecclesiasticum rectorem, non vero de aliis *Monacell. loc.cit. num.*24. *Petra ad Constit.*1. *Anastas.IV. sect.*2. *num.*47., & Sacra Congregatio *in Cassanen. Jurium*

Pa-

Parochialium 9. *Julii* 1672. *in Forolivien. Jurium Parochialium* 10. *Aprilis* 1683., 19. *Augusti*, & 18. *Novembris* 1684., *in Portucallien.* 11. *Januarii* 1727., & *in Asculana Jurium*, & *Functionum Parochialium* 8. *Augusti* 1733.

Multo magis, quia expresse in iis decretis præservantur *pacta conventiones*, *indulta*, & *consuetudines*, ut in terminis firmat *Rot. in Mediolanen. Jurium Parochialium* 28. *Aprilis* 1708. *§. fin. cor. clar. mem. Scotto*.

Quibus ita positis, jus clarum potius ex parte capituli ante transactionem fuisse. Extare etenim sententiam A. C. *anni* 1740., in qua clarissime de jure eligendi procuratores pro administrandis bonis *ecclesiæ collegiatæ*, & *aliarum filialium* judicatur favore archipresbyteri, in cujus locum, & jura, ex literis Apostolicis san. mem. Benedicti XIV. *anni* 1751. præpositus, & canonici successerunt. De reliquo possessionem nominandi in sodalibus impugnant acriter: quæ afferuntur tumultuaria facta esse, tempore exardescentium aliarum litium; ideoque nullius momenti, ac ponderis æstimanda.

Multa, quæ a capitulo proponuntur nova sodalibus sunt, quorum expectandæ responsiones. Interim advertendum sententiam A. C. *anni* 1740. latam esse inter archipresbyterum, & capitulum, non vocatis ad causam sodalibus; nec loqui de bonis sodalitiorum.

De causa autem, de qua agitur præcipua inspectio est, an cum legitimis ex utraque parte actoribus transactum fuerit: scilicet an deputati ab Episcopo hanc potestatem habuerint transigendi. De jure Episcoporum *visitandi Confraternitates laicorum* Concilium dixit: *Insuper ut omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes substentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur*. De recipienda redditione rationum ab administratoribus sanxit; nihil vero de iis eligendis. *sess. 22. cap. 8. & 9. de reform.*

In facto autem videndum num fieri hæc deputatio potuerit, non petentibus aliis duobus Melitæ præsentibus a clero, & populo deputatis, & quidem super litibus, quæ in supremis tribunalibus Urbis cum legitimis procuratoribus agebantur.

Videndum num legitima causa deputandi esset, quod difficillime sodalium omnium congregatio haberi posset; cum satis fortasse, superque esset, post rite convocatum sodalitium, sola præsentia eorum qui stato loco, statisque die, & hora interfuissent, ut nomine totius sodalitii omnia legitime conficerentur. Apertissimæ sunt de his rebus juris theoricæ, quas exscribere hic supervacaneus labor esset.

EE. PP. doctissime, suo more, edicent

An concedendum sit Beneplacitum Apostolicum, in casu &c.

Negative, & ad mentem, & amplius.

NO-

NOVARIEN. JURISDICTIONIS. *Fratres Minores Reformati* Ordinis S. Francisci, qui Novariæ sunt in conventu *S. Nazarii*, habent *Galliati*, frequenti, & opulento ejus diœcesis oppido, quod trium lapidum itinere a civitate distat, domum, seu hospitium, eique adnexum oratorium publicum *S.Bernardini*. Queruntur de Episcopo Novariensi, qui sine jure, atque ipsis repugnantibus, ea uti suæ jurisdictionis visitaverit. Hinc jus impugnant, illiusque rescindenda acta petunt. Episcopus contra, tum sua jura tuetur, tum uti oratorium e publico privatum fiat postulat. De his triplex controversia instituitur.

Sess.7. cap.7. & 8. de Reform.

De I. quæstionis capite *Fratres* inquiunt omni jurisdictione carere Episcopum in ecclesiis, conventibus, aliisque conventuum membris, & annexis *Fratrum Minorum* ad *Text. in cap. nimis iniqua, cap. nimis prava de excess. Prælat., Barbos. de offic., & potest. Episc. par.3. alleg.105. num.3., & Rot. coram Ansald. decis.31. num.34.*, & plene *coram Molin. decis.676.num.9.*: sed eadem *immediate* Sedi Apostolicæ subjecta esse, ut probat *Gaudent. de Visit. lib.1. cap.4. dub.10. sess.1., Passer.de stat. hom. tom.3. quæst.187., & Rot. cor. Cels. decis.17. num.6.*

Et licet exemptio hæc locum non habeat in ecclesiis habentibus annexam curam animarum, vel a presbyteris sæcularibus administratis, juxta decretum *Concil. Trident. in sess.21. cap.8. de Reform., & sess.25. cap.1. de Regular.* attamen cum oratorium publicum *S. Bernardini*, neque ecclesia parochialis sit, neque per presbyteros sæculares regatur; hinc, dicunt, exemptum certe esse à jurisdictione. & visitatione Ordinarii. *Rota coram Kaunitz decis.125. num.6.*

Neque obesse ajunt, quod oratorium extra claustra sit, & longe distet a conventu Novariæ: quia simul, ac *subjective*, & *formaliter* unitum est eidem conventui, necessario veluti pars, & membrum conventus eadem exemptione certissime frui debet *cap. recolentes §.Ceterum de stat. Monach. Pignat. tom.10. cons.39. num.1., Donat. rer. Reg. tom.1.part.2.tract.13.quæst.39. num.1. Amostaz. de caus. piis lib.5. cap.11. num.39.*, *Murga de benef. quæst.10. art.2. num.160.*, *Card. Petr. coment. ad Const. Honorii III. sect. un. num.53. Rot. cor.Molin. decis.710.num.38. cor. Tanar., decis.73. num.37.*, *& in Burgen. Iurisdictionis, & visitationis 19. Januarii 1714. §. Respectu coram clar.mem.Card. Barbadic.*, & Sac. Cong. *in Salutiarum juris visitandi 7. Augusti 1756.*

Extraneam hinc afferunt constitutionem *Innocent. X.* incipien. *Instaurandæ*, vel ejusdem decretum incipiens *Ut in parvis*, quia respiciunt tantum parvos conventus, in quibus sex saltem religiosi non degunt, & perperam referuntur ad *grancias, & hospitia* conventui subjective unita, de quibus speciale est privilegium de exemptione, *cap. final. de capell. monach.*. Maxime quia idem hospitium, & oratorium visitatum fuit *annis* 1750. 1752., & 1759. a superiore Regulari; ideoque im-

immune dicendum certe est ab Episcopi jurisdictione *Rot. in decis. 33. num. 9. coram Molin.*, *& in Burgen. jurisdictionis 3. Julii* 1713. *cor. clar. mem. Card. Barbadic.*

De II. innituntur possessioni immemorabili retinendi eam publicam ecclesiam. Multa de ea possessione allegant. Nefas esse ajunt, ut quæ publico usui destinata olim fuerint oratoria, privata sine ulla necessitate fiant *Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris* 1762. Summam utilitatem prædicant, & commodum populi ex administratione sacramentorum in oratorio; precesque, ac postulationes oppidanorum de ea re congerunt.

De III. autem, jure ipso, inquiunt, atque ipso facto, quæ male gesta sunt corruere. Ideo, quæ Episcopus injuria egit, rescindenda, *Novarien. Juris visitandi* 8. *Maji* 1751., *& in Regien. Visitationis* 14. *Decembris* 1754, *ad secundum dubium*.

Alia ex parte Episcopus profert juris clarissimam censuram, qua Ordinariis subjecti sunt omnes clerici, & monachi, omnesque ecclesiæ sive sæculares, sive regulares ad *text. in cap. omnes Basilicæ* 16. *quæst.* 7. *cap. Abbates* 18. *quæst.* 2. *cap. quidam monachorum* 10., *& cap. monasteria* 17. *ead. caus.*, *& quæst.* 1. 40. *cod. de episc.*, *& cler.*

Neque obstare in hanc rem privilegia Regularium; quia de parvis conventibus, seu domibus, in quibus saltem, sex non commorantur, expresse cautum est ab Innocentio X., ut Ordinarii jurisdictioni tamquam Sedis Apostolicæ delegati subsint.

Quemadmodum nec quod hospitium, & oratorium annexum sit conventui Novariæ; tum quia non docetur de hac annexione, tum quia in constitutione Innocentii Episcopo delegato concessa est jurisdictio etiam super membris annexis.

Demum pro se allegat longævam, & centenariam possessionem ab anno 1657., quo Ordinarii oratorium, & hospitium visitarunt. Recentes vero visitationes factas a superioribus Regularibus anno 1750., eas novissimas clanculum peractas omnino spernendas esse; cum neque superioribus Regularibus competat *cumulativa* visitatio.

Addit, quod pro hospitio permittenda non est publica ecclesia *Donat. rer. regul. tom.* 1. *tract.* 1. *de monast. ædific.* Eamque fuisse hujus S. Congregationis sententiam, quam refert *Pignatel. consf. can. tom.* 10. *consf.* 84. *num.* 2.

Præsertim, quia *Fratres* nunquam paruerunt decretis, quæ in sacris visitationibus Episcopi ediderunt; multaque agunt, eaque numerat, quæ sine Sedis Apostolicæ privilegio in hujusmodi oratoriis fieri non permittuntur, ut pluries definivit S. Congregatio, & docuit san. mem. Benedictus XIV. *Instit. eccles.* 30. §. 11., *& de Synod. Diœces. lib.* 9. *cap.* 15.

De precibus vero incolarum vix triginta esse, ait, in oppido haud

haud minus quatuor millia hominum habente. Cætera ex ſcriptis petenda.

Synodus Tridentina edixit: *locorum ordinarii eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, quæ reparatione indigent, ut reparentur.*

Innocentius X. ſuo decreto *Ut in parvis*, diei 10. *Februarii* 1654. reſtituit Regularibus, quæ aboleverat, minus frequentia cœnobia, quæ aliquando in parvis, & diſſitis oppidis opportuniſſima ſunt, uti utriuſque ſexus incolæ, præter unum parochum, vel alterum ſacerdotem oppidanum, alios habeant paratos, qui ſacramenta, & præſertim Pœnitentiæ adminiſtrent; legem autem retinuit, qua non ſolum Regulares in eis degentes, ſed cœnobia, *viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni* Ordinarii ſubjecit: *Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere omnes, & ſingulos ejuſmodi conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos cujuſcumque ſint Ordinis tam mendicantium, quam non mendicantium Congregat. & Inſtituti etiam Societ. Jeſu, aut granciæ, ſeu membra alterius monaſterii exiſtentes intra fines Italiæ, & inſularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non aluntur ſaltem ſex Religioſi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor ut ſupra ſint ſacerdotes maturæ ætatis, eidem viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci ſimiliter, ut Sedis Apoſtolicæ delegati plene in omnibus præſentis pariter decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit.*

Plurimæ de his ortæ ſunt controverſiæ anno 1655. quas jubente Pontifice abſtulit Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium. Inter eas proponebatur *V. An eccleſiæ dictorum conventuum, & capellæ granciarum, in quibus degunt converſi pro agrorum cultura ab Epiſcopo viſitari poſſint. VI. An ipſæ granciæ, & converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi. VII. Quid in eccleſiis, ſeu capellis granciarum, in quibus nullus degit converſus, an ſimiliter ſubſint viſitationi Epiſcopi.* Reſponſum eſt *ad V. Poſſe, ad VI. Subeſſe, ad VII. Item ſubeſſe.*

Aliæ propoſitæ fuerunt anno 1670., quas eadem Sacra Congregatio mandante, & approbante Pontifice finiit *II. An jus viſitandi eccleſias granciarum, & publica oratoria Ordinario competat privative quoad Superiores regulares, an vero cumulative cum ipſis.* Reſpondit ad II. *quoad Eccleſias, & Oratoria publica jus viſitandi competere Ordinario privative, quoad converſos autem in eis degentes cumulative, Ordinario ſcilicet jure delegato ad formam Sac. Concil. Trident.* Ad V. *An granciæ, ſeu membra alicujus monaſterii numquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex religioſi, ſubſint juriſdictioni, ac viſitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum ſuperioribus regularibus.* Reſpondit: *grancias, ſeu membra alicujus monaſterii numquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex religioſi*

subesse jurisdictioni, ac visitationi Ordinarii loci, ac superiorum regularium cumulative, videlicet Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato ex prædicto decreto Ut in parvis, regularibus autem jure ordinario.

Videndum, quid de hac quæstione dixerit *Rot. in Firmana Jurisdictionis super modo visitandi 20. Martii 1702. §.4. coram Molin. in Burgen. jurisdictionis, seu visitationis 4. Julii 1712. §.Quoad, & 19. Januarii 1714. §.Respectu coram Barbadico.*

Sacra Congregatio in una *Cæsenaten. Jurisdictionis 23. Septembris 1690.* inter Episcopum, & monachos Cassinenses monasterii *S. Mariæ in Monte*, in qua agebatur de ecclesiis ruralibus *S. Mariæ de Ronta, & S. Mariæ in Flumine*, quæ curam animarum habebant annexam, & monasterio erant unitæ; ac de oratorio sito in *tenuta della Bagnarola*; propositis de iis rebus dubiis: *an decreta facta in visitatione duarum ecclesiarum parochialium, respicientia simplicem ornatum ecclesiæ, & non curam animarum substineantur maxime sub pœna sequestrationis fructuum bonorum monasterii*: respondit: *affirmative scilicet potuisse visitare auctoritate ordinaria, & consueta*. De oratorio autem responsum est: *dandas esse literas remissoriales hinc inde directas Episcopo viciniori ad effectum probandi an oratorium sit publicum, vel privatum, lib.decret.40.fol.656.*

In una *Cortonen. Visitationis 20. Aprilis 1697.*, in qua res erat de quadam sacra ædicula monasterii *S. Ægidii*, quam Eremitæ Camaldulenses dicebant ab *antiquo tempore* suo monasterio *unitam, & commendatam*, ideoque exemptam a visitatione, & jurisdictione Episcopi: Episcopus autem, qui eam visitaverat, *antiquitus fuisse parochialem unitam æque principaliter alteri ecclesiæ S. Joannis de Tuorgnia commendatæ* similiter eidem monasterio, & quæ citra dubium semper subjecta fuerat visitationi Ordinarii; disputatis dubiis: *I. An ecclesia S. Ægidii potuerit, & possit ab Episcopo visitari, & quatenus negative. II. An decreta facta in visitatione Episcopi pro sacrarum supellectilium provisione substineantur*: respondit: *manutenendam esse Episcopum in quasi possessione visitandi ecclesiam S. Ægidii, lib.decret.47.fol.150.*

Ad rem faciunt resolutiones in *Lycien. Visitationis, & Censurarum 29. Junii 1724., & 23. Junii 1725., Naulen. Visitationis 2. Decembris 1752., &* Salutiarum *juris visitandi 17. Julii 1756.*

Advertendum, quod in *Firmana Ædiculæ 17. Martii 1762.* agebatur non de ecclesia publica ad oratorium privatum reducenda, sed de profananda.

Proponitur

I. *An hospitium, & oratorium S. Bernardini oppidi Galliati subsint jurisdictioni, & sacræ Visitationi Ordinarii, & quatenus negative.*

II. *An idem oratorium reducendum sit ad usum oratorii privati tantum.*

III. *An*

III. *An actus sac. Visitationis ultimo loco per Ordinarium expletæ sint circumscribendi in casu &c.*

Ad I. quoad Oratorium affirmative, in reliquis iterum proponatur. Ad II. Negative, & amplius. Ad III. Dilata.

ASCULANA PAROCHIALIS. Redit causa, quæ proposita fuerat *die 30. Julii præteriti anni 1763*. Summa rei est. Ad vacantem ecclesiam parochialem *Ripæ Berardæ* Asculanæ dioecesis Communitas patrona nominavit *Franciscum Alphonsi*, quem unus ex tribus examinatoribus approbavit, reprobarunt duo, non minus de doctrina, quam de moribus, & prudentia; Episcopus vero iisdem de causis rejiciendum existimavit. Sacram Congregationem adiit Alphonsus. Interim vero Communitas, ne reprobato primo, suum jus nominandi amitteret, alios duos, clericum *Michaelem Spinam*, & sacerdotem *Seraphinum Giachiani*, non elapso adhuc quadrimestre, nominaverat.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

Bina disputabantur dubia, *an constet de mala relatione examinatorum, ita ut ecclesia parochialis S. Ægidii sit adjudicanda sacerdoti Francisco Alphonsi*, & quatenus negative. *II. an prædictus Alphonsi sit subjiciendus novo examini hic in Urbe*. De utroque responsum est *negative*. De ejus responsi justitia nunc cognoscendum est. Videndum est *folium illius diei*.

Quia vero necessarium videbatur, ut Communitas, & duo posterius nominati jura sua, si quæ vellent, proferrent; ideo vocati sunt ad causam; quæ tamen, nullo adhuc comparente, pro solo Alphonso agitur; qui ut a decisis recedatur expostulat; sive ut sibi ecclesia adjudicetur, sive saltem, ut ad novum admittatur examen.

De primo, præter ea, quæ antea dixerat, exhibet, ad suam probandam doctrinam, judicia doctorum virorum, qui perpensis responsionibus datis non fuisse reprobandum existimant.

Addit de moribus, & prudentia nihil examinatores cognovisse; suo ingenio asseruisse, quæ affirmant; nihil patere ex actis, quæ unice inspicienda sunt *Rot. in Cassanen. parochialis 28. Junii 1754. §. 4. coram Eminentiss. Migaz.* Taxat idcirco judicium Episcopi de hoc eodem, quia nihil ex actis curiæ attulit; omnia ex vaga fama, ac suspicione dixit, quæ non sufficiunt, ut præsentatus a patrono laico rejiciatur. *Rot. in Trevicana juris patronatus 17. Junii 1718. §. Constabilita coram Foscaro, Sac. Congregat. in Spoletana parochialis 19. Januarii 1736.*

Ad

Ad excludendam vero suspicionem quamcumque, bonum de se testimonium profert, quod præbent *Ripæ Berardæ* incolæ, & parochus, capellanus curatus, plures presbyteri terræ *Rotaræ*, aliique.

Neque obesse, quod numquam alias fuerit ad sacramentales confessiones accipiendas approbatus. Nihil de jure in hoc cautum esse: se in trigesimo versari anno ætatis, quæ longe excedit ætatem a Tridentino requisitam pro ecclesiis parochialibus, præsertim in alpestri, & montoso loco, ut advertit *Rot.cor.Ansald.decis.*429.*num.*20. *&* 28.

De altero vero, ut saltem ad novum examen in Urbe admittatur, ait, agi de præsentato a patrono laico, qui suum jus, nisi per triplex examen reprobatus, amittit nunquam. *Nicol. in Floscul. in verbo Examen num.6., Piton. disceptat. Eccles.n.*14.,*& Rot.in Siracusana præpositura* 26.*Junii* 1693.*§.Haud subsistere cor.Mato.* Constantem de hoc fuisse sententiam hujus Sac.Congregationis *Castri Maris Parochialis* 26.*April.*1749. *Perusina Parochialis* 26. *Julii* 1756. Reliqua ex scriptis legenda.

Tridentinum de præsentatis a patronis laicis dixit *sess.* 22. *cap.*18. *de Reformat.* : *quod si juspatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti*: *& sess.*25. *cap.*9. *de Reformat.* : *ad hæc liceat Episcopo præsentatos a patronis, si idoneus non fuerit, repellere*.

Videndum num in *Spoletana Parochialis*, *in Castri Maris Parochialis*, *& in Perusina Parochialis* aliquod discrimen intercesserit inter eos casus, & hunc de quo agitur, vel circa doctrinam ejus, qui alias approbatus fuerat, vel circa judicium Episcoporum de moribus. Ad rem facit *Constitutio* 68. *san.mem.Benedicti XIV.§.*16.

Ad EE.PP. pertinet decernere

An sit standum, vel recedendum a decisis

Dilata, & ad Emum Præfectum ad mentem.

*Sess.*22. *cap.*6. *de Reform.*

OSNABRUGEN. DISPENSATIONIS. *Michael Gaspar Glaudorf* canonicus collegiatæ *S. Martini* Mindensis *Osnabrugensis* diœcesis subdiaconus supplicavit SANCTISSIMO, ut *vel dispensaretur quoad suam ordinationem, vel nulla, & invalida declararetur ex defectu consensus*.

Sacra Congregatio, cui rei cognitio mandata est, jussit die 8.*Augusti* 1761. Episcopo, ut referret; sed eo defuncto respondit die 17.*Maii* 1762. Vicarius generalis: *allegatum ab oratore metum reverentialem, quem sese a parentibus ad effectum suscipiendi sacrum subdiaconatus ordinem passum esse perhibet, tum per adjuncta precibus diversa testimonia, tum per accedentem ipsius oratoris juratam confirmationem saltem in ordine*

ad rem, de qua nunc agitur, satis verificari. Deinde *suppositâ hujusmodi allegati metus verificatione, sufficientem meo exiguo judicio causam adesse, quare possit oratori dispensatio pro contrahendo matrimonio benigne impertiri*.

Quia autem ea jura, de quibus Vicarius loquebatur, affirmationes erant duorum testium, ac ipsorum parentum subdiaconi super illato metu; propterea *die* 24. *Julii* 1762. rescriptum est Episcopo, ut *acta ser. ser., & auditis iis omnibus, quorum intererat conficeret, transmitteretque*. Ea jam pervenerunt. De causa itaque nunc cognoscitur.

Certat subdiaconus sibi certam vim illatam fuisse, ut ordinem susciperet, quem recusabat; ac ita coactum, nullo nunc *continentiæ* nexu teneri *Rot. decis.* 1. *&* 2. *apud Cæsarem de Grassis tit. de his, quæ vi, & metu causa fiunt dec.* 870. *coram Emerix*. Multo magis, quia agitur de metu injecto a parentibus, qui solus sufficit *Piton. disceptat. ecclesiast.* 110. *num.* 3., *Pignatell. consult.* 173. *num.* 10., *Barbos. vot. decis.* 77. *num.* 90.

De metu autem illato dubitari non posse. Preces, ac suasiones præcessisse importunas. Non defuisse maternas lacrymas. Insecutas deinde patris, & graves, & acerbissimas minas. Probari ea omnia ex testibus, quorum alter est loci parochus, alter suus ipse patruus. Nullam vero certiorem probationem haberi posse jurata affirmatione ipsorum parentum, qui ea egerant, qui de suo ipso facto testantur omnia.

Neque obesse patrem executum minas nunquam fuisse, ac non probari eas consuevisse alias exequi. Respectu enim genitorum, propugnat, sufficere solas minas, imo solam eorumdem indignationem, ut credatur filium non voluntario, sed per violentiam fecisse omnia. *Castil. quot. controv. jur. lib.* 8. *cap.* 59. *n.* 63., *Rot. cor. Emerix jun. decis.* 860. *n.* 16.

Quemadmodum nihil facere, quod pater non fuerit præsens dum ordinem suscepit, imo neque in loco moram traheret: durabat etenim adhuc, vivo patre, eadem metus causa *Rot. coram Peutinger. decis.* 98. *num.* 5.

Adjicit violentiam patefieri evidentissime, ex quo probatur se pluries aperte professum fuisse *malle occidi*, quam ordinem suscipere. Se monasterio detentum, ut per tædium pareret tandem: ac demum, duabus vicibus Osnabrugum ad ordinem suscipiendum violenter missum, re infecta rediisse, ac ad parochum aufugisse, qui indignantibus, atque iratis parentibus restituit.

His autem ita se habentibus, perperam objici, quod, ante per vim acta, postmodum rata habuerit. Se numquam ordinem susceptum exercuisse; perpetuas fuisse conquestiones, lamentationes, desperationem, ac lacrymas. Probari omnia ex testium, & parentum ipsorum ore; quæ saltem satis superque sunt ad *dispensationem* obtinendam, ex consue-

ta

ta Apostolica benignitate, ac perpetuo S.Congregat. usu.

Ad hæc *Defensor ex officio*, ut suas partes recte impleat, plura advertit, objicitque; nempe non probari *Matthiam Gasparem* fuisse in decimo sexto ætatis anno, dum, ut asserit, parentum opera canonicatum obtinuit: non haberi *ex actis*, quo tempore primam tonsuram, ac minores ordines susceperit; nec quanto tempore subdiaconus fuerit, ut inde videatur quantum acquieverit, ac proinde ratihabitio facto ipso inducta censeri debeat.

Præterea non probari, modo, quo debuisset, intercessisse illum metum, qui in constantem virum ceciderit, ab homine scilicet terribili, solitoque minas exequi, itaut non aliter comminatum malum vitari potuisset *Rot. in Romana nullitatis* 14.*Januarii* 1754.*cor.Vicecomite*, S.Congreg.*in Bituntina* 17.*Junii* 1752., *&* 20.*Martii* 1756.

Despiciendos vero inductos testes, qui *formiter* sub *interrogatoriis* repetiti non fuerunt, sed tantum vocati, ut responderent *articulis* ab eodem subdiacono exhibitis. Cæterum nihil certi ex dictis testium sumi. Parochum, & subdiaconi patruum testari se ea, quæ affirmant, ab ipsius ore accepisse; ideoque ex iis non haberi probationem talem metus, quæ necessaria esset; imo hunc metum excludi ex ipso testimonio patris, qui professus est se bono animo egisse omnia, ut filii commodis, atque utilitatibus prospiceret.

Addit comminationes precibus, & blanditiis commistas fuisse; maternas lacrymas, precesque, amoris erga filium, ac benevolentiæ fuisse indicia. Filium bis rediisse ex *Osnabrugo* non suscepto ordine, ad quem missus fuerat, neque aliquid inde mali evenisse. Dum suscepit ordinem, neque in loco patrem adfuisse. Potuisse *Matthiam Gasparem* Episcopo exponere omnia, ejusque opem, ac providentiam implorare. Denique non probari, ut *Matthias* affirmat, nunquam ordinem exercuisse. De reliquo hæc nihil facere, cum potius animi ejus inconstantiæ, ac levitati tribuenda essent.

Multa inde in jure advertenda ait, quæ omnia ex scriptis conspicienda sunt, ac maxima animadversione sunt digna. *Acta* transmissa unice habent quatuor testes, nempe parentes, parochum, & patruum, quorum dicta apud monumenta causæ videri possunt.

Advertendum num ea, quæ deest notitia facti, causæ decisionem retardet, & circa tempus tonsuræ, ac minorum ordinum, & circa tempus, quo sacrum ordinem retinuit, usque ad oblatas preces pro dispensatione obtinenda.

Cæterum hic non agitur *de vi*, *seu coactione præcisa*, *&* *absoluta*, qua homini vi detento, & reluctanti, manus impositæ sint; quo casu non modo ulla in homine voluntas non est, sed aperta recusatio; ideoque omne actum erga invitum, & aperte repugnantem radicitus pro infecto

abs

haberi debet: sed de vi, & coactione, ut DD. ajunt *conditionali*, *& causativa*, quo casu licet voluntas coacta sit, voluntas tamen hominis fuit, itaut ordines vere suscipiantur, qui caracterem in suscipiente imprimunt, & qui susceperunt certissimo nexu *continentiæ* obligentur. Cum cæteroquin ordines, dummodo absit violentia illa, quæ semper vitio suo intrinsecus actum irritat, *valide*, etiam infantibus, qui nullam voluntatem certe habent, licet *non rite*, & *non legitime* conferantur, ex sententia *D. Thomæ*, & aliorum, ad apertum textum canonicum, quo in majoribus factis, si in eo statu permaneant, ordines non iterandos habetur.

Verum enimvero disputatio fuit, nec quidem levis inter canonistas, & theologos, unde hic nexus suam præcipuam vim obtineat, sive ex voto, sive ex lege ordini sacro adnexa. Tutiorem sententiam *Rota* tenuit, scilicet petendam dispensationem. Videndæ sunt *decisiones coram Cæsare de Grassis* 1. *&* 2. *de his, quæ vi, metusque causa fiunt*; ac recentissima *in Romana nullitatis ordinis* 14. *Januarii* 1754. *coram Vicecomite*. Sequuta est *Rota* constantem Ecclesiæ usum, quia antiquitus hujusmodi dispensationes concedebantur a Summo Pontifice per *Cancellariam* juxta tenorem *Brevis*, cujus meminit *Hieronymus Paulus in Praxi Cancellariæ*, *&* *Corrad. in prax. dispens. lib.*4. *cap.*9. *num.*6.

Ratio, & fortasse non contemnenda est, quia certum in susceptione ordinis votum *explicitum* non habetur; lex vero de *continentia* servanda, sacro ordini adnexa, & certa, & apertissima est.

Hanc ipsam sententiam amplexata est, ac perpetuo retinuit Sacra Congregatio. Videndæ resolutiones in *Hispalen. dispensationis* 28. *Maii* 1716., *Ipren. dispensationis* 5. *Augusti* 1719., *Parisien. dispensationis* 12. *Julii* 1721., *Namurcen. dispensationis* 10. *Martii* 1731., *Constantien. dispensationis* 21. *Maji* 1734.. Vidend. *Navarrus consultat.* 37. *num.* 12. *lib.*1., *& consil.*38. *num.* 11.; *P. Macer. in Theolog. tom.*3. *lib.* 3. *pag.* 289. *num.*16., *Card. Albic. de inconstant. in fid. cap.*36. *num.* 134., *Card. de Laur. in quæst. sentent. tom.*3. *discept.*9. *art.*5. §.5. *n.*204.

De reliquo spectandæ rerum circumstantiæ sunt. Concessa est aliquando dispensatio, ut in *Ipren. dispensationis* 16. *Decembris* 1719., *Parisien. dispensationis* 12. *Julii* 1721., *Namurcen. dispensationis* 10. *Martii* 1731.

Aliquando denegata est, ut in *Hispalen.* 16. *Maji* 1716., *Monasterien.* 15. *Januarii* 1724., *Arelaten.* 37. *Februarii* 1731., *Constantien.* 22. *Maji* 1734., *in Catacen. dispensationis* 9. *Septembris* 1722., *in Bisuntin.* 17. *Junii* 1752., *&* 20. *Martii* 1756.

EE. PP., qua eminent juris doctrina, dijudicabunt

An sit locus dispensationi, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Seſs. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

BRIXIEN. IRREGULARITATIS. Anno 1753. die 11. Septembris Sacerdos *Franciſcus Comincini e Prato Alboino Brixien.* diœceſis noctu occidit ſacerdotem Bartholomæum Olivieri. Hinc perpetuo exulatum abire coactus eſt. Anno 1758. ſupplicavit pro diſpenſatione ab irregularitate, recipiens ſe nomen daturum alicui Ordini ex Mendicantibus. Auditus Epiſcopus retulit ſe nihil certi comperiſſe de facti circumſtantiis; de anteactis tamen Comincini moribus bonum teſtimonium habuiſſe; atque oratoris preces admittendas cenſuit: *nil me intentatum reliquiſſe pro eruenda veritate narratorum, audito etiam proprio oratoris Paroco viro ſane integerrimo, qui licet circa facti circumſtantias tamquam noctu occurſas nihil certi mihi referre potuerit, attamen circa anteactos mores ejuſdem oratoris, & ſtudia in ſtatu clericali favorabilia teſtimonia pro rei veritate attulit, itaut facile inducam ad fidem præſtandam, quod ex legitimo, ſinceroque pœnitentiæ motivo procedere poſſit propoſitum animi votum ingrediendæ Religionis. Quare ut animi mei ſententiam juſſus aperiam crederem locum eſſe petitæ diſpenſationi ad effectum in precibus, quas veritate niſi ſatis mihi perſuaſum eſt.*

Menſe *Aprili* ejuſdem anni preces rejectæ ſunt. Illas inſtauravit die 12. menſis *Auguſti*, ac diverſam ſortem expertus eſt; nam reſponſum eſt *pro gratia, emiſſa tamen profeſſione in Religione*. Paulo poſt ipſum adiit *Sanctiſſimum*; ſed audito Eminentiſſimo Magno Pœnitentiario reſcriptum eſt: *Sanctiſſimus annuit pro gratia, tam pro ingreſſu Religionis, quam pro diſpenſatione ab irregularitate in utroque foro, poſtquam regularem profeſſionem emiſerit, firma tamen remanente inhabilitate ad munia religionis, & expediantur oportunæ literæ per Pœnitentiariam Apoſtolicam.*

Nullum exinde, ut affirmavit, reperiit Ordinem Regularium, qui eum reciperet. Hinc denuo ſupplicavit, ut ab hoc onere liberaretur. Sed delata rei cognitione ad Sac. Congregationem anno 1760. reſponſum eſt *Lectum, & gaudeat impetratis*. Non adhuc animo fractus preces renovat, quæ iterato juſſu *Sanctiſſimi* nunc proponuntur.

Narrat facti hanc eſſe hiſtoriam. Noctu forte ingreſſus cauponam invenit Oliverium ludentem aleis. Illum amicis, ſed jocoſis verbis interpellavit. In alia intentus homo, quod luſus erat contumeliam habuit; alapa illudentem percuſſit. Hinc injuſte ab eo laceſsitus, continuo domum petiit. Armatus venatorio igneo inſtrumento redit, non occidendi animo, ſed minitandi, ac deterrendi eum, qui erga innocentem amicum tam acerbe ſe geſſerat. Is ultro venientem cultro parato excepit. Inde factum, ut in tanta perturbatione, ac periculo, omnis conſilii expers Oliverium vulneraverit *di una ferita d'archibugiata rilevata di ſoli pallini, o vero migliarini*, qui poſt decem horas occubuit.

Ait ſibi in ea re credendum eſſe. Hinc homicidium volun-

luntarium dici non posse. Non ex proposito, aut ex preparatione per insidias ad ulciscendam injuriam patratum. Patere ex eo quod instrumentum attulerat parvulis plumbeis globulis instructum *Riminald. observ. crim. tom.1. cap.7. §.12. num.10.*, *Ursaya discept. Eccles. tom.1. par.2. discept.6.* Ideoque exilio solo multatum.

Præterea, se vere non fuisse primum auctorem criminis, sed Oliverium, qui alapam furens impegit, qui obviam cultro armatus venit. Suum timorem tunc vincere non potuisse. Fecisse tunc, quod non cogitaverat antea, ex improviso, ac in propriæ vitæ certo præsenti discrimine.

Addit agi de promoto ante delictum. Anteactæ vitæ optima testimonia habere; similia insequutæ postmodum. Pœnitentiam facti, ac constantem emendationem certissimis documentis comprobavisse. Accedere judicium Ordinarii. Commiseratione maxima, quod accidit dignum esse: quisque cogitet se eo loci positum; inde judicet an unquam casuum humanorum sit miserendum. Mereri hoc saltem senio jam confectam matrem, quæ, ut vagantem inopem, atque omni subsidio carentem filium aleret, ad summam, & deflendam egestatem redacta est. Oliverium ipsum de sua morte suam potius, & fortunæ culpam accusavisse. Ultro integram pacem, ac benevolentiam pristinam veteri amico restituisse. Id ipsum defuncti consanguineos fecisse omnes.

Certa est distinctio inter promotum, & promovendum. Sed considerandum an locum habeat in hujusmodi homicidiis. Pluries in Sac. Congregatione de similibus actum est. Videndæ sunt resolutiones *in Placentina* 8. *Junii* 1724., *& in Vidumen. Dispensationis ab Irregularitate* 2. *Augusti* 1760.

Advertendum, quod non constat adhuc, num ad patriam ei remigrare permissum sit. Quæritur

An sit locus dispensationi ab irregularitate, in casu &c.

FOROLIVIEN. *Ludovicus de Rosettis* archipresbyter ecclesiæ Foroliviensis prior sodalitii *Sanctissimi Corporis Christi*, quod in ea ecclesia est, optat, ut prioratus, quem retinet, detur fratris filio clerico *Petro Antonio de Rosettis*, qui illum in statu conjugii retineat. Quæsitum est propterea de statu prioratus, an qualitatem beneficii ecclesiastici habeat. De ea re *Eminentissimus Pro-Datarius* consultationem integram ad Sac. Congregationem detulit.

Sess. 25. cap.5. de Reform.

Anno 1513. sacerdos *Dominicus de Rosettis* canonicus Foroliviensis favore ejus sodalitii multa legata fecit, & speciatim favore prioris, quem perpetuum dum viveret, voluit *Antonium Mariam de Julianis* filium: *si erit autsecularis, aut presbyter sibi hæredem universalem instituit, & esse voluit pleno jure instituens, eligens, & nominans ipsum Antonium Mariam in priorem dictæ societatis Corporis Christi, situatæ in dicta ecclesia cathedrelis Sanctæ Crucis de Fo-*

rolivio tempore vitæ dicti Antonii Mariæ, cum hoc quod dictus Antonius Maria toto tempore vitæ suæ, si erit presbyter, dicere, aut si non erit presbyter, facere celebrare ad altare majus dictæ ecclesiæ cathedralis Sanctæ Crucis de Forolivio qualibet hebdomada duas missas, videlicet unam in die jovis, & aliam in die sabathi eligens, & nominans in patronum dictæ societatis dictum Antonium Mariam, casu, quo ipse Antonius Maria vellet esse prior toto tempore vitæ suæ. Post vero mortem dicti Antonii Mariæ elegit, & nominavit ex nunc, prout ex tunc in patronos dictæ Societatis filios dicti Antonii Mariæ, & omnes descendentes in perpetuum ex dicta linea masculina dicti Antonii Mariæ, qui Antonius Maria tempore ejus vitæ casu quo vellet esse prior, & post ejus mortem DD. ejus filii in perpetuum descendentes prædicti possit, & possint eligere unum hominem, sive presbyterum, sive secularem in priorem dictæ societatis, & præsentare capitulo dd. canonicorum dictæ ecclesiæ cathedralis S. Crucis de Forolivio dictum priorem eligen., ut supra per eum confirmam, qui DD. Canonici teneantur dictum priorem ut supra eligendum confirmare, & casu quo confirmare recusaverint habeatur, & intelligatur dictus prior pro confirmato, qui prior eligendus ut supra pro tempore teneatur, si erit presbyter dicere, si vero erit secularis facere celebrare ad supradictum altare maius dictæ ecclesiæ Cathedralis S. Crucis de Forolivio dictas duas missas, quas teneatur dicere, sive facere celebrare, ut supra dicere sive celebrari facere obligavit dictus D. Testator D. Antonium Mariam in præsenti Testamento, & casu quo non esset aliquis ex linea masculina dicti Antonii Mariæ elegit in patronos dictæ societatis suos proximiores attinentes ex linea illorum de Rosettis de Forolivio masculina, qui possint eligere ut supra, & præsentare ut supra.

Codicillis eodem anno conditis, ab onere celebrandi, seu celebrari faciendi sacra, priores liberavit. Et quia favore oratorii cesserat perpetuam capellaniam ad altare *S. Valeriani*, cui annexum erat *hospitale de pecudibus*, si Apostolicùm super ea privilegium impetraretur, ideo multa de capellaniæ, & hospitalis reditibus sodalitio uniendis constituit.

Exinde factum est, ut non multo post a Leone X. *Antonius Maria* primus prior clericus conjugatus, secundum cessionem *Dominici*, Apostolicas literas unionis obtinuerit. Ex iis literis omnis quæstio de qualitate prioratus cognoscenda est.

In iis habetur *unus Prior clericus ad vitam, & pro prima vice dictus Antonius Maria Foroliviensis clericus conjugatus*. Habetur de nominatione priorum pertinente ad ipsum *Antonium Mariam*, ejusque nepotes, & descendentes. De confirmatione, seu institutione prioris facienda a capitulo, a quo si denegaretur, nihilominus haberetur prior pro confirmato.

De unione vero capellaniæ hospitalis, ac capellæ S. Mariæ hæc dicuntur: *ipsaque capellania hospitale, & capella S. Mariæ cum omnibus juribus, ac pertinentiis suis, ac aliarum duarum apothecarum cum fundatione hujusmodi capellæ eidem SS. Petri,*

& Pauli

& Pauli auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, adnectimus, & incorporamus, ac applicamus, & appropriamus. Ita quod liceat Antonio Mariae Priori, ac confraternitati praedictae per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem capellaniae, ac hospitalis, & capellae Sanctae Mariae, & aliarum duarum apothecarum, & fundacum praedictum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, eorumque fructus, reditus, & proventus in suos, ac capellas, & capellaniae, necnon hospitali praedictorum usus, & utilitati convertere dioecesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita; & insuper, quod in dicta confraternitate ultra praedictos tres presbyteros, alii tres presbyteri perpetuo esse debeant &c. celebrare teneantur, atque nominatio, seu praesentatio aliorum trium presbyterorum hujusmodi ad Dominicum ipso vivente, & post ejus obitum ad Antonium Mariam, ac filios, & nepotes, ac descendentes, & eis non existentibus ad proximiores, confirmatio vero, seu institutio eorum ad capitulum praedictum pertineat, & ipso capitulo confirmationem, seu institutionem hujusmodi denegante, vel negligente pro confirmatis habeantur, quodque omnes, & singuli fructus, reditus, & proventus tam bonorum per dictum Dominicum assignatorum, quam ex capellania, hospitale, & capella S. Mariae, & ecclesia annexa praedicta, quam etiam ex apothecis praedictis provenien. inter priorem, & omnes presbyteros praedictos dividantur &c.

Ait nunc *Ludovicus Rosetti* agi de officio prioris in sodalitio laicorum, quod non repugnat, ut a laico retineatur. Certissimam hanc esse juris regulam, ubique a juristis confirmatam.

Multo magis cum adsit expressa voluntas fundatoris, qui voluit priorem sive *presbyterum*, sive *secularem*.

Neque officere, quod confirmatio prioris a capitulo fieri debeat; legitime enim responderi, cofirmationem hanc naturam officii laici non immutare. Maxime cum conditio clara adjecta fuerit, quod si confirmatio capituli non accederet, prior pro legitime confirmato existimaretur.

Addit accedere probationem ex ipso facto. Nam Antonius Maria primus prior, dum literas Apostolicas obtinuit, clericus erat, sed conjugatus, ideoque beneficii ecclesiastici minime capax. Successor ejus *Bartholomaeus Maldenti* uxorem habebat.

Nulliusque momenti esse, quod priores, fere semper fuerint clerici: id evenisse ex patronorum arbitrio. Probandum alias esse, laicos, qui electi fuerunt, fuisse exclusos *Rot. in Pampilonen. dimidii beneficii de Zeghama* 27. *Novembris* 1719. §. *Ejusdem cor. Marymon. Taraconen. Capellaniae* 11. *Martii* 1748. *coram Cortada*.

Praeterea satis esse priorem olim fuisse clericum conjugatum, ut ex hoc tantummodo officium dicatur laicum *Rot. in Romana praepositurae* 4. *Aprilis* 1719. §. *Extraneo cor. Card. Aldrovando*, & *in Taraconen. capellaniae* 11. *Martii* 1748. *coram*

ram bo.me.Cortada. Iis autem ita se habentibus, certat reditus beneficii suam naturam, & qualitatem non mutasse ex *subjectiva* unione.

Episcopus primo suam sententiam non aperuit, sed videbatur non dissentiri; & licet promotoris curiæ interesset, ut titulum, & qualitatem beneficii ecclesiastici assereret, adhuc non comparuerat. Episcopo itaque rescriptum est, ut apertum animi sui sensum declararet, ac de ea re promotorem curiæ moneret. Novissime is respondit: *Ex verbis haud dubiis testamenti clare colligitur mens fundatoris, qui potestatem fecit suis descendentibus in priorem eligendi etiam laicum. Certo quoque constat eundem ex bonis propriis dotem prioratus, de quo agitur, constituisse. Quamobrem æquitati consonum videtur oratorem clericum, & unicum ex fratre nepotem moderni prioris de familia Rosetti retinere posse etiam in statu conjugali dictum prioratum, vel saltem dignum esse, cui ab Apostolica Sede, uti in similibus casibus factum est, gratia concedatur, ut perfrui interim possit fructibus, donec ex ipso filium nascatur, cui clericali induto dignitate prioratus antedictus substituatur. Donationem autem minime exhibere possum, quemadmodum EE. VV. jusserunt, quod frustra operam dedi, ut ipsam invenirem: statui tamen promotori fiscali hujus meæ curiæ terminum quindecim dierum, qui, si quid habeat contra oratoris instantiam, in hac Sacra Congregatione deducat.*

De voluntate fundatoris, quod prior posset esse laicus, ex testamento videretur non ambigendum. In literis autem Apostolicis de priore eligendo dicitur *unus prior clericus ad vitam*; sed advertendum, quod admittitur Antonius Maria clericus conjugatus.

De extinctione tituli ecclesiastici in literis Leonis X. ponderandum est, quid momenti faciant verba, *adnectimus, incorporamus, ac applicamus, & appropriamus*, & quidem sodalitio laicorum. Fortasse, ecclesiasticos reditus pro tribus presbyteris, qui sacra agerent, concessit Leo. Sed tamen ex iis partem habere debebat tunc prior clericus conjugatus.

Notandum, quod post *Antonium Mariam* non probatur, quod unquam clericus conjugatus, aut laicus prior fuerit. De *Maldente* enim non habetur, quod simul prior fuerit, ac maritus. Potuit certe esse prior, & prioratum cedere, ut postea *Lucretiam Rosetti* tunc temporis patronam uxorem duceret. Saltem ex monumento, quod affertur, ea res in ambiguo est.

Ad rem faciunt resolutiones Sacræ Congregationis in *Auximana Capellaniæ* 16. *Decembris* 1702., *& in Romana Capellaniæ* 20.*Septembris* 1727. Petitur.

An sit relaxanda supplicatio, in casu &c.

F I N I S.

IN-

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1764.

A

Bene-

B

C

consumato nonnisi per raro, & ex certis probatisque causis conceditur *Valentina nullitatis Matrimonii* 24. *Martii* §. *Expleto pag.* 42.

Divortium vide in verbo *Matrimonium*.

Domo Parochiali destructa indultum fuit concessum Parocho non residendi per triennium ut interim Domus edificaretur *Urbanien.* 14. *Januar. pag.* 3. § *Sacra*.

Prefixo tamen per Episcopum termino ad incipiendam quamprimum Fabricam *ibid.*

Et proviso interim arbitrio episcopi, indemnitati, & necessitati curæ animarum *ibid.*

Quia vero Episcopus terminum non prefixerat, injunctum fuit R. P. D. Secretario, ut terminum prefigeret *ibid.*

E

ECclesiæ publicæ nequeunt in privatum, Oratorium converti *Novarien. jurisdictionis* 25. *Decembris pag.* 161. *ad II. Dub.*

Etiam agatur de Ecclesia publica annexa Hospitio Regularium *ibid.*

Ecclesia antequam profanetur rescribit Sacr. Congregatio Episcopo, ut procedat pro ut de jure ad confectionem processus super abusu Ecclesiæ, de qua agitur, & defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni *Terracinen.* 14. *April. pag.* 69. §. *Sed uti*.

Ecclesiam Ruralem unitam Monasterio omnino devastatam jussit S. Congregatio profanari *Terracinen.* 2. *Junii pag.* 85. *ad I. Dub.*

Previa tamen translatione Imaginis altaris Ecclesiæ profanandæ ad Ecclesiam Monasterii *ibid.*

Et adimpletis oneribus juxta instructionem datam Episcopo *ibid.*

Ecclesiæ Parochialis reedificatione, injunctum fuit Episcopo ut invigilet, ne fiant ornatus superflui *Amerina* 24. *Novembris pag.* 154. §. *His auditis*.

Et pro ejusdem reedificatione applicata fuerunt augumenta Montis Frumentarii *ibid.* §. *Contradixit*.

Nec non capitalia duorum annuorum subsidiorum dotalium *Amerina* 15. *Decembris pag.* 157.

Cum onere tamen reintegrandi dicta capitalia ex fructibus aliorum subsidiorum dotalium *ibid.*

Non concurrente tamen quolibet anno puella vocata, quæ velit in Domino nubere *ibid.*

Item applicata fuit pars salarii Ludimagistri successoris ex Testatoris voluntate taxati *ibid.*

Injunctum etiam fuit Episcopo ut Parochianos juris remediis cogat ad operas prestandas *ibid.*

Ecclesiæ Parochialis translatione facta ab Episcopo, cum quesitum esset an sustineretur, rescriptum fuit *dilata & interim deputetur Vicarius pro Ecclesia translata Lunen. seu Sarzanen.* 14. *April. pag.* 63.

Ecclesia Archipresbiterali celebrandæ sunt missæ, quæ ob Sacerdotum penuriam nequeunt in designata Ecclesia celebrari *Camen. translationis Missarum* 24. *Novembris pag.* 151.

Exceptis tamen diebus Festis *ibid.*

Ecclesiæ sæculares de Jurepatronatus Monasteriorum concurrente utilitate, vel paupertate uniri possunt ipsimet Monasterio *Gnesnen. unionis* 15. *Settembris pag.* 138. §. *Videndæ*.

Et si in Ecclesiarum unione aliquæ familiæ dissentiant, solet rescribi Episcopo ut terminum prefigat familiis dissentientibus *Lunen. seu Sarzanen.* 14. *April. pag.* 60. §. *Sacra*.

Ecclesiæ unitæ Capitulo manutenendæ sunt sumptibus Capituli *Nuscana* 14. *April. ad II. Dub. pag.* 60.

Sique Parochiales fuerint, & unitæ capitulo absque prejudicio curæ animarum, tenetur Capitulum ad expensam necessarium pro custodienda in iisdem Santissima Eucharistia *Nuscana ibid.* & 15. *Settembris pag.* 136., & 24. *Novembris pag.* 150.

Spectat tamen ad Capitulum deputare Presbiteros seculares ad nutum amovibiles in dictis Ecclesiis *ibid. ad* III. *Dub. pag.* 60. & 136.

Non vero ad Episcopum *ibid. ad* IV. *Dub.*

Ecclesia publica licet subjective unita Conventui Regularium potest ab Episcopo visitari *Novarien. jurisdictionis* 15. *Settembris pag.* 161. *ad* I. *Dub.*

Idem dic de Ecclesia annexa hospitio Regularium, licet per Regulares administrata *ibid.*

Ecclesiæ Parochiales unitæ Monasterio Regularium in iis quæ curam animarum, & Sacramentorum administrationem respiciunt sublunt jurisdictioni ordinarii *Palentina juris visitandi* 18. *Febr. pag.* 30.

Et nequit Presbiter sive secularis, sive Regularis in iisdem absque Ordinarii licentia prefici *ibid.*

Ecclesiæ duabus hereditatibus relictis, si una abundet, altera impar sit ad onera ferenda locus est applicationi fructuum illius favore hujus *Urbinaten. applicationis* 21. *Julii pag.* 110.

Cum onere tamen investiendi pecunias nomine hereditatis ex qua veniunt, licet alterius hereditatis oneribus applicentur *ibid.*

Edictum latum ab Episcopo utendi veste tala-

F

H

Hære-

dilata

N

O

P

Q

R

S

T

V

Etiamsi

INDEX CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ fuerunt in Foliis Causarum anni 1764.

A

Augu-

C

Neque

D

Etiamsi

E

F

G

H

L

M

Et

N

O

Q

R

S

T

Sed

Et

FINIS.